ADNOTATIONES
IBLIORVM SACRORVM
INTERPRETATIONI

A

EBASTIANO CASTELLIONE

SPARSIM SVBIVNCTAE

HIC VERO COLLECTIM EXSCRIPTAE

CVM

ONTINVATIONE HISTORIAE

AB ESDRA AD MACHABAEOS ET
INDE VSQVE AD CHRISTVM

NEC NON

VSDEM DELINEATIONE REIPVBLICAE
IVDAICAE EX IOSEPHO

ACCESSIT IN NOVA HAC EDITIONE

PPLEMENTVM HISTORIAE

CHRISTO AD VLTIMVM EXCIDIVM
HIEROSOLYMITANVM

EX LVDOVICI CAPPELLI
HISTORIA APOSTOLICA

I BREVE HISTORIAE IVDAICAE COMPENDIVM
EX IOSEPHO ADIECIT EXCERPTVM

LIPSIAE

MTIBVS SAMVELIS BENIAM. WALTHERI

CIↃ IↃCC XXIX

Digitized by Google

QVAE VIA SIT RECTA AD INTELLIGENDAS SACRAS SCRIPTVRAS.

QVEMADMODVM *homo conſtat ex corpore et anima, ita vt ſit corpus animæ domicilium: ita conſtant ſacræ litteræ ex littera et ſpiritu, ita vt ſit littera quoddam quaſi ſpiritus domicilium. Et quemadmodum hominis corpus videre, et vocem audire poſſunt beſtiæ; ſed eius animum aut orationem perſpicere nequeunt, quippe quæ non ſint eadem anima præditæ, cuius oculis ita cernere valeant: ſic ſacrorum ſcriptorum (quæ ad verum hominem inſtituendum atque condendum prodita ſunt) litteram videre et verba audire poſſunt impii: ſed quis ſit litteræ ſpiritus, et quo ſpectet diuina mens, ii ſoli intelligunt, qui eo ſpiritu præditi ſunt. Impii quidem non magis eum vident, quam beſtiæ ſermonem hominum, quorum tantum voces paucas, et eas vix intelligunt, exclamationes, increpationes, adhortationes, minas. Sic impii vident in ſacris litteris quid narretur, quid iubeatur aut vetetur: ſed ſpiritum et quaſi medullam litteræ non habent. Vt enim hominis negotia ſolus hominis ſpiritus nouit: ſic Dei negotia nullus ſcit, niſi Dei ſpiritus, et quem ſpiritus docuerit. 2. Cor. II. Docet autem is ſpiritus neminem niſi docilem: hoc eſt eos, qui per fidem ad Chriſtum, iuſtitiam noſtram accedunt, humiles, demiſſi, et parati relicto iudicio carnis et ſua voluntate, Dei voluntati obtem-*

temperare. Hæc demonſtrari poſſunt multis oraculis et exemplis, ex quibus nonnulla adducam, vt oſtendam peccatum, humanamque ſapientiam et amorem ſui, in cauſſa eſſe, vt homines res diuinas non intelligant: et quo quisque longius ab iis recedit, eo magis rerum diuinarum eſſe peritum.

Primum et maximum oraculum eſt, quod Adam antequam peccauit, habebat Dei diuinarumque rerum cognitionem, adeo vt beſtiis nomina ſecundum ſuam cuique naturam indiderit, et ortum feminæ ex ſua dormientis coſta creatæ ſtatim cognouerit, ac de ea vaticinatus fuerit. Idem poſtquam peccauit, carnisque iudicium et ſenſum ſecutus eſt, incidit in tantam ignorantiam, vt ſeſe a Dei conſpectu absconderet inter arbores: quæ certe magna cæcitas erat, velle Dei omnia videntis oculos latere. Ac quod in Adamo, idem in eius quoque poſteritate deinceps factum eſt, vt ſi qui fuerunt Deo credentes et obedientes, hos Deus adſciuerit et ſuam voluntatem eis patefecerit: aliis non item. Exemplo ſunt Henochus, qui quum ſecundum Dei voluntatem viueret, raptus eſt ad Deum: et Noa, qui quum eſſet ſui ſæculi iuſtiſſimus, oſtendit ei Deus ſuum de diluuio inſtitutum, rem ſane maximi momenti: quod idem fecit poſtea in Abrahamo, vt ei ſuam circa Sodomam et Gomorram voluntatem patefaceret, cuius rei cauſſam ipſe Deus tradit hanc: (Geneſ. 18.) Egone vt Abrahamum celem de eo quod ſum facturus? quum ſit Abrahamus gentis maximæ et potentiſſimæ futurus auctor, quumque in eo omnes orbis nationes ſint felicitandæ; nam certo ſcio, ſuis eum liberis, et porro ſuæ in poſterum ſtirpi præcepturum eſſe, vt ad Iouæ normam vitam dirigentes, iuſtitiam colant atque ius, vt Ioua Abrahamo promiſſa præſtet. Idem ſcripſit Dauid: (Pſal. 25.) Si quis homo eſt, inquit, qui Iouam metuat, huic ille viam demonſtrabit, quam eligat, et ipſe in bonis verſabitur, et eius poſteritas terram poſſidebit. Iouæ metuentibus patefiet eius arcanum atque fœdus. Item illud (Pſal. 119.) Sapientiorem me quam ſunt hoſtes

mei,

mei, reddidit tua diſciplina, quam perpetuo habeo: plus ſapio quam mei doctores vniuerſi, quod oracula tua, mea ſunt meditatio. Senes intelligentia ſupero, quod tua mandata teneo: ab omni via mala contineo meos pedes, vt tuis dictis paream, cet. Item Solomo (Prou. 1.) Iouæ metus, inquit, caput eſt ſcientiæ: ſapientiam diſciplinamque ſtulti contemnunt. Et idem Sap. 1. In malitioſum animum non intrat ſapientia, nec habitat in corpore peccatis obnoxio. Sanctus enim diſciplinæ ſpiritus fugit dolum, et ab imperitis cogitationibus abigitur, et iniuſtitiæ aduentu confutatur. Et Siracides Eccl. 1. Sapientiæ plenitudo eſt metuere Dominum, eaque homines fructibus ſuis exſaturat: ſuam domum omnem ſuis deliciis, et cellas prouentibus replet, quod vtrumque Dei muneris eſt ad felicitatem pertinens. Sapientiæ corona eſt Domini metus, pacem germinans et ſalutarem incolumitatem: cuius amatores gloria abunde exhilarat. Sapientiæ radix eſt, metuere Dominum: rami autem grandæuitas. Item Eccl. 3. Multi quidem præſtantes ſunt, ſed modeſtis patefiunt arcana. Item Eccl. 43. Fecit omnia Dominus, deditque piis ſapientiam. Et Eſaias cap. 8. Prome oraculum: obſigna diſciplinam apud diſcipulos meos. Et idem cap. 29. Poſtquam in Iſraelitarum flagitia inuectus eſt, quæ in cauſſa erant, vt diuinam doctrinam intelligere non poſſent, ſic loquitur: nam vos Ioua ea veterni aura obruit. Item in Ezechiele cap. 43. poſt deſcriptionem templi (in quo Chriſtianæ religionis arcana adumbrantur) ſic vatem adloquitur Deus, Tu homo expone Iſraelitarum generi templum, cet. Et Danielis cap. 12. Expurgabuntur, dealbabuntur, et explorabuntur multi, et impie agent impii, nec intelligent vlli impii: at periti intelligent. Et Oſeæ 13. Qui ſapiens et prudens erit, cet. Item in Nouo Teſtamento eadem traduntur. Chriſtus externos non niſi per parabolas, hoc eſt, figurate et tectis verbis adloquebatur: ſuis autem diſcipulis, hoc eſt, credentibus, caritate præditis, obedientibus et eum ſequentibus omnia poſtea ſeorſum exponebat Matth. 11, 7. Ioan. 5. Paulus ipſe rem totam paucis verbis abſoluit 1 Cor. 2. Nam quis hominum ſcit hominis negotia, cet.

 vsque

vsque ad finem. Ex his aliisque multis locis apparet, Dei mentem et arcana conſilia, in ſacris litteris latentia, ſolis fidelibus, piis et religioſis Deique ſpiritu præditis eſſe nota. Eſt enim Deus Rex, qui ſua conſilia non niſi fidelibus amicis ſuis patefaciat, quemadmodum reges ipſos mundanos facere videmus. Itaque licet obſeruare ab orbe condito non niſi pios admiſſos eſſe in Dei conſilium. Supra commemoraui Henochum, Noam, Abrahamum: idem licet dicere de Iſaaco, Iacobo, Ioſepho, Moſe, Ioſua, Samuele, Dauide, ceteriſque vatibus et apoſtolis Dei ſeruis, quibus ſiue illitterati, ſiue litterati fuerunt, voluntatem ſuam patefecit Deus, et mentem ad intelligendas ſcripturas aperuit. Lucæ 24. Impii vero et ſuo iudicio nitentes, etiamſi omnes litteras tenuerint, litterarum ſpiritum numquam intellexerunt, ſed potius perſecuti ſunt, quemadmodum eis exprobrat Stephanus Actorum 7. O duri ceruici, cet.

Quod ſi quando impii vaticinati ſunt, aut de rebus diuinis et ſpiritualibus locuti ſunt, quales commemorari poſſunt Balaamus, Saulus, Caiaphas, ſcribæ et phariſæi, tamen ii Dei mentem et ſpiritum non vere intellexerunt, ſed ſic de rebus ſibi ignotis locuti ſunt, vt ſi quis Gallus, Germano verba præeunte, germanice dicat ea, quæ ipſemet non intelligat. Videtur hoc indicare Chriſtus, dum dicit, in cathedra Moſis ſedent ſcribæ et phariſæi: quæ dicunt facite: dicunt enim, et non faciunt. Atque idem de iisdem alibi: Sinite eos: cæci ſunt, cæcorum duces: iubetque eorum fermentum caueri. Quaſi hoc dicat: Quod Moſis præcepta docent, eis obediendum eſt: ſed quod eorum præceptorum mentem et ſpiritum, qui a me profertur, non vident, ſed repudiant, cæci ſunt. Exempli gratia: Scripſit Moſes: honora tuum patrem atque matrem: hoc dum docent, obediri debet. Sed dum hoc idem præceptum ſuis ſophiſmatis adulterant, et natos a vera parentum honoratione, ſua falſa et auara interpretatione abſtrahunt, cæci ſunt, Deique præceptum violant. Matth. 15. Iidem dum docent ritus et ſacrificia ex præſcripto Moſis obeunda, ſequendi ſunt: ſed dum me, qui illorum rituum et ſacrificiorum

rum

rum mentem et ſpiritum aperio,reiiciunt, et litteræ inani ſcientia inflati eam tenacius retinent, litteræ veritatem atque ſenſum, et Dei voluntatem repudiant, neque legem vere intelligunt: ſi enim intelligerent, certe Chriſtum, qui finis legis eſt, non reſpuerent. Neque vero ſolum impii non intelligunt Dei ſpiritum, ſed et ſi quis eſt, cui ſit aliqua data eius cognitio, is niſi in ea dat operam vt creſcat,amittit eam ipſam, quam habuit cognitionem: id quod indicat Dominus dum iubet ei, qui non fenerauit, eripi minam, et ei dari, qui habet decem: nam habenti dabitur, et ab eo, qui non habet, etiam hoc ipſum quod habet,auferetur. Id videmus accidiſſe Saulo, qui quum Dei ſpiritum haberet, eo propter ſuam inobedientiam priuatus eſt, euaſitque propterea ſepties deterior, quam fuerat vmquam.

Quæ quum ita ſint, ego omnes, qui animum ad ſacrarum litterarum ſtudium, cognoſcendamque Dei voluntatem applicare volunt, exhortor, vt id faciant, qua via quoque modo fieri debet. Primum vt vera eſſe credant, quæ ibi ſcripta ſunt: nam niſi credent, non intelligent, ſed ſacras litteras profanas ducent. Deinde (qui fidei fructus eſt) vt voluntatem ſuam voluntati Dei ſubiiciant, parati facere, quidquid iuſſerit Deus, ſiue id ſit dulce ſiue amarum: ſiue leue ſiue graue, ſiue facile ſiue difficile. Eſt enim ea natura fidei (per quam ſeruari nos oportet, et ſine qua Deo placere non poſſis) vt hominem non ſolum iuſtificet, et ei peccatorum remiſſionem per Chriſtum conciliet, ſed etiam nouum ei conciliando ſpiritum, eum poteſtati diaboli eripiat, et Dei ſeruitio emancipet. Fides, inquam, corda purificat, hominemque ex iniuſto reddit iuſtum, ex inobediente obedientem, ex carnali ſpiritualem, ex terreſtri cæleſtem, ex impio pium: breuiter ex vetere homine et filio tenebrarum, facit nouam creaturam et lucis filium, qui abiectis operibus tenebrarum induat arma lucis, et iuſtitiæ fructificet, ſicut antea fructificauit iniuſtitiæ. Hac igitur fide et mente et voluntate ſi quis præditus, ad ſacrarum litterarum ſtudium accedet, is ſiue eruditus erit ſiue ineruditus, ſiue pauper ſiue diues, ſiue mas ſiue femina (perſonarum enim

num rationem non habet Deus) eas vere intelliget, et cum fructu leget, fietque inde indies melior, et ibi eos cæleſtis ſapientiæ theſauros latere mirabitur, quos numquam ſuſpicatus erat. Sin aliquis voluntati ſuæ obedire, et humanam, hoc eſt, ſtultam ſapientiam retinere, neque ſuis vitiis et peccatis renuntiare volet, ſed tantum vel credere vel exſequi, quantum eius libidini et carni libebit, is ſua praua voluntate cæcatus, ſacrarum litterarum ſpiritum non videbit: ſed eas non ſequens, verum ad ſuam libidinem trahens atque torquens, et inde ſuis peccatis præſidia et tegumenta, et patrocinia vndique conquirens, nihil aliud conſequetur, quam inanem litteræ cognitionem, qua inflatus, reddetur indies quo peritior eo perditior, vt habet germanicum prouerbium. Hoc accidiſſe videmus ſcribis et phariſæis, qui quum ſacras litteras profiterentur, et in earum lectione et ſtudio eſſent adſidui, tamen quia vitiis et voluntati et iudicio ſuo renuntiare noluerunt, ab earum mente et ſpiritu vsque adeo aberrarunt, vt Chriſtum earum verum diuinumque interpretem, crucifixerint: atque hoc idem accidet omnibus ſic animatis et ſic compoſitis, vt illi fuerunt. Quare agite, o vos omnes, qui ſacros hos libros in manus ſumitis, abiicite profanos animos: credite Deo: renuntiate voluntati veſtræ, et vos ſubmiſſo, ſequaci, obſequenti et plane puerili, hoc eſt, docili animo, ſic informandos Deo tradite, vt puer ludimagiſtro facit: atque eodem animo Deum adſidue orate: nec prius deſiſtite, quam optata fueritis conſecuti: nam quisquis quærit, inuenit, et qui petit, obtinet, et pulſanti aperitur. Hac vna via Dei voluntatem percipietis, et ſecundum eam viuentes, veſtramque repudiantes, et contra vos ipſos pugnantes, per fidem in Ieſu Chriſto ſeruatore mundi collocatam, peruenietis ad vitam æternam.

ADNO-

ADNOTATIONES BIBLIORVM SACRORVM INTERPRETATIONI A SEBASTIANO CASTELLIONE

SPARSIM SVBIVNCTAE
HIC VERO COLLECTIM EXSCRIPTAE
CVM
ARGVMENTO
IN SINGVLOS LIBROS.

GENESIS.

IN TOTVM GENESEOS LIBRVM

ARGVMENTVM.

Vniuerſi creatio. Diei ſeptimi religio. Homo in pomario, rerum dominus. Arbor negata. Formata mulier. Amborum lapſus. Anguis miſer a Seruatore. Adamus exſul. Abeli cædes. Enos pius. Adami mors. Translatus Enochus. Arca. Diluuium. Noæ vinea, ebrietas, irriſio, mors. Babeli turris, linguæ multæ. Abrahami error, aræ, fames, discrimina cum Lotho disſidia, cum Abimelecho gratia, fides. Ex Agara ſpuria proles: ea in heram inſolens, fugiens. Cum circumciſione fœdus. Abſoluta Abrahami et Saræ nomina: horum conuiuæ angeli: promiſſa proles. Anus riſus. Minæ in Sodomæos, horum furor, ſumtum exemplum, incendium cæleſte. Lothi fuga: coniugis calamitas: illius inceſtus. Iſaacus natus, circumciſus, victima, ſponſus. Secundæ Abrahami nuptiæ, mors. Ismaelis gens, mors. Iacobus et Eſaus gemelli: vis huius venalis, ſubrepta felicitas. Iſaaci ſcala, votum. Iacobi ſeruitus, merces, fuga. Rachelis rapta idola. Iacobi ad fratrem dona, lucta: vnde Israel: vitiata Dina. Sichemitæ circumciſi, mox cæſi. Rubeni inceſtus. Iſaaci finis. Ioſephi inſomnia, ſeruitus. Iudæ cum Tamare inceſtus. Fames in terris. Ioſephi fauor, caſtitas, calumniæ, carcer, viſorum peritia, in fratres benignitas, ars, clementia, in patrem pietas. Regis in ſenem merita. Aerarii per Ioſephum locupletatio. Iacobi vaticinium de Chriſto moribundi, mors, funus in Aegypto. Ioſephi mors.

ADNOTATA

CAP. I. v. 5. *Exſtitit ex veſpere et mane dies primus.*) Id eſt, exſtitit dies primus, qui conſtat ex nocte et die. Hic enim pars pro toto ponitur, vt apud Danielem veſperomatutina, pro diebus: et apud poetas quatuor autumni pro quatuor annis dicuntur. Incipit autem dies a veſpere, quod tenebræ ante creatam lucem fuerunt. eumque ita Hebræi auſpicantur: quod idem olim facere Gallos tradit Cæſar, et Germanos Cornelius Tacitus.

6. *Liquidum inter aquas*) רקיע a diducendo dictum: ſignificat liquidum, quod tantum ab aere ſiue cælo differt, quantum lux a die, aqua a mari, ſiccum a terra. Nam quum hoc aquam ſuperiorem ab inferiore diuidat, et conſtet, aquam inferiorem eſſe mare, neceſſe eſt, vt hoc liquidum ſit aer, qui etiam a poetis latinis liquidum vocatur, hebraico more, quod elementum mari coniunctum eſt. Quod enim duo extrema vel disiungit, vel coniungit, id vtrumque tangit. Aqua autem ſuperior eſt pluuia, quæ quamquam ſupra totum liquidum, id eſt, ſupra totum cælum non eſt, tamen vt ſupra liquidum dicatur, ſatis eſt, ſi habet infra ſe liquidum. Nec vero conſentaneum eſt, Moſem, quum hic de aquis nominatim loqueretur, nullam feciſſe pluuiæ mentionem, quæ res eſt non parui momenti, et cuius mentionem Sibylla de mundi creatione loquens fecit; nec non Ioſephus Moſem interpretans, dicit cælum factum eſſe pluuium. Nec aliud eſt, pluuiam ſupra liquidum dici, quam latine aquam cæleſtem. Itaque Plinius principio libri 31. de aquis ita loquitur: ſcandunt in ſublime, et cælum quoque ſibi vindicant, ac nubium obtentu vitalem ſpiritum ſtrangulant, quæ cauſſa fulmina elicit, ipſo diſcordante mundo. Quid eſſe mirabilius poteſt aquis in cælo ſtantibus? Hæc Plinius. Eodem modo in 2 Reg. 21. dicitur aqua de cælo deſtillare, hoc eſt pluuia. Eſt autem animaduertendum, quod græce aer et æther et οὐρανὸς dicitur, id ab Hebræis vno liquidi, ſiue cæli nomine comprehendi. Latini quoque totum hoc cæli nomine comprehendunt. Quod ſi quis pertinacius negat, hoc, de quo hic Moſes loquitur, id eſſe, quod græce aer, latine cælum dicitur, oſtendat, quidnam ſit id, quod mare a ſuperiore aqua diuidit, et quemodo vocent Hebræi aerem. Aliud, quod aquas diuidat, nihil eſt. Aerem Hebræi nomine græco hodie vocant. Quid, antequam eſſet lingua græca? id eſt, ante turrim Babel, quum ſola eſſet hebræa? nullumne rei tam vulgaris habebant nomen? aut ſi habebant, cur non exſtat in ſacris litteris? At exſtat profecto: eſtque tam idem רקיע et שמים, id eſt liquidum, aut aer, aut cælum, quam ſiccum et terra; nec alia de cauſſa שמים, id eſt, cælum ab aquis deductum nomen habet, quam quod pluuiæ ſedes eſt. Itaque ſcribit Moſes, in diluuio apertos fuiſſe cæli meatus. H[illegible] volucres cæli, id eſt aeriæ. Cælum autem ſecundo die fuiſſe creatum, oſtendit Moſes, qui dicit, Deum iuſſiſſe ſecundo die, vt exſiſteret liquidum, atque idem docetur 4. Eſdr. 6. his verbis: ſecundo die aeris auram creaſti. Nam quod in propoſitione Moſes cælum terræ præponit, dignitatis, non creationis habet rationem. Idem enim cap. 2. dicit: Quum terram cælumque feciſſet Deus; vbi terram cælo anteponit. Ex quo patet, verborum ordinem non ſemper eumdem eſſe, quem temporis. Et vero conſentaneum eſt, terram tamquam fundamentum, prius eſſe factam. Nec neceſſe eſt, cælum, quia ſit præſtantius, propterea prius eſſe creatum; nam et beſtiæ et ſtirpes, quæ ſunt homine viliora, tamen ante hominem ſunt creata

9. *Appareret ſiccum*) Quod Latini per neutrum, id Hebræi, qui neutrum

trum genus non habent, aliquando per femineum dicunt. Hanc ob cauſſam vetus interpres vertit arida, et græcus ξηρά.

11. *Pareret terra ſtirpes*) In hebræo eſt תדשא, quod, ſi licet verbum fingere, ſignificat ſtirpare, id eſt, ſtirpes creare: vt ſi dicas: ſtirpet terra ſtirpes; quomodo dixit Ariſtoteles in tertio de generat. animal. ὠοτοκοῦσι τέλειον ᾠόν, quomodo et viuere vitam dicimus; qualia ſunt hæc gallica, enfanter, veler, cochonner: quæ latine ſic redderentur, puerum, vitulum, porcellum parere. Multa ſunt in ſacris litteris talia, vt iurare iusiurandum, peccare peccatum, quæ ſunt latino more dicenda: id quod ſemel adnotaſſe, ſit ſatis. Sunt autem ſtirpium tria genera, arbores, frutices et herbæ: ſed frutices in arboribus comprehendit Moſes. Vocat autem arbores fructiferas, et herbas frugiferas, non quod ſint omnes fructuoſæ, (quamuis omnes ſemen habeant) ſed quia earum proprium eſt fructus ferre: vt quum piſces dicunt ſquamigeros poetæ, quod piſcium propriæ ſunt ſquamæ, non tamen omnium. Præterea his verbis fetifica vis datur ſtirpibus, eodem momento, quo creantur, quæ vis animalibus ſeparatim data eſt.

20. *Natatiles animantes*) Græci ἑρπετά, Latini reptilia verterunt. Sed eodem verbo vtuntur etiam in eis, quæ ex terra quarto die orta ſunt, vt reptilia et ex aqua et ex terra orta eſſe videantur, id quod abſurdum eſt. Hebræum eſt שרץ quod Leuitic. 11. dicitur de piſcibus, et de volucribus multipedibus, deque ſerpentibus. Nos tam late patens verbum non habemus. Sunt tamen hæc, vt rei natura, ita verbis quoque apud Latinos etiam confinia. Nam et nare per aera aues poetice dicuntur, et Dædalus remigio alarum Inſuetum per iter gelidas enauit ad arctos. Igitur ex aqua orti ſunt piſces, et volucres tum bipedes tum multipedes: ex terra autem pecora, beſtiæ terreſtres, et ſerpentes, quæ ſerpentes, verbo רמש ſignificantur, quod tamen alibi moueri ſignificat, et Pſal. 104. natare.

26. *Faciamus hominem*) Videtur cum filio ſuo loqui, de quo ſic Sibylla l. 8.

Huius conſilio namque olim primitus vſus,
Sic ait omnipotens: Faciamus imagine, fili,
Ambo de propria mortalia ſemina ducta.
Nunc ego curabo manibus, tu denique noſtram
Effigiem verbis, vt opus commune ſtruamus.

26. *Qui dominetur*) In hebræo eſt in plurali, Dominentur. Sed quum de toto genere loquatur, nihil refert, vtro numero vtare, dum loquendi conſuetudinis rationem habeas.

CAP. II. Quæ in hoc toto capite traduntur, ea ante Sabbatum ſuis quæque diebus facta ſunt. Sed Moſes volens operi ſexti diei perpetuam hiſtoriam attexere, quum in Sabbati commemoratione interpellaretur, ſexto die creationem hominis breuiter perſtrinxit, quam eamdem iterum poſt commemoratum ſabbatum adgreditur maiore exordio. Non enim, quod poſt ſabbatum commemoratur, idem poſt ſabbatum factum eſt, quum omnia ſex diebus facta ſint.

3. *Creauerat feceratque*) Ad verbum, creauerat faciendo (nam lamed ſæpe gerundium facit, vt 2. Reg 19. לאהבה amando) vbi duo verba eiusdem notionis ponuntur, vt in 1. Corinth. 12. ἤγεσθε ἀπαγόμενοι pro ἤγεσθε καὶ ἀπήγεσθε. Quale eſt Ciceronis illud: De manibus audaciſſimorum ciuium delapſa arma ceciderunt: hoc eſt, delapſa ſunt, et ceciderunt.

4. *Ioua Deus*) Ioua ſacroſanctum Dei nomen eſt, a verbo, quod eſſe ſignificat, deductum (vt ipſe Moſi in rubo declarat) nomen tantæ maieſtatis,

vt Iudæi, ſi quando id legendum occurrat, Adonai legant, quod Dominum ſignificat. Hinc factum puto, vt Septuaginta κύριον ſint interpretati, quorum interpretationem ſecuti ſunt Apoſtoli. Docebant enim religionem, non linguam. Nos autem, qui (quoniam vita breuis eſt) linguam cum religione coniungere conamur, nobis interdictum non putamus, ne cum illis in vita conſentientes, in ſermone diſertos ſequamur, et Dei nomen proprium hebræum (ne quid de eius maieſtate decedat) adhibeamus: quod quum in aliis propriis nominibus quotidie in lingua fieri ſoleat, id nobis in hoc denegari iniquum videtur. Nam quod negant quidam, hoc ſacrum nomen fas eſſe legi, hoc ſuperſtitioni iudaicæ relinquamus. Si enim Moſi ſcribere fas fuit, et nobis legere fas eſt. Neque enim ſcripſit non legenda. Qui autem dicunt, hæc puncta vocalia, quibus notatur, non eſſe eius propria, facile refelluntur verbis inde deductis, Ioſaphat, Ioram, Halleluia, Eſaias, etc. Quamquam nihil hoc refert. Neque enim verbi vis in latino ſermone ſita eſt, quomodocumque efferas, neque in hebræi ſermonis punctis vocalibus, ſed in etymologia, quæ manet eadem, vtcumque pronunties. Ceterum ſi quis hoc nomen reformidat, per me licet Iudæos imitetur, et vbi Iouam inueniet, legat Dominum, ſicut illi Adonai. Hoc quidem commoditatis habebit in translatione noſtra, quod non dubitabit, vbi Ioua, vbi Adonai ſcriptum ſit in hebræo, quod faceret, ſi Iouam interpretati eſſemus Dominum.

6. *Exhalauit ex terra vapor*) videlicet die tertio, quum iuſſit Deus ſtirpes naſci.

16. *Eique ita præcepit.*) Vtrumque adloquitur. Nam et cap. 1. vbi res eadem breuiter attingitur, dicitur Deus eis, non ei, eſum permiſiſſe ſtirpium; et capit. 3. Eua plurali numero dicit, Deus nos guſtare vetuit; quemadmodum Lotus reſpicere prohibetur, quum tamen id ad vxorem quoque pertinere, pateat ex pœna. Eſt autem hic narrationis ordo. Adamum Deus finxit: deinde adductis ad eum beſtiis, Euam formauit: poſtea eos in pomarium intromiſit, vbi fructuum eſum permiſit, quæ omnia die ſexto facta ſunt.

17. *Nam ſi ea veſceretur.*) ביום pro ſi ponitur et alias ſæpe, et 4. Ruth. et 2. Reg. 2.

23. *Os de oſſibus, et caro de carne.*) Poteram vertere (vt et primum feceram) membrum de membris, et corpus de corpore. Nam עצם et בשר non ſemper os et carnem, ſed ſæpe membrum et corpus ſignificant vt Pſalm. 6 et 37. vbi dicit vates, ſe oſſibus et animo ægrum eſſe. Neque enim ægrota ſunt oſſa, quæ quum neruos non habeant, non ſentiunt. Et in Leuitico ſæpe iubet Deus homini lauare carnem ſuam, id eſt corpus. Quid illud quod verterunt, Oſſa mea ſicut cremium aruerunt? Nam membra morbo, non oſſa, areſcere dicuntur. Item, Et exſultabunt oſſa humiliata: id eſt, membris et corpore exſultabo. Iam mulier viri membrum, et corpus de viro ſumtum recte dicitur, quæ et integrum corpus eſt, et caput habet virum. Itaque Paulus. 1. Cor. 6. ſic interpretatur, nam et μέλη, hoc eſt membra vocat, quæ hic verbo עצם declarantur, et σῶμα et σάρκα idem vocat: ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ, ἓν σῶμά ἐστιν· ἔσονται γάρ, φησιν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. Quod ad verbum ſic ſonat: Qui copulatur cum ſcorto, vnum corpus eſt. Erunt enim, inquit, duo in carnem vnam. Sed quia ex oſſe, id eſt ex coſta, facta eſt Eua, malui ſic transferre.

23. *Hæc vocabitur mulier.*) Hebraici verbi ea ratio eſt, quaſi tu a viro dicas viraginem. Et paullo poſt quod vxorem vertimus, idem verbum eſt. Sed quia mulier pro vxore latine dici non ſolet, eum hebræum verbum vti iusque ſit commune, alio nobis vtendum fuit.

CAP. III. v. 16. *Aerumnis.*) הרן eſt pariendi dolor, qui græce ὠδὶν vocatur: nos eius proprium nomen non habemus.

20. *Viuentium omnium mater*) Hebræis homines a vita aliquando denominantur, Latini mortales appellant. Sed hic propter nominis rationem mortales dicere non licuit. Adde quod in nomine Viuens, ſiue de homine, ſiue de Deo dicatur, multa poſſunt intelligi, quæ in nomine mortalis non poſſunt.

22. *Periculum eſt ne*) Ad verbum, Etiam ne: quæ reticentia eſt. Hoc modo loquuntur aliquando Galli. Tale eſt illud Matth. 25. μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν, ne forte non ſatis ſit nobis et vobis. Et illud Roman. 11. μή πως οὐδὲ σοῦ φείσηται, et Ariſtot. ἠθικ. νικο. ἐν τῷ κ. cap. 1. μήποτε δὲ τοῦτο οὐ καλῶς λέγεται. et cap. 3. μήποτ' οὐ λέγουσι τὸ αἴτιον.

CAP. IIII. v. 7. *Certe ſi recte facies, litabis*) Hebraice: ſi recte facies, elatio: ſcilicet erit, id eſt impetratio; quem hebraiſmum Galli exprimunt, quum dicunt exaltari pro litare, id eſt, ſacrificando aut ſupplicando impetrare, être exaucé. Eſt autem hæc ſententia: certe (hoc enim ſignificat הלוא, nec ſemper eſt interrogantis) ſi recte facies, ſicuti frater tuus, ego te, ſicut eum, reſpiciam. Sin minus, noxa, et peccati pœna, et ipſum adeo peccatum tibi, tamquam foribus accubans, imminet, quod peccatum a tuo pendebit imperio. Nam recte faciendo id ſuperabis, vt tuus frater, qui ab eo non læditur: praue autem faciendo, ſuperaberis. Quare ſi vis fraternæ ſocius eſſe felicitatis, eſto et virtutis. Vt enim qui peccat, ſeruus eſt peccati: ita qui recte viuit, peccati dominus eſt. Huiusmodi locutio eſt Num. 32. Niſi ita feceritis, ſcitote vos in Iouam peccare, futurumque, vt veſtrum peccatum vos inueniat: id eſt, vt pœnas detis. Eſſe autem maſculini generis חטאת, patet ex adiectiuo רבץ, ne quis forte neget cum relatiuo poſſe conuenire.

19. *Qui primus tabernacula habitauit*) Principio paſtores tabernacula habitabant, et ſubinde locum mutabant, ex quo Scenitæ dicebantur, vt eſt apud Plinium. Huius ergo rei auctorem hunc tradit Moſes.

22. *Si quem ego hominem plagis*) Moſes in recenſendis Caini poſteris, inſignia eorum facta aut dicta obiter adnotat. Igitur Lamechi nobile documentum narrat hoc. Homicidium ita nefarium habetur Deo, vt ſtatuerit, ſi quis etiam Cainum hominem fratricidam, occiderit, eum tanto eſſe ſupplicio dignum, vt ſi ſepties mori poſſet, ſepties ſit interficiendus. Quid ergo æquum eſt fieri in cæde hominis non homicidæ? Si ego hominem plagis, ſi quem mortalem vulneribus interficerem (geminata ſententia eſt, vt in ſententioſis dictis fieri ſolet) id eſt, ſi quis hominem aliquem interficeret (vtitur enim prima perſona pro quauis, vt Paulus, vbi ait: ſi linguis hominum loquerer, et angelorum, etc.) cum Cainum, hominem nefarium, occidere tam deteſtabile ſit, vt ſeptuplione ſanciatur, profecto (ſic enim litteram Vau interpretor, quæ ſæpe eſt concludentis, vt Ezech. 33.) in Lamecho, id eſt in eo, qui hominem quempiam non homicidam occideret, pœna eſſet multo grauior. Quod autem verto, Si interficerem, cum ſit in hebræo præteritum: ſciendum eſt, Hebræos præterito vti pro coniunctiuo, vt et alibi fit, et Iob. 3. et Pſal. 44. et Iud. 8. et Ierem. 37. Item quod verto mortalem, in hebræo eſt ילד, a naſcendo denominatum: quod quamquam fere inue-

nem ſignificat, tamen hic non ætatis habetur ratio, ſed naſcendi conditionis, quemadmodum cap. 16. dicuntur omnes ילדי domus Abrahami circumciſi, id eſt omnes, vernaculi, cuiuscumque eſſent ætatis, et Num. 13. ילדי הענק, id eſt, Enaquini; vt ſit idem quod בני הענק, vt paullo poſt dicuntur. Et Eſa. 2. ילדי נכרים, id eſt extranei. Nec abſurdum eſt, omnes natos dicere, pro omnes mortales, præſertim hic, vbi cum eadem ſententia diuerſis verbis iteraretur, quum verbum ſignificantius in priore parte eſſet occupatum, in poſteriore ſatis fuit aliquod poni, quod eſſet cognitum: id quod fit in Pſalmis frequenter. Apud Eſdram quoque lib. 4. cap. 4. ſic legitur: quis natorum poterit facere, vt me interroges de his? id eſt, quis mortalium? id quod ex hebræo videtur eſſe translatum.

CAP. VI. v. 2. *Hominum potentiſſimi*) In hebræo eſt, Deorum filii. Sed vtuntur ſubſtantiuis ſæpe pro adiectiuis, quæ rariora habent: vt ſint Deorum filii, pro diuinis, id eſt, præſtantibus, vt etiam in Pſalm. 82. dii ſiue diui vocantur iudices, et aliorum gubernatores, et Iob. 41. potentes: ſicut Galli a Deo ea denominant, quæ in ſuo genere excellunt: vt ignem Dei pro luculento: hominem Dei, pro diuino et religioſo: quemadmodum et Latini diuinum Platonem dicunt. Filii autem vocabulum ſæpe idem eſt quod homo: vt filii Iſrael, id eſt homines, aut viri Iſraelitæ: filii hominis, id eſt homines, vt Galli dicunt, enfant de Lyon, pro Lugdunenſi: enfant de ville, pro ciue: enfant perdu, pro homine profligato; et Græci, υἷες Ἀχαιῶν, pro Achæis: et ἰατρῶν παῖδες, pro medicis. Sic hoc loco deorum filios putaui appellatos. Si quis tamen veriorem aliquam interpretationem habet, nolo vt meæ hæreat: nam verba ſunt ambigua, et ego dubito.

3. *Non perpetuo contendam.*) Indignum exiſtimauit ſe, qui eſſet animus et Deus, cum hominibus, qui eſſent corporei et mortales, tamdiu rixari. Propterea ſtatuit hominum vitam decurtare. Dicitur autem cum hominibus contendere et pugnare Deus, cum eorum ſceleribus (quibus nihil eſt diuinitati repugnantius) irritatur. Quum igitur homines eſſent, qui et vitam, quam ducebant longiſſimam: et vires, quas immenſas habebant: et multitudinem, qua plurimum poterant, ad omne flagitiorum genus conferrent, et in dies deteriores fierent: ſtatuit Deus huic malo occurrere, præfinito breuiore viuendi ſpatio, vt minus diu viuendo, minus multa flagitia poſſent committere, ſicuti ſolent quædam ciuitates ſuorum magiſtratuum tyrannidem, breuitate aut infirmitate poteſtatis impedire. Sed primum diluuii remedium tentauit, vita ſtatim ad ſemiſſem fere acciſa, non poſt diluuium nati, ante quingenteſimum annum moriebantur, quum ante ſuperarent nongenteſimum. Deinde linguarum fecit diuortia. Poſtremo, quum illa non ſatis eſſent, fecit quod erat minatus. Itaque Abrahamus ſexagenarius ſenex eſt, quum eius tritauus Heber 464 annos vixerit. Habes vitæ breuitatem. Nec impedit, quod nonnulli etiam poſt Abrahamum centum viginti annos exceſſerunt. Nam et multi Moſis tempore octoginta annos ſuperabant, quem tamen vitæ humanæ modum ſtatuit ille Pſalmo 90. Satis eſt enim, hunc eſſe iuſtum et vulgarem viuendi modum: nec ita exiliter ad calculum reuocandi ſunt anni, non magis quam litora. Hunc locum eodem modo interpretatur Ioſephus. Adde quod hæc vnius hominis ætas occulte indicare videtur totius humani generis ætatem, ſi fiant anni Iubilæi.

14. *Ex terebinthina materia.*) Terebinthum tradunt materie eſſe lenta, et fideli ad vetuſtatem, in Syria proceram, apud Damaſcum inſignem: quæ mate-

materies ſola vngi velit, meliorque oleo fiat, eiusque baccas eſſe ſulphuroſas, id quod ad nominis rationem pertinet, nam hæc arbor Gopher, ſulphur autem Gophrit dicitur. His rebus adductus, terebinthum verti. Nam pinus (hanc enim putant eſſe quidam) aliud nomen habet, neque tamen de terebintho prorſus adfirmo, ſed certius nihil habeo.

15. *Longitudo trecentos cubitos pateat, etc.*) Huius arcæ dimenſionis eadem proportio eſt, quæ hominis ſupini iacentis, vt me quidam Italus docuit. Erat enim ea arca imago quædam hominis mortui iacentis, et tamen reuicturi, ac reſurrecturi, qua de re vide 1. Pet. 3. ad finem, item quæ a Paulo ſcripta ſunt de baptiſmo.

16. *Ipſam arcam ſuperne in cubitum abſoluito.*) Hunc locum antea non intelligebam, idque in tribus primis editionibus in margine adnotatum eſt. At nunc in libellum incidi Ioannis Butheonis Delphinatis, impreſſum Lugduni 1559. cuius libri titulus eſt de arca Noe, in quo libello totam arcæ rationem, bene vereque, meo iudicio, explicat, vt hunc quoque locum declarat; itaque ſecundum eius ſententiam locum hunc ſic explano: Facito vt tecti (quo arcam abſolues) culmen adſurgat in vnum cubitum.

CAP. VIII. v. 4. *Super montes Ararat*) Sibylla montem hunc tradit in Phrygia eſſe, his verbis:

> Hinc vbi fatalis trabs huc illucque natauit,
> Murmure cum rauco ponti iactata fluentis,
> Appulit exiguæ terræ, tandemque quieuit.
> Adſurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atræ,
> Arduus alta petens, Ararat quem nomine dicunt,
> Quod fatale fuit illic euadere cunctis.

7. *Emiſit coruum, qui egreſſus reuertit.*) In græco et latino negatur reuertiſſe. Inde natum gallicum prouerbium: Corui nuntium: quo notatur is, qui miſſus non redit. Vtra ſit lectio verior, non adfirmo. Sibylla quidem rediiſſe negat.

CAP. IX. v. 5. *Veſtri quidem ſanguinis, cet.*) Senſus eſt: Hominis necem et in ipſos homines, et in bruta vindicabo, (id quod facit per magiſtratum, quum iubet etiam beſtiam, ſi hominem occiderit, necari) brutorum autem necem in homines non item.

CAP. XVII. v. 18. *Vtinam modo facias, vt propagetur Iſmael.*) Ad verbum ſic: Vtinam coram te viuat Iſmael. Coram autem, aut in conſpectu eſſe dicitur, quod eſt in poteſtate, et ab aliquo efficitur, efficiue poteſt, vt ſupra cap. 13. dicebat Abrahamus Loto: Tota terra eſt in tuo conſpectu: hoc eſt, tibi expoſita eſt, tibi patet, vtere ea tuo arbitratu. Item 2. Paral. 6. Non deerit tibi homo de meo conſpectu, qui ſedeat in ſolio Iſraelitarum: hoc eſt, efficiam, vt numquam deſit de tuis poſteris, etc. Viuendi autem verbum hoc loco de generis propagatione dici, perſpicuum ſit ex iis, quæ mox ad hæc Abrahami verba Deus reſpondet.

CAP. XVIII. v. 3. *Noli me præterire.*) In hebræo eſt: noli tuum ſeruum præterire; ſed hunc hebraiſmum lingua latina reſpuit: gallica retinet, vôtre ſeruiteur. Quod autem vnum ſalutat, id facit, quoniam dominum ſalutare ſingulari numero ſolet hebræa lingua, etiam ſi plures ſint: quod idem poſtea facit Lotus.

7. *Qui eum facere properet.*) Facere vitulum, pro mactare poſitum eſt: quod loquendi genus frequens eſt apud Catonem et Varronem.

10. *Anno vertente.*) In hebræo eſt, Tempore vitæ ſiue vitali, quod (vt arbitror) ſignificat anno proximo: quoniam vita, id eſt, ætas, annis, non

diebus aut menſibus numeratur: Nam et ſuperiore capite dixerat: hoc proximi anni tempore.

13. *Tum Ioua Abrahamo.*) Animaduertendum eſt, hic tres eſſe, genios ſiue angelos: quorum duo Sodomam mittantur, vnus cum Abrahamo loquatur, et Ioua appelletur, neque Sodomam eat: qui quisnam ſit, in Exodi cap. 3. Deo volente dicemus: Homines autem vocantur, quod humanas induerant figuras. Quod autem hic comedunt et bibunt, quum ſpiritus carnem et oſſa non habeant, quæ corporeis paſcantur alimentis, hoc quale ſit, patebit ex Tob. 12. vbi ſic loquitur Raphael: Nam quod me, quamdiu vobiscum verſatus ſum, comeſſe et bibere vidiſtis, ſpecies fuit, quæ veſtris oculis obuerſabatur, quum reipſa neque comeſſem, neque biberem.

30. *Quæſo te, Domine, ne ægre feras.*) In hebræo eſt: Ne ægre ferat dominus meus. Sed hoc in vocatiuum conuerti, vt latino more loquerer: quod idem ſæpe facio.

CAP. XX. v. 4. *Etiamne inſontes interficies.*) In hebræo eſt: Etiamne gentem iuſtam? Eodem modo locutus eſt Virg. Vigilas ne deum gens Aenea? quum de vno loqueretur. Et gallice ſic, Dois tu faire mourir les gens de bien? etiam ſi quis de vno loquatur.

12. *Mea ſoror ex patre eſt.*) Hoc eſt, conſanguinea (ſic enim loquuntur Hebræi) Thara meo patre prognata: ſed non matre mea, nam non eadem matre nati ſunt Abrahamus et Saræ pater Haran. Verum ambiguitas in hebræo ſermone eſt, quæ in latino non eſſet, ſi conſanguinea diceretur.

13. *Sed quum me Deus a domo paterna abſtraheret.*) In hebræo eſt: Quum me dii abſtraherent. Nam quia Dei vocabulum אלהים pluralis eſt numeri, poſitum eſt etiam verbum in eodem numero, vt et infra cap. 35. et 1. Reg. 28. vbi ſic ad verbum loquitur ſaga: Video diuos adſcendentes de terra. Nam eam de vno loqui, patet ex ipſa narratione, quod dicitur Samuelem conſpicata, et Saulus quærit, quæ ſit eius ſpecies. Sic loquuntur et Latini in nominibus ſingulari carentibus, quæ in alienam linguam per ſingularem numerum interdum transferenda ſunt: vt ſi nuptias vertas γάμον aut Hochzeit.

14. *Pecora et boues.*) צאן ouium et caprarum generale eſt, vt græcum μῆλον et latinum balantes, a voce denominatum. Sed quia durius eſſet, malo aut pecora dicere, vt Plinius: aut vtrumque ponere. Quamquam alicubi balantes appellabo, vt ſignificantius interpreter.

16. *Qua tu tui pudoris defenſione.*) In hebræo eſt: Quod quidem tibi erit tegumento oculorum apud omnes, qui tecum ſunt, et apud omnes, et purgationi, ſiue defenſioni. Tegumentum autem oculorum dictum eſt, pro defenſione pudoris: quoniam pudicæ ſolent velari, propter virorum verecundiam: vt Rebecca, quum Iſaaco occurrit: quum impudicæ virorum adſpectum nihil vereantur. Eſt igitur hic ſenſus: Nummos dedi, non tibi, ne videar pretium dediſſe pudoris: ſed tu viro, homini honeſto: qui eos profecto non accepiſſet, ſi te a me corruptam putaret, ne ſuæ coniugis pudorem vendidiſſe putaretur. His nummis volo teſtatum, te a me eſſe integram: atque hoc tibi defenſioni erit, ſi quis forte te vituperet. Quod autem verto, Apud alienos: in hebræo eſt, Apud omnes. Sed quoniam iam dixerat Tuos, hic intelligendum eſt, Alienos: id quod ſæpe fit, vt quum dicit Balaamus, Iſraeliticum populum non habitum iri

inter

Digitized by Google

inter gentes: hoc intelligendum eſt, inter ceteras gentes, et quum iubet Chriſtus, ea nos hominibus facere, quæ nobis fieri velimus: intelligitur, aliis hominibus.

CAP. XXIIII. v. 14. *Ea ſit, quam tu Iſaaco tuo deſtinaſti.*) Meus, tuus, ſuus, noſter, veſter, hebraice dici non poſſunt, niſi vocibus, quæ hæc ſignificant, coniunctis cum nominibus ſubſtantiuis iiſque appellatiuis. Hinc fit, vt ſi coniungenda ſint cum propriis nominibus, addatur aliquod ſubſtantiuum nomen appellatiuum, quod ſit capax pronominis. Itaque ſi dicendum eſt: Iſaacus tuus (vt hoc in loco) quoniam id hebraice dici non poteſt, additur ſeruus, aut cultor: neque enim dici poteſt יצחקך, Iſaacus tuus. Idem fit et in populus. Nam quum dicendum eſt, Iſraelitæ tui, quoniam dici non poteſt ישראלך, dicitur populus tuus. Neque tamen nego, et Iſaacum Dei ſeruum et Iſraelitas populum et eſſe et recte dici. Sed hoc conor oſtendere, poſſe hæc interdum ad latinam conſuetudinem accommodari. Quemadmodum enim, ſi, quod latine dictum eſſet Iſaacus tuus, in hebræum verteretur, ita vertendum eſſet, Iſaacus tuus ſeruus, aut amicus: ita, quod hoc modo hebraice dictum eſt, id ſi latine vertatur, debet Latinorum more dici. Atque vt ille, qui ita latina hebraice redderet, non eſſet reprehendendus: ſic ego, dum et hunc et ceteros hebraiſmos transfero, veniam mihi dari æquum cenſeo. Huiuſmodi loquendi rationes videre licet et in noſtris linguis, nam quod latine dicitur, Saluta Petrum noſtrum: hoc gallice ſic redditur: Recommande moy à notre amy Pierre. Item, Viſit ſuos. Il eſt alle voir ſes gens: et Germanice Er iſt zu ſeinem Völcklein gangen. Nec diſſimile eſt quod dicimus, Sanguinem pauperum bibere, Boire le ſang de pauores gens; neque enim latine recte diceretur, Bibere ſanguinem pauperum gentium.

49. *Si in animo habetis hoc beneficio atque officio dominum meum demereri.*) Quod verti Officio, in hebræo eſt אמת, quod proprie fidem, aut verum ſignificat. Iam vt latine, verum eſt, pro æquum eſt, dicitur: ſic etiam hebraice: אמת. Atqui æquitas iuſtitia eſt, quæ in ſuum cuique tribuendo conſiſtit: in quo ineſt officium, a quo officioſi dicuntur benefici, et qui, quod facere debent, faciunt. Eodem modo loquitur infra capite triceſimo ſecundo.

CAP. XXV. v. 18. *Quum ad obitum vsque ſuis omnibus fratribus inuiſus conſtitiſſet.*) Ad verbum, Contra ſuos fratres omnes cecidit: hoc eſt: vsque ad caſum et mortem perſeuerauit atque ſtetit, vt ſi dicas: In hac ſententia moriar: id eſt, ad mortem vsque perſeuerabo. Adludit enim ad id, quod capite 16. dixerat Hagari angelus, Iſmaelem in fraterna ſimultate perduraturum.

CAP. XXVII. v. 19. *Vt mihi bene preceris.*) In hebræo eſt, Vt mihi bene precetur anima tua. Iam anima pro perſona ſæpe ponitur: vt quum dicuntur in Aegyptum deſcendiſſe animæ 70. id quod Latini dicunt, Capita. Galli hebraiſmum hunc retinent: dicunt enim, Il n'y a ame, pro, nemo adeſt: et, ma perſonne, pro, ego ipſe.

29. *Et ex eadem tecum matre nati.*) Id eſt, fratres, qui hic a matre denominantur, alibi a patre. Eſt autem ſublimius dicendi genus, quam eſt vulgaris oratio. Itaque geminantur ſententiæ, et is adhibetur ſermo, qui apud nos vel poeticus, vel certe non vulgaris eſt.

39. *A terræ pinguitudine aberit.*) Alii vertunt: In pinguitudine erit. Sed quum non poſſit pater Eſao dare, quod Iacobo dedit, idque ipſum Eſaus plo-

ploret, et poſtea fratri propterea mortem minetur, neceſſe eſt, vt hunc locum aliter intelligamus. Iam pater Iacobum frumento muniuerat, et muſto: quod ſi Eſaum ſoli vbertate, et cæli rore munit, eadem confert. Si autem eadem conferre poteſt, quid eſt, quod ille dolet? Quid doleam alterum ſole frui, quum mihi nihil detrahat? Nam quod in epiſtola ad Hebræos ſcriptum eſt, Iſaacum vtrique bene precatum eſſe: fateor, fauſtæ precationis eſſe, quod dicitur Eſaus aliquando viciſſim Iacobi iugum excusſurus. Id quod factum legitur 4. Reg. 8. vbi Idumæi, qui antea Iudæis ſeruiuerant, defecerunt ab eis. Iam, vt verba oſtendamus a nobis eſſe, legitur משמני, id eſt, ab pinguitudine, ſiue ſine pinguitudine: quo modo Pſal. 109. legitur ad verbum: Mihi genua labant præ inedia, meumque corpus tabeſcit משמן, a pinguitudine: hoc eſt, defectu pinguitudinis, et præ macie: et Ier. 48. מכח ſine viribus; et eiusdem 10. מדעת, ſine cognitione: hoc eſt, per inſcitiam; et Lamen. 4, 9. מתנובת שדי, frugum penuria. Latine quoque a aut ab ſignificat abſque et abeſſe: vt quum dicimus, Ab re. et græce, ἀπὸ τρόπου, ἀπὸ πατρίδος, et μελισσάων ἀπὸ νηῶν: et compoſite amens, abeſſe: ἀπογίνεσθαι.

45. *Ne forte vtroque veſtrum orber aliquando.*) Id eſt: Ne ille te interficiat, deinde vel aufugiat, vel capite det pœnas; quo facto, vtroque priuarer. Quod autem verto למה ne, id ſæpe faciendum eſt: neque enim ſemper eſt interrogantis, non magis quam הלוא, vt et multis aliis in locis patet, et 1. Reg. 20. Item quod verto Aliquando, id in hebræo eſt Vno die: quem hebraiſmum habent Galli.

CAP. XXIX. v. 20. *Quod ſpatium ei breuiſſimum viſum eſt, etc.*)

Atqui nox longa, quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus: et piger annus
Pupillis, quos longa premit cuſtodia matrum.

Sed hic ſenſus eſt: Iacobus Rachelem præ amore tanti faciebat, vt ſeptennii ſeruitutem breuem eſſe putaret, qua tantum præmium conſequeretur. Nihil enim durum eſt, quod fit libenter.

CAP. XXX. v. 37. *At Iacobus ex populeis, cet.*) Totius huius loci ſenſus eſt: Virgas ex parte decorticatas, et ideo verſicolores, in alueis ponebat, in quarum contemplatione pecudes ſalirentur, itaque verſicolores fetus ederent. Deinde fetus illos ante ſaliendas pecudes eadem de cauſſa collocabat. Sed ne nihil Labani reliquum fieret, ſi omnis fetura verſicolor eſſet, lacinias, id eſt, greges ſibi ſeparatim ex enato verſicolore pecore faciebat, easque ab vnicoloribus pecoribus ſegregabat, quæ vnicoloria pecora erant Labanis: eaque propterea minus generoſa, quod Iacobus ad minus generoſorum admiſſuram virgas non deponebat, et ideo illa fetus ſui et colore et genere ſimiles edebant.

CAP. XXXI. v. 5. *Qui erat antebac.*) In hebræo eſt: Vt heri nudius tertius: cuiusmodi hebraiſmo etiam Græci vtuntur: χθὲς καὶ τρίτην; et Cato de re ruſtica eo ſenſu dixit, pridie.

50. *Nemo apud nos adeſt.*) Confirmantur pacta hominum teſtimonio: eadem, ſi nemo teſtis adfuit, negari poſſunt. Paciſcitur ergo Laban cum conditione, in hanc ſententiam: Si tu filias meas durius habebis, Deum conteſtor, hæc pacta tam perinde fore, ac ſi nemo hic adeſſet: id eſt, fore irrita. Non abſimile eſt illud: Quod ſcis, neſcis: id eſt, perinde age, ac ſi neſcias.

CAP.

CAP. XXXII. v. 25. *Eius cauum femoris constrinxit.*) Putaui aliquan[illegible] eſſe poplitem. Sed mihi dixit Iudæus quidam, eſſe cauum femoris ad in[illegible]guen, quum eum interrogaſſem, quonam neruo abſtinerent.

32. *Neruo contrahente.*) Quidam neruí membra adducunt atque contrahunt. Hi ſi quo adfectu contrahuntur, vt extendi non poſſint, membra porrigi prohibent. Hinc eſt Iacobi claudicatio, vt propter neruum breuiorem factum femur extendere non poſſet.

CAP. XXXIII. v. 19. *Centum queſſitis emit.*)Queſſitam fuiſſe nummum puto non vilem: id quod tum ex hoc loco coniicio, tum ex Iobi capite vltimo: vbi ſcriptum eſt, Iobo amicos ſingulas dediſſe queſſitas.

CAP. XXXVII. v. 29. *Poſtea Ruben ad puteum reuerſus.*) Ruben (vt narrat Ioſephus hiſtoricus) Ioſepho in puteum demiſſo diſceſſerat, neque venditioni adfuerat. Deinde noctu reuerſus, vt fratrem ſubduceret, eo non inuento, conqueſtus eſt apud fratres, a quibus rem didicit.

36. *Pharaonis eunucho, magiſtro equitum.*) Eunuchos reginis præficiebant reges, homines caſtratos, ne illas ſtuprarent. Sed paullatim obtinuit vſus (ſicut ego ſuſpicor) vt eunuchi dicerentur præfecti, quamuis non euirati; ſicut Latinis ſenatores, quamuis non ſenes. Nam ſi caſtratus erat Potiphar, quorſum ei vxorem? Quod autem magiſtrum equitum verto, non magiſtrum laniorum, aut coquorum, vt alii et Ioſephus, qui ἀρχιμάγειρον: in cauſſa eſt, quod 4. Reg. 25, 8. hoc eodem nomine vocatur Nabuzaradan, cui incendenda Hieroſolyma mandata eſt: quod munus profecto non eſt magiſtri laniorum, aut coquorum. Itaque illic idem Ioſephus rectius vertit στρατηγόν. Nominatur autem Hebræis a mactando רב טבחים, et שר טבחים, fortaſſe, quod ſupplicia ſontibus irrogabat.

CAP. XLI. v. 16. *Sine me, Deus tibi, Pharao, ſalutaria reſpondebit*) Ad verbum legitur: Sine me, Deus reſpondebit pacem Pharaonis. Sed nomen שלום non ſolum pacem declarat, ſed etiam ſalutem: vt eſt in Daniele, in Epiſtola Nabuchodonoſoris: Nabuchodonoſor gentibus, pax vobis multiplicetur: (ſic enim vertunt) id eſt, ſalutem plurimam dicit. Sed de hoc alias. Eſt autem hæc ſententia: Ego tibi ſalutaria reſpondebo, ſed huius reſponſionis auctor erit Deus.

44. *Digitum contra tuam voluntatem proferet.*) Id eſt, quidquam audebit. In hebræo eſt, manum pedemue mouebit. Sed eiuſmodi hebraiſmi ſunt in noſtram loquendi conſuetudinem mutandi: qualis eſt ille cap. 14, 23. Neque pilum, neque calcei corrigiam a te capiam: quod latine dicitur, Ne pilum quidem; item: Neque bonum, neque malum: pro, Ne verbum quidem, aut nihil omnino: et illud, Nec ad dextram, nec ad ſiniſtram: id eſt, nullam in partem: et multa huiuſmodi; quod ideo hic commemoro, ne deinceps eadem mihi ſint ſubinde dicenda.

CAP. XLIIII. v. 1. *Liberaliter cum eo potauerunt.*) In hebræo eſt: Inebriati ſunt: ſed id verbum non ſemper inebriari ſignificat, ſed ea notione dicitur in bibendo, qua ſatiari in comedendo. Et in Eſ. 49. ad finem dicuntur ſanguine inebriari, qui ſanguinem bibunt.

CAP. XLVIII. v. 20. *Per vos bene precentur Iſraelitæ.*) In hebr. eſt: Per te. Sed quum vtrique dicatur bene ominari, et græce dicatur ἐν ὑμῖν, malui per pluralem vertere. Eſt autem hic ſenſus: Opto vobis tantam felicitatem, vt deinceps, qui volet alicui bene precari, veſtra in precando nomina adhibeat.

CAP. XLIX. v. 4. *Non excelles.*) Rubenis erat, fratres, vt ætate, ſic etiam

iam ceteris rebus antecellere. Sed quia patris concubinam ſtuprauit, ius illud amiſit. Neque hoc ſolum de ætatis prærogatiua intelligo, ſed etiam de hominum numero, quo ab aliis ſuperata eſt tribus Rubenia, quod idem Moſes Deuter. 33. 6. prædicit his verbis: Viuet Ruben, non morietur, ſed erit numero paucus.

6. *Eorum nolim aut in fidem vita mea veniat, aut in ſocietatem bonos committatur.*) Quod verto Fidem, in hebræo eſt arcanum. Eſt autem hæc ſententia: Nolim vitam meam eorum arcano (id eſt, fidei: nam quibus fidimus, eorum in arcana et penetralia intrare non dubitamus) committere. Nam mihi facerent, vt fecerunt Sichemitis, quos contra datam fidem peremerunt. Nolim item honorem meum eorum ſocietati concredere; ſunt enim perfidi, qui illis promiſſa non præſtiterint: id quod dedecori eſſet etiam mihi, ſi eſſem eorum ſocius. Loquitur autem per primam perſonam pro quauis, vt ſit hæc ſententia: Non eſt tutum, eis fidem habere vel vitæ vel honoris. Quomodo loquitur Virgilius:

Ne mihi tum molles ſub dio carpere ſomnos, Neu dorſo libeat nemoris iacuiſſe per herbam: id eſt, Periculoſum eſt eo tempore ſub dio dormire aut iacere. Quod autem dicit, Murum ſubruerint: ſignificat eorum nefariam in Sichemam irruptionem. Deinde quod ſequitur, Eos inter Iacobeos diſtribuam: hoc ſignificat: Sunt inter alios diſpergendi, vt minus poſſint ad nocendum coire. Modus eſt loquendi, quum quis dicitur aliquid feciſſe, aut facturus eſſe, quod factum aut futurum dicit. Vt Virg. de Sileno.

Tum Phaetontiadas muſco circumdat amaræ
Corticis, atque ſolo proceras erigit alnos.

Neque enim id faciebat Silenus, ſed factum canebat. Talem figuram inuenies et apud Ezechielem, initio cap. 43.

De Iuda, quod eum catulo leonis ac leoni comparat, vaticinatur de virtute bellica eius tribus. Quod autem dicit, non defuturum de eius interfeminio rectorem: circumlocutio eſt feminis, quod inter femina, id eſt, femora emittitur. Sed hebræa verba ſunt ſignificantia, מבן רגליו, de inter pedes eius (vt ita loquar, docendi gratia) nam pes ſignificat totum crus: quo fit, vt non male vertiſſe videar, Interfeminium. Eadem loquendi ratio eſt Deuteronom. 28. vbi de menſtruis loquitur, inter pedes fluentibus. Eſt igitur ſenſus, non defuturum de eius ſemine, qui regat, ac imperium teneat. Hoc enim ſignificat מחקק, ab חקק decernere. Quod deinde ſequitur, Donec veniat ſoſpitator: in hebræo eſt שילה quod ab שלה deductum ſignificat ſoſpitalem et felicitatis auctorem: id eſt Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, de Iudæ ſemine creatum: cuius in aduentu regnum ad Herodem, hominem alienigenam, id eſt idumæum tranſierat, quum ſemper antea Iudæa tribus aut imperium, aut certe ius imperii habuiſſet: id quod intelligens Herodes, conatus eſt Dauidicam ſtirpem funditus euertere.

Quod de vite dicit, ſiue palma (quæ eadem eſt: eſt enim gemina ſententia) ſignificat immenſam vini copiam, quo Iudæis oculi rubeant (id quod fieri ſolet ex vini potione) nec non lactis, quo bibendo dentes albeant; non quia lacte bibendo reddantur albi dentes in perpetuum, vt vino oculi: ſed quia tum, quum lac bibitur, dentes eo albeſcunt.

14. *Iſſachar aſinus oſſeus.*) Quemadmodum tardus et durus aſinus paſtum nactus, mauult ſarcinis premi, et ſuccumbere, dum paſcat, quam cede-

cedere: ita Iſſachariani malent tributarii eſſe, quam bonam terram nacti deſerere.

16. *Dan populum ſuum vlciſcetur.*) Hoc volunt de Samſone dici, qui in eo ſimilis fuit ſerpentis, quod Palæſtinos ex improuiſo magnis cladibus adfecit. Additur autem, Salutem a te exſpecto Ioua: vbi Iacobus omnium Iſraelitarum nomine dicit, ſe a Samſone illo auxilium exſpectare; nam hoc ſignificat plerumque ſalus. Et de Samſone ita legitur Iudic. 13, 5. Incipiet Iſraelitas a Palæſtinis ſeruare: id eſt, defendere, aut vindicare. Sicut Matth. 1, 21. dicitur, Chriſtus populum ſuum a peccatis ſeruaturus, id eſt, defenſurus et vindicaturus.

19. *Gadus a cuneo diſiicietur.*) Gadus cuneum ſignificat, quæ acies eſt in cunei formam inſtructa. Significat, Gadinos primum victum iri, ſed tandem ſuperaturos.

22. *Fecundus Ioſephus.*) In hebræo eſt, Filius fecundus. Sed filius ſæpe dicitur pro eo, quod Latini adiectiuo declarant: vt filius iræ pro puniendo: filius interitus, pro perdito. Atque id nomen etiam in ſtirpibus dicitur, vt hic. Adludit enim ad arborem, ad fontem ſatam; vt ſit hæc ſententia: Ioſephus ſimilis eſt arbori ad fontem ſatæ, et ideo fecundæ: adeo formoſus, vt eius videndi ſtudio puellæ in muros adſcendant, vt fieri ſolet, quum plenæ ſpectatorum viæ ſunt. Nec ſolum formoſus, ſed etiam fortis eſt, et continens: qui et fratrum et vxoris Potipharis telis, quaſi quodam robuſtiſſimo arcu et brachiis reſtiterit, non ſua vi ille quidem (neque enim potuiſſet euadere) ſed a lacertis, id eſt, præſidio numinis (ſic enim verto אביר quod fortem et inuictum declarat) Iacobi; vnde, id eſt, a quo numine, eſt paſto lapis Iſraelis, videlicet IESVS CHRISTVS, Iſraelitarum et paſtor et fundamentum firmiſſimum. Deinde apertius declarat, quod ſit illud numen. Tui, inquit, lacertorum tori, Ioſephe, corroborati ſunt a Deo patris tui, id eſt meo, qui tibi auxiliatus eſt in tuis rebus aduerſis: ab omnipotente, qui idem te locupletabit omnibus, quæ et cæli temperie, et terræ bonitate (quorum neutrum ſine altero ſatis eſt) procreantur: nec non tum mulierum, tum pecorum fetura atque lacte: quæ tui patris vbertates, quæ quidem montes vbertatis ſuperant (quomodo latine dicimus, montes auri) et voluptatem collium ſempiternorum, id eſt, diutiſſimorum: id eſt, quæ ſunt quam abundantiſſimæ, exundabunt in caput tuum: id eſt, tibi cumulate contingent, qui es fratrum excellentiſſimus: (eius enim fuit ætatis prærogatiua, vt eſt 1. Paralip. 5.) Aequum eſt enim, vt, qui alios virtute ſuperas, eoſdem etiam felicitate antecedas. נזיר enim ab amputando et eximendo ductum, ſignificat eximium, et ex aliis propter excellentiam ſegregatum: vt poſitum eſt Nah. 3, 17. quales erant Nazaræi (quod verbum hinc ductum eſt) homines Deo deuoti, et ex aliorum numero tamquam ſingulares quidam ſepoſiti.

27. *Beniamin ceu lupus prædabitur.*) Significat, fore illam tribum venandi ſtudioſam atque bellicoſam.

EXODVS.

ARGVMENTVM IN TOTAM EXODVM.

Iacobæi in Aegyptum. In eoſdem tyrannus. Obſtetricum pietas. Infantis Moſis proiectio, in aula ſors, idem percuſſor, fugitiuus, in Madiani.

dianitis maritus. Ad iſtum ex rubo Ioua, ad regem mandata. Oſtentorum virga. Deus in Moſen. Regis diritas. Moſis et Magorum miracula. Ranæ, pedes, inſecta, pecoris cædes, puſtulæ, locuſtæ, caligo. Iniuncta præda. Paſcha. Populi euaſio poſt cædem Aegypti. Dei columna. Diuiſum æquor. Regiarum copiarum ſubmerſio. Moſis canticum. Aquæ ex amaris dulces, coturnices, manna, e petra fons. Amalechitarum cædes. Iudices a Moſe. Deus in monte formidabilis. Lex de ſacris, de forenſibus. Terræ quies. Feriæ annuæ. Fœdus cum ſanguine. Tabernaculi forma, membra. Sacerdotium, ſacra. Artificum induſtria. Tabulæ binæ. Vitulus aureus. Moſis indignatio. Tabulæ nouæ. Moſis ieiunium. Pro tabernaculo munera. Tabernaculi explicatio.

ADNOTATA
IN

CAP. III. Qui hic Moſi apparet, idem angelus, aut nuntius, et Ioua et Deus vocatur in hoc capite, et Iudic. 2, 1. Idem Gen. 18, 1. 2. vbi Abrahamo apparet, Ioua dicitur. Idem Hagarem in deſerto errantem, et vt angelus, et vt Deus adloquitur, cap. 21, 17. Idem quum Balaamo in aſina equitanti occurrit, angelus vocatur: et tamen dicit, Balaami iter eſſe contra ſe inſtitutum: id quod Dei, non angeli loquentis eſt. Eumdem Iacobus Gen. 32, 24. 29. et Deum vocat, et angelum. Ac ne ſingula prolixius perſequar, plenæ ſunt exemplorum litteræ: quare hæc res nobis paullo altius repetenda eſt. Principio, qui hic Moſem adloquitur, non videtur eſſe princeps ille, et Chriſti pater Deus: neque enim nuntius dici poſſet, quum neminem habeat, a quo mittatur, neque item angelus: nam Ioua non diceretur, quum hoc ſit proprium Dei nomen, quumque is maiore auctoritate imperet, quam angelum conueniat. Quis ergo eſt? Is profecto, quem Paulus 1. Corinth. 10, 9. dicit a Iudæis fuiſſe tentatum, ideoque eos a ſerpentibus exſtinctos: videlicet Chriſtus, per quem Deus mundum et fecit et regit: quem Sibylla verſibus illis, quos in primum caput Geneſ. poſui, Filium Dei vocat, is eſt, qui Iſraelitas ex Aegypto eduxit, cum quo Moſes et Elias in monte Taburo loquebantur, qui hoc loco Dei nuntius vocatur, quod a patre miſſus eſt: quoniam patris ipſius præſentiam mortales non ferunt. Idem Ioua dicitur ab הויה, quod eſſe ſignificat, quoniam ſemper fuit, ſemper eſt, ſemper erit; ſicut in Apocalypſi cap. 1, 8. dicitur: ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος: eſt enim vnum cum patre, eique coæuus; a quo omnium natura pendet. Eumdem Iouam vocat et Eſaias 40, 3. quum de Ioanne baptiſta loquitur his verbis: Vox clamantis in deſertis, parate viam Iouæ; et paullo poſt verſ. 10. Ecce Dominum Iouam fortiter venientem, etc. Et Dauid Pſal. 68. ſi quis eum diligenter legat, idem Deus dicitur, vt eſt; et vt Thomas Ioh. 20, 28. reipſa victus fatetur, Dominus meus, et Deus meus; et Paulus ad Rom. 9, 5. profitetur: A quibus (inquit) ortus eſt Chriſtus, quod ad corpus attinet, qui eſt ſuper omnia Deus laudandus in ſempiternum. Et angelus Luc. 1, 16. Iſraelitarum Deum appellat. Et Eſaias cap. 9, 6. Deum fortem; et Sibylla quoque eum vocat Deum, his verbis lib. 8. pag. 240. in Acroſtichis de Chriſto.

Rex tibi nunc noſtris deſcriptus in ordine ſummo
Verſibus, hic noſter Deus eſt, noſtræque ſalutis
Conditor æternus, perpeſſus nomine noſtro.

Et in eodem libro Gabriel Mariam adloquens, pag. 256.

Accipe virgo Deum gremio intemerata pudico.
Sic ait: E cælo veniens mortales induit artus.

CAP. IIII. v. 24. *Ioua eum petebat ad necem.*) Moſes vxori, vt videtur, morem gerens (nam ea, quum Iudæa non eſſet, a circumciſione abhorrebat) filium non circumciderat. Eam ob rem Deus eum, tamquam vxori magis quam Deo obedientem, petebat ad necem. Sed Sephora cauſſam intelligens, filium circumcidit, eiusque præputium ad mariti pedes abiecit, maritum ſanguinarium vocans, quod eius vitam filii ſanguine redemiſſet.

CAP. VIII. v. 19. *Digitum eſſe Dei.*) id eſt, manum: pars pro toto, id eſt opus. Sic in octauo Pſalmo, dicuntur cæli opera digitorum Dei: id eſt, manuum.

CAP. IX. v. 6. *Mortuo omnis generis pecore.*) Ad verbum legitur, Mortuum eſſe omne pecus: hoc eſt, pecora omnis generis; non tamen omnia, vt poſtea apparet in grandine et quadrigariis. Hoc pacto Gen. 24, 10. dicitur Abrahami diſpenſator in Meſopotamiam ferre omnia bona domini ſui; et Act. 10, 12. dicuntur in illo vtenſili, quod viſus eſt ſibi videre Petrus eſſe, omnia terreſtria quadrupeda.

CAP. XII. v. 3. *Agnos aut hædos manſionatim ſumant.*) Hebræum verbum vnum eſt, agnorum et hœdorum commune: ſed hic verbi laboramus penuria.

8. *Cum cichoreis.*) Herba eſt Hebræis ab amaritudine dicta, vt et Græcis, qui πικρίδα verterunt. Latini intubum aut cichoreum vocant.

12. *Deque omnibus Aegyptiorum diis pœnas ſumam.*) In hebræo eſt, Iudicia faciam. Sed hominum iudicia ſæpe ab effectu ſunt ſeparata: Dei iudicio et decreto coniunctus eſt euentus rei, quo fit, vt ſæpe iudicium pro vltione, quæ iudicium conſequitur, ponatur: quemadmodum ברך quum de hominibus dicitur, ſignificat bene velle, aut precari: at quum de Deo, ſignificat fortunare et fecundare, quoniam eum Dei voluntate res ipſa coniuncta eſt. Sumſit autem pœnas Deus ab Aegyptiorum diis, quum Aegyptios, qui in eorum tutela erant, ipſis inuitis occidit. Neque tamen dii erant, quum ſit vnus: ſed deos humano more vocat, quidquid illud erat, quod pro Deo habebatur.

29. *Ab ipſius Pharaonis, qui in ſolio ſederet, ad ſeruarum primogenitos.*) In hebræo ſermone dubium eſt, vtrum Pharao, an filius in ſolio ſedere, hoc eſt regnare, aut (ſi de filio) regnaturus eſſe dicatur. Sed quum auctor Pharaonem ancillis, ſummum infimis opponat, non dubium eſt, quin et Pharaonis opus (quod eſt, in ſolio ſedere) ancillarum operi (quod eſt, molam trudere) opponat. Adde, quod præſens participium, quod ſedentem ſonat, pro ſeſſuro non ſatis apte poneretur: Quod autem verti, in ſolio, in hebræo eſt ſolio ſuo, addito pronomine, quod apud nos eſt ſæpe ſuperfluum; ſicuti quod paullo ante dictum eſt, Bacillos manibus tenentes, in hebræo eſt, Bacillos veſtros; et cap. 21, 19. Foras baculo innixus iuerit, in hebræo eſt, Baculo ſuo, et 1. Reg. 18, 7. Saulus mille, decem ſuperauit millia Dauid, in hebræo eſt, Suum mille, et ſua decem millia.

CAP. XV. v. 1. *Iouam canto.*) Hoc eſt, cantamus: ſingularis pro plurali, quod ſæpe fit etiam in prima perſona, non ſolum apud Hebræos, ſed etiam apud

apud Græcos, præſertim in tragœdiorum choris: et apud Latinos, vt apud Liuium initio lib. 9. Decadis primæ.

3. *Ioua vir bellicoſus.*) In hebræo eſt איש מלחמה, id eſt, vir belli. Sed intelligendum eſt, Hebræos adiectiua a ſubſtantiuis non habere, qualia habent Latini. Itaque vectem ferreum dicunt vectem ferri, et domum ligneam domum ligni: vt et Galli, Maiſon de bois. Sic igitur pro viro bellicoſo, dicunt virum belli. Quod autem virum vocat, oſtendit Iouam eſſe Ieſum Chriſtum, qui et Deus ſit et homo: qui etiam Deut. 33, 8. vir appellatur, de quo Matth. 1. Deo volente plura ſcribemus.

CAP. XVI. v. 15. *Man hu? quid hoc?*) Man hu interpretantur Hebræi, donum eſt: ſed non bene, mea quidem ſententia. Primum hoc verbum pro domo nuſquam alibi ponitur, niſi quod volunt mutilatum a מנחה, aut זמן. Sed hoc ludere eſt, vel potius alucinari. Nam hac ratione licebit quoduis verbum de quouis deducere, modo vel vnam litteram habeat cum illo communem. Præterea non dicerent Hebræi, donum eſt, ſed cibus eſt, et quidem cum articulo; non enim donum eis, ſed cibum promiſerat Deus. Ad hæc, quum dicat Moſes, neſciebant enim quid eſſet: oportet in eo eſſe dubitationem et ignorantiam; quæ nulla eſſet, ſi dicerent, donum eſt. Sed bene verterunt Græci, et Hieronymus, Quid eſt hoc? cuius interrogationis ratio ſubiungitur, Neſciebant enim quid eſſet. Nec obeſt, quod man, non mah, legitur; eſt enim idem, vt in Pſ. 61. legitur. Eodem modo interpretatur Ioſephus, *τι τȣτ’ ἐςι·* Illud obiter dicam, manum veteres Latinos appellaſſe bonum, teſte Varrone: quod verbum videtur a manua deductum.

CAP. XVII. v. 16. *Quia Iouæ manus ſigno admota eſt.*) Ad verbum ſic legitur, Quia manus ad ſignum Iouæ: bellum eſt Iouæ cum Amalechitis in ſempiternum. Reddit autem rationem nominis aræ, quam יהוה נסי vocauit, a נס quod eſt ſignum, id eſt vexillum. Nam quod in hebræo legitur כס, mendum eſt, tum quia nominis ratio non redderetur, quia nomen Iouaniſſi non a כס deductum eſt, ſed a נס: tum quia כס nihil ſignificat, quamquam volunt poſitum pro כסא, id eſt ſolio: ſed et puncta mutant, et vocem mutilant, et etymologiam atque ſenſum peruertunt: neque vllum locum habent, vbi ita ſit poſitum, niſi hunc: qui quum ſit controuerſus, teſtimonio eſſe non poteſt. Iam quam facile נ in כ degenerauerit, ex figuræ ſimilitudine intelligi poteſt. Ioſephus quidem mecum facit, qui dicit, Deum a Moſe *νικαῖον* nominatum, nimirum a victoria, quæ ſigna comitatur: niſi forte a נס *νικαῖον* dixit, ס in *κ* mutato: ſicut a פסח *πάσχα*, eadem litteræ mutatione, ſed adſpiratæ: quæ ratio meæ lectioni conſentit. Eſt autem hic ſenſus: Ioua manum ſigno admouit, ad Amalechitas delendos in ſempiternum.

CAP. XIX. v. 23. *Certos ei terminos ſtatuimus.*) Ad verbum ſic legitur: Tu nos admonuiſti his verbis: Defini montem, eumque luſtra. Atqui non montem Deus definiri et luſtrari iuſſerat paulo ante, ſed populum; itaque non ההר, ſed העם legendum videtur.

C. XX. v. 4. *Simulacrum vllius rei quæ exſtet.*) Ad verbum in hebræo ita legitur: Ne facito tibi ſimulacrum, et vllam figuram, quæ ſit in cælo. Sed hoc ſenſu caret: non enim ſit figura, quæ eſt in cælo, ſed ſit ſimulacrum figuræ, id eſt rei adſpectabilis, quæ eſt in cælo. Itaque emendatius legitur Deut. 5, 8. vbi ſine coniunctione ו legitur, לא תעשה לך פסל כל תמונה Ne facito

to tibi ſimulacrum vllius figuræ, ſiue rei adſpectabilis: cuius verbi vim expreſſimus verbo Exſtet. Eodem modo ter loquitur Deut. 4. Nec diſſimile eſt illud Plin. 1. c. 3. Quoniam inde (ſcilicet ex cælo) deciduis rerum omnium ſeminibus innumeræ in mari præcipuæ, ac plerumque confuſis monſtrificæ gignantur effigies. Hæc Plinius, effigies vocans animalia ipſa effigies habentia. Quod autem in hebræo eſt Tibi, ſuperuacaneum eſt, vt fere fit: vt quum ſæpe dicitur לך־לך. I tibi, id eſt i: quod Galli bene dicunt, Va ten. Huius autem hebraiſmi ſimile habent Latini, ſed in prima perſona: vt apud Horat. Quid mihi Celſus agit? Nonnumquam et in ſecunda, vt apud Ciceronem pro Sexto Roſcio: alter tibi deſcendit de palatio et ædibus ſuis. Igitur, Ne mihi feceris ſimulacrum: dici poſſet gallice: Ne me fay point d'image.

CAP. XXI. v. 13. *In eum forte fortuna incurrerit.*) In hebræo eſt, Deus eius manui iniecerit. Sed Deus pro fortuna hebraice ideo dicitur, quod, quæ putant homines caſu fieri, vtpote quæ non præuiderint, ea Dei prouidentia fiunt, cui nihil fortuitum eſſe poteſt. Græci quoque δαίμονα pro fortuna dicunt: inde εὐδαίμων, felix: et κακοδαίμων, infelix: et Cicero teſtatur, Deum fortunam vocari.

CAP. XXII. v. 29. *Fruges et liquorem tuum ne auertito.*) In hebræo eſt, Plenitudinem et lacrimam tuam: id eſt, fructus ſiccos et humidos, vt oleum et vinum, quorum prohibet decumas retineri.

CAP. XXIII. v. 12. *Natus ancillæ tuæ*) id eſt, ſeruus tuus. Sicuti columba natus, id eſt columbus: filii hominum, id eſt, homines.

15. *Azymalia ſeruato*) Sicut Latini veteres agonalia, floralia, liberalia, et cetera dixerunt: ego mihi fas putaui, azymorum feſtum azymalia dicere, meſſis meſſalia, conditionis conditalia.

CAP. XXV. v. 5. *Ligna cedrina.*) עצים שטים tradunt nonulli ligna eſſe cedrina: et recte, ſicut ego iudico. Quum ſit enim cedrus et odore ſuauis et tempore æterna, et cariem numquam ſentiat, non video, quo ligno melius hæc fieri potuerint. Græci quoque verterunt ξύλα ἄσηπτα, ligna imputrefacta: quod idem ſecutus eſt Ioſephus, quæ natura nulli magis conuenit, quam cedro. Sed quum ſint eius duo genera, puto hic de cedro magna dici, quæ cedrelate dicitur. Nam altera ארז vocatur.

16. *In ea arca oraculum, quod tibi tradam, ponito.*) עד non ſolum teſtari aut teſtificari ſignificat, ſed etiam monere, vt eſt poſitum ſupra cap. 19. Hinc διαμαρτύρεσθαι pro admonere dicitur, vt 2. Tim. 2, 14. Quum autem de Deo dicitur, ſignificat oraculum reddere, quod eſt Dei monitum et reſponſum, quomodo et hic, et cap. 29. et 30. ponitur: hinc עדות, quod nos oraculum vertimus, id eſt Dei præcepta, quæ in arca repoſita fuerunt: hinc tabernaculum oraculi ſiue oraculare.

17. Propitiatorium eſt arcæ operculum, ex quo Deus reſponſa dabat, et ſe propitium præbebat, vnde et propitiatorium eſt appellatum: quod verbum Ioſephus quidem ἴκτωμα interpretatus eſt, et nos eum ſecuti primo tranſtuleramus operculum: ſed poſtea ab amico quodam docto viro moniti, et ſimul intelligentes ipſi in hoc verbo ineſſe vim, repoſuimus propitiatorium, quod verbum tametſi minus apud latinos auctores vſitatum eſt, ferri tamen debet, quum et neceſſarium ſit, et ea forma dicatur, qua apud Latinos repoſitorium, et alia multa dicuntur. Erant autem in vtroque huius operculi extremo ſinguli Cherubi, ex ipſo facti: atque ipſum operculum circumdabat corona, quam intelligendum eſt in

limbo factam, qui extra arcæ amplitudinem procurreret, vt poſſet operculum cingere corona, quod erat pari cum arca longitudine ac latitudine.

30. *Panem appoſititium.*) פנים præſentiam aliquando ſignificat, vt 2. Reg. 17, 11. et Exod. 32, 1. Deum hortatur Moſes, vt eius facies, id eſt, vt præſens ipſe cum Iſraelitis eat. Hinc panis appoſititius, qui præſens ſemper et præſto erat, et Iouæ appoſitus: nam eo propter vetuſtatem ſublato, continuo ſupponebatur alius.

31. *Item candelabrum.*) Exſtant adhuc Romæ in arcu Titi Veſpaſiani ſculptum tale candelabrum et quædam alia, quæ ille Hieroſolyma Romam deportauerat.

38. *Earumque forcipes.*) Forcipes voco, quibus emunguntur lucernæ: foculos, in quos conicitur, quod emunctum eſt.


Quæ ſequuntur de tabernaculo, ſunt obſcuriora. Ea nos ſic docebimus, vt primum de aſſeribus, deinde de linteis, et ceteris alio ordine, quam ſcripſit Moſes, doceamus: quoniam alioquin res eſſet obſcurior. Igitur משכן ab habitando deductum, aliquando ſignificat totum, quod hic deſcribitur, tabernaculum, vna cum ſuo atrio: aliquando eam partem, quæ cellam et penetrale continet: ſicut apud Ezechielem היכל modo totum templum cum atriis, modo ſolam ædem notat. Nos tabernaculum vertimus. Id aſſeribus circumdabatur octo et quadraginta ad latus dextrum viginti, ad ſiniſtrum totidem: ad occidentem, octo. Ad orientem pro aſſeribus erant quinque columnæ. Hi aſſeres quum eſſent latitudine ſingulorum cubitorum ſemis, efficiebatur, vt eſſet tabernaculi longitudo cubitorum triginta: latitudinem tradit Ioſephus duodecim. Sed hoc quale ſit, videamus: nam ſi octo latitudinis aſſeres ita collocentur, vt ſint intra tabernaculi longitudinem, tantum de eius longitudine detrahent, quam erunt ipſi lati: ita fiet, vt non ſit tabernaculi longitudo, præter craſſitudinem aſſerum latitudinem efficientium, cubitorum triginta, et tamen latitudo erit duodecim. Quod ſi deinde tabernaculum partitus, decem eius cubita penetrali tribuas, neque ipſum penetrale erit quadratum, neque linteorum, quæ poſtea traditur ratio, quadrabit, neque reliquæ partis (quam hic cellam vocamus) longitudo erit latitudinis dupla: quod tamen vtrumque fit et in Solomonis templo, 3. Reg. 6. et in Ezech. 41. quod vtrumque templum ad huius tabernaculi proportionem eſt constructum. Quamobrem ita collocandi ſunt aſſeres, qui longitudinem efficiunt, vt diſtent ſeptemtrionales a meridianis decem cubitos: occidentales autem ab orientalibus columnis triginta cubitos: ita vt eorum duo extrema cubita conſumantur in illorum craſſitudine, extra illorum longitudinem collocata: cuius longitudinis, ſi decem cubitos tribuas penetrali ad occidentem, erit et ipſum penetrale pariter quadratum, et cellæ latitudo dimidia longitudinis, quæ proportio eſt et Solomonis et Ezechielis templi. Cur autem aſſeribus cubitalem ſpiſſitatem tribuam, quum Ioſephus tantum quatuor digitos tribuat, in cauſſa eſt illa, quam dixi, latitudinis ad longitudinem ratio, quam Ioſephus quoque ſed obſcure indicat, de angularibus aſſeribus loquens his verbis: Duas alias columnas faciunt ex vno cubito diuiſas, quas angulares poſuerunt. Quibus verbis videtur ſignificare, duarum illarum columnarum angularium (columnas enim vocat, quos nos aſſeres) ſingulos cubitos ad longitudinis aſſeres applicari: dimidios autem cubitos reſiduos accedere ad nouem cubitos ſex aſſerum, et efficere, vt ſit latitudo intus cubitorum decem. Quod autem

autem ſcribit Moſes, angulares aſſeres in imo et in ſummo ſimul vno annulo coaptari, ſignificat extremos latitudinis aſſeres cum extremis longitudinis aſſeribus coniungi, idque fieri et in infima et in ſuprema parte, vt ita inter ſe firmius hærerent.


CAP. XXVI. Quoniam ineſt in Moſis oratione multa obſcuritas, proponamus in plano lintea, deinde Moſis verba declaremus.

LINTEA IN PLANO EXPLICATA.


A lintea quinque inter ſe conſuta: B altera. CD longitudo duodetriginta cubitorum. CE latitudo quaternum cubitorum. FG ligulæ, per quas fibulæ coniungebant lintea. Quod autem dicit Moſes, *Ligulas hyacinthinas facito per oram lintei, quod erit vltimum in vna parte commiſſuræ*: ſignificat eas ligulas, quæ ſignantur littera F. ſimiliterque in ora vltimi lintei G, quod vltimum ex quinque eſt, ſi numerare incipias ab M alterius commiſſuræ, hoc eſt, alterius partis linteorum committendorum: qualem loquendi modum declarabimus in 2. Reg. 12. nam vna eſt commiſſura. Si enim eſſent duæ, aut non eſſent quina lintea (nam in duabus commiſſuris eſſent tres partes linteorum, videlicet media, et duæ vltimæ: ita fierent vndecim lintea, ſiquidem eſſent quina) aut copularentur vtrimque, vt efficerent ſaccum, coniunctis I cum K, et L cum M: id quod neque tegendi tabernaculi ratio patitur, neque verba Moſis. Tradit enim bis quinquaginta ligulas, quam



ſibulas ſiue vncos tradat tantum quinquaginta: ex quo perſpicuum fit, ſingulas fibulas binis adaptari ligulis, atque ita fieri vnam linteorum coniunctionem. Ceteræ autem quinorum inter ſe linteorum coniunctiones quatuor, non fiebant fibulis, ſed ſutura. Imponebantur autem ita tabernaculo, vt linteorum longitudines eſſent ſecundum tabernaculi latitudinem: ex quibus quod redundaret, id in latera deflueret, videlicet in vtrumque octoni cubiti. Quum enim eſſent lintea longa vicenos octonos cubitos, tabernaculum autem duodecim cubitos, numerata in latitudine etiam aſſerum craſſitudine, quæ et ipſa a linteis tegebatur, redundabant in latera ſexdecim cubiti, qui ex duodecim ſupererant hoc pacto:



Eſto tabernaculi latitudo a b, altitudo c b; ſi latitudini imponas linteum longum duodetriginta cubitos, ſupererunt ab a ad d octo cubiti in latus ſeptemtrionale dependentes: itemque a b ad e totidem in meridianum; vt ſit lintei longitudo d a b e. His linteis imponebantur ſtragula linteorum longitudinem vtrimque vno cubito excedentia, quippe longa tricenos cubitos, f a b g. Et hæc de tabernaculi latitudine. Longitudinem autem occupabant linteorum latitudines, quæ quum eſſent decem, lata quaternos cubitos, efficiebat vniuerſorum latitudo longitudinem cubitorum quadraginta, quorum triginta duobus in longitudine tabernaculi occupatis, ſuperabant ab oriente quatuor, ab occidente totidem: hoc eſt, ſingula lintea, quæ penderent. Sit enim a b tabernaculi longitudo: huic ſi imponas lintea longa quadraginta cubitos, erit linteorum longitudo c a b d, vt ſint a c quatuor cubiti, b d totidem, a b triginta duo.



His linteis (vt ante dictum eſt) imponebantur ſtragula eadem ſingulorum latitudine, ſed vniuerſorum longitudine (nam de ſingulorum longitudine iam dictum eſt) maiore: erant enim vnum et triginta; itaque ſuperabant de eis ad orientem ſex cubiti, ad occidentem totidem, vt eſſet eorum longitudo e a b f, ſuperarentque linteorum longitudinem binis vtrimque cubitis, hoc eſt, dimidiis linteis, c e, et d f; ſed ab oriente, qua frons erat tabernaculi, d f replicabatur ad g, vt pateret aditus; a tergo autem c e pendebat. Et hæc quidem de tabernaculo, ex quibus Moſis verba poſſunt intelligi.

CAP. XXVII. v. 4. *Eius autem focum cet.*) Quod hic de aræ foco dicitur (ſic enim vertit Ioſephus et Septuaginta מכבר) cratis erat ærea, reticulata, quæ intus in altari, quod erat cauum, collocata, exciperet ligna ſacrifica: et iis exuſtis, tranſmitteret carbones ad terram (vt docet Ioſephus) et ſubter aræ contracturam collocata, ad medium aræ pertingeret: hoc eſt, altitudinem haberet dimidiam altitudinis aræ; hoc eſt, eſſet alta vnum cubitum,

bitum, et dimidium. Vnde et aræ contracturam, (quæ, qualis eſſet, ex deſcripta apud Ezech. ara cap. 43. intelliges) in medio altitudinis eius ſpatio collocamus, quod nimirum focus, qui huic ſubeſt, eo vsque attollitur, ſed quantum recederet, ex Moſe ſciri non poteſt. Eſt autem כרכב a רכב deductum, hoc eſt ab inſidendo aut incumbendo, quod retractio ſit eiusmodi, vt in eo quaſi ſederi poſſit.

CAP. XXVIII. v. 28. *Hyacinthinæ vittæ*) quæ adnectebantur annulis in monilis interiore parte adfixis, et anteriori parte, a pectore ſuper ephodi textum ductæ ſubter axillas, ibi adligabantur annulis, qui ſub axillis erant in coniunctione humeralium, id eſt, vbi coniungebatur dorſi ephodi pars, cum parte pectoris, qui annuli prodibant ſub poſteriore parte ephodi; qui quidem vittarum nexus efficiebat, vt hæreret monile ephodo: quod alioqui remoueretur, et laxum propenderet, ſi quando Pontifex eſſet prono corpore: quippe tantum ſuperius adligatum, et recta ad terram pendens.

CAP. XXIX. v. 41. *Vt eo rei diuinæ odore Ioua deleniatur.*) Quod rem diuinam interpretor, in hebræo eſt אשה, quod verbum ab igne deductum ſignificat rem diuinam, ſiue ſacrificium, ad quod adhibetur ignis. Sed nos, quod idem plane valeat, verbum non habemus: nec neceſſe eſt ignis nominatim facere mentionem, quum in ſacrificii deſcriptione comprehendatur. Alicubi verto flagrantiam.

CAP. XXX. v. 9. *Neue ſolido ſacrificio, aut ferto fieri: neue vinum prolibari.*) עלה holocauſtum eſt, græce ita dictum, quod tota victima vreretur. Itaque nos fere ſolidum ſacrificium interpretamur: ſed ponitur ſæpe pro hoſtia, ſeu victima. Itaque pro ratione ſententiæ ſumus interpretati. זבח autem ſacrificium ſignificat, in quo victima pollucebatur, id eſt, comedebatur. מנחה munus erat dapale, a ducendo ſiue ferendo denominatum, ſicut latine a ferendo fertum, quo Perſius vtitur, et Cato de re ruſtica: vnde ferta facere, aut dapem facere, fertum obmouere. Aliquando ſignificat munus, ſiue id Deo fiat, vt Geneſ. 4. ſiue homini, vt Geneſ. 33. Nos, vt poſtulat ſententia, ita vertimus.

13. *Iouæ honorarium.*) רום proprie attollere eſt, ſed aliquando excipere et ſeponere, vt etiam gallice leuer: vt poſitum eſt Ezech. 45. et 48. vbi terræ pars Deo excepta, vocatur Iouæ תרומה, hoc eſt honorarium, vt nos hic vertimus. Neque enim regio attollebatur, ne quis forte contendat verbum hoc vertendum eſſe ſuperſtitioſius per attollo, aut effero. Atque eodem modo poſitum eſt et Prouerb. 29. Hinc pectuſculum exceptitium: hinc Exceptitia dicta ſunt, quæ Deo deſtinabantur, atque excipiebantur.

24. *Iris quingentos.*) קדה caſiam interpretatur. Sed caſiam Hebræi eodem nomine, quo Latini appellant, vt eſt in Pſalmo 45. Itaque malui hic Ioſephum imitari.

C. XXXIII. v. 14. *Egomet præſens ibo*) פנים ſignificare præſentiam, iam ſupra notatum eſt: hinc dicit Deus, faciem ſuam ituram vna, id eſt ſemetipſum: hinc Moſem adloquitur פנים אל פנים, id eſt, coram, et præſens præſentem.

CAP. XXXIIII. v. 6. *Ad auxilium propenſus.*) אמן fidem ſignificat. Iam fides etiam latine pro auxilio et tuitione dicitur: quum dicimus implorare fidem alicuius, et fidem tuam obſecro: et in fide alicuius eſſe, id eſt, in tutela.

LEVITICVS.

ARGVMENTVM IN TOTVM LEVITICVM.

Ad Iouam varia munera. Sacri ritus, libamina, in iis damnata. Primitiæ. Sacra pro noxis perſonis. Sanguis abominandus. Conſecratio ſacerdotum. Aharonis interemti filii. Conceſſa ad eſcam animalia. Puerpera, Circumciſio. Corporis vitia. Preces, Ieiunia, Morticinium. Damnati concubitus. Leges et ſacræ et ciuiles. Annua feſta, ſpicilegia, vmbracula, Iubileus annus. Soli requies, Seruitus, Manumiſſio. Idola, vota, decumæ.

ADNOTATA

IN

CAP. IIII. v. 3. *Si ſacerdos inunctus deliquerit in noxiam populi.*) Id'eſt, cuius delicto etiam populus teneatur: ſicut capitis aut cuiusuis membri morbus ad totum corpus pertinet: et ſicut Achanis aut Dauidis peccatum toti populo nocuit.

13. *Sin autem cuncta Iſraelitarum reſpublica.*) עדה et קהל, quæ multitudinem et concionem interpretantur, fere eamdem notionem habent, ſignificantque rempublicam et ciuitatem, quam Græci πόλιν vocant, quæ eſt (definiente Cicerone) hominum cœtus iure ſociatus; atque ita interpretatur Ioſephus Antiq. 3. vbi tradit, Moſem leproſos exegiſſe τῆς πόλεως, id eſt, ex aliorum cœtu et ciuitate.

CAP. V. v. 7. *Duo columba natos*) id eſt, columbos: vt בן היונה pro ſtruthione. Sic Varro lib. 1. de re ruſt. Colonus in agro ſurculario, ne capra natum paſcat: hoc eſt, caprum. Id autem citat ex lege colonica, vt intelligas priſcum latinorum ſermonem propius ad hebræum acceſſiſſe.

C. XI. v. 3. *Quæcumque diuiſas vngulas habent, et biſulca ſunt.*) מפרסת, פרסה id eſt, quod diuiſis eſt pedibus in duas fiſſuras, ſiue in plures. שסעת שסע autem, quod biſulcum eſt. Igitur quæ biſulca ſunt et ruminant, ea ad eſum permittuntur. Quod autem hoc in loco lepus et cuniculus negatur eſſe פרסה מפרסת, hoc ita intelligendum eſt, ſi coniungas, quod in propoſitione poſitum eſt. שסעת שסע; vt ſit hic ſenſus: Lepus non diuiſas habet vngulas, id eſt, non habet id, quod ego poſui in propoſitione, vt fiſſis pedibus ſit, idque in duo. Hæc cauſſa fuit, vt ego ſic verterem. Atque ita eſſe facile intelliget, qui totum hoc caput, et Deuter. decimumquartum, diligenter excutiet. Tale quid inuenies Eſa. 58. et Ezech. 21.

CAP. XIII. v. 12. *Sin autem lepra effloruerit.*) Lepram vocat, id quod lepræ ſuſpicionem facit, quamdiu de eo dubitatur: quamuis lepra non ſit, vt paullo poſt apparet: atque hoc modo ſæpe loquitur.

48. *Siue in exteriore parte, ſiue in interiore*) שתי et ערב verterunt ſtamen et ſubtegmen. Ego non poſſum intelligere, quomodo poſſit macula in alterutro tantum ineſſe, quum ea duo ita inter ſe mixta ſint,

vt

vt alterum ſine altero lepra infici non poſſe videatur. Arbitror hic ſignificari faciem panni exteriorem, quæ oculis ſubiecta eſt: et interiorem, quæ villoſior, et minus elegans eſſe ſolet, vt vulgo in laneis pannis et mappis videmus.

CAP. XVI. 7. *Capros caprinos.*) Solent in hebræa lingua voces quædam poni, ſuperuacaneæ illæ quidem, ſed non ſine antiquitatis venuſtate: vt volucres aeriæ, et piſces aquatiles, pro volucres et piſces: vt poetæ niuem albam, et glaciem frigidam vocant. Sic hoc in loco capri caprini dicuntur, pro capris. Nec diſſimile eſt illud, Populi Romani Quiritium. Ego ab antiquitatis maieſtate abhorrere nolui: neque tamen ſemper ita verti.

CAP. XX. v. 17. *Et alter alterius verendis fuerit potitus*) id eſt, rem habuerint inter ſeſe. Eſt autem in hebræo: verenda viderint. Sed videre ponitur ſæpe pro conſequi, aut ſentire: vt, Videre corruptionem, videre terram a Deo promiſſam.

CAP. XXI. v. 4. *Ne in principis quidem*) Videtur in hebræo vna littera tranſpoſita, legendumque בבעל עמיו non autem בעל בעמיו. Nam et Hieronymus ita vertit, et hoc ſententia poſtulat, quum hic non principi, ſed ſacerdotibus præcepta dentur.

CAP. XXIII. v. 24. *Sabbatum monetum*) Hoc adiectiuum a monendo deduxi, quomodo latini Iunonem monetam dixerunt.

40. *Perſeæ fructum, palmarum ſpadices, cet.*) Hoc in loco ſecutus ſum Ioſephum, qui hæc etiam oculis ſæpe vſurpauerat. Is igitur Antiqu. 3. cap. decimo de his ita ſcribit: *Φέροντας ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην, μυρσίνης καὶ ἰτέας σὺν κράδη φοίνικος πεποιημένην, τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος*: Manibus ferentes (inquit) myrti, ſalicisque ramum, cum ſpadice palmæ apparato, adhærente Perſeæ pomo. Perſea in hebræo vocatur arbor generoſa, myrtus autem folioſa: quod hæc æternis eſt foliis, illa præterea fructibus ſemper ſubnaſcentibus aliis. Quamquam idem Ioſephus et citriis vſos tradit, Antiq. 13. cap. 21. quod fortaſſe ſumſit ex 2. Eſd. 8. vbi citatur hic locus: in quo Eſdræ loco, Hadas videtur eſſe citrus; ſit et ibidem mentio oleæ et cupreſſi, quæ hic non commemorantur.

N V M E R I.

ARGVMENTVM IN TOTVM LIBRVM NVMERORVM.

Iſraelitarum cenſus. Tribuum duces. Hebræorum agmina. Leuitarum officia. Nazaræi. Paſcha in deſerto. Tubæ binæ. Copiarum ordines. Populi tumultus. Moſis infirmitas. Coturnices. In Moſem Aharon et ſoror. Exploratores. Murmuratorum pauor, mors. Populi cædes. Libamina. Rebelles interemti. Virga Aharonis germinans. Leuitarum decimæ. De petra aqua. Mors Aharonis. Balaam. Tribuum ſedes. Leuitarum vrbes, et profugii. Homicidii, iubilæi ac nuptiarum leges.

ADNOTATA.

CAP. XIII. v. 24. *Ad fluuium Eſcolem*) נחל non ſemper torrentem fluuium, ſed ſæpe perennem ſignificat. Itaque hoc nomine vtitur alibi Moſes, quum de Arnone loquitur, quem Ioſephus ποταμὸν, id eſt fluuium vocat. Antiquit. 4. cap. 4. et 1. Machab. 5. idem χειμάῤῥος et ποταμὸς vocatur.

CAP. XXI. v. 15. *Ad flumina Arnonis*) id eſt, ad Arnonem flumen: vt apud Virgilium, Ad flumina Thermodontis, Aeneid. 11. vt Pſal. 74, 15. Iordanis vocatur flumina: quomodo poetæ ſæpe ora et colla dicunt, pro ore et collo.

*24. *Nam Ar terminus eſt Ammonitarum*) In hebræo ער legitur, ſed mendoſe, vt ego coniicio, tum quia hic legitur in græco ἀῤῥὴρ, quod exit in r: tum quia Deut. 2, 18. idem locus Ar vocatur, inter Moabitas et Ammonitas poſitus, his verbis: Tranſiturus es hodie Moabitarum terminum, videlicet Ar.

29. *Periiſti Chamoſſi gens, cuius et mares fuſi*) In hebræo eſt ad verbum: Periiſti Chamoſſi gens, dedit filios eius, cet. Sed eſt mutatio perſonarum, qualis eſt Geneſ. 49, 22. ſqq. vbi Iacobus Ioſephum modo per ſecundam, modo per tertiam perſonam adloquitur. Præterea quod eſt, Dedit filios eius: ſingularis numerus eſt pro plurali, dederunt: quod eſt per paſſiuum interpretandum, dati ſunt; id quod faciunt Latini per pluralem tantum, perhibent, aiunt, ferunt: pro perhibetur, fertur. Eodem modo locutus eſt Moſes et ſæpe alias, et infra cap. 23. et Num. 35. quod idem fit 2. Reg. 11. Quod autem ſequitur, Atqui lux eorum Heſebon: poetice dictum eſt, pro capite regni, et vrbe fortiſſima.

CAP. XXII. v. 22. *Quo eius itinere irato Deo*) Dei mens erat, vt Balaamus Hebræis bene ominaretur: itaque hoc animo eum ire iuſſerat. At Balaamus ſperabat ſe illis imprecaturum eſſe, quemadmodum poſtea ſatis oſtendit. Hoc animo ſuſceptum iter Deo diſplicebat.

30. *Numquid tale ſum tibi facere ſolita?*) Quum hoc præter conſuetudinem faciam, debes exiſtimare grauiorem aliquam ſubeſſe cauſſam: eamque potius veſtigare, quam me iniuria verberare.

32. *Iſtud iter ſuſceptum eſt contra meam ſententiam*) Ita interpretatur Ioſephus, τὴν ὁδὸν παρὰ γνώμην τοῦ θεοῦ γενομένην.

CAP. XXIII. v. 10. *En populum ſeorſum habitaturum*) id eſt, omnium excellentisſimum, itaque ab omnibus aliis ſecernendum et ſingularem.

11. *Quis Iacobeorum pulueris?*) id eſt, innumerabilis multitudinis.

CAP. XXIIII. v. 4. et 16. *Qui ab omnipotente præſignificata vidit*] מחזה quum de homine dicitur, ſignificat viſum, et rei præſenſionem atque prænotionem: quum autem de Deo, ſignificat prædictionem et præſignificationem, (vt ita loquar) atque hoc modo ſæpe in vatibus pro vaticinatione ponitur, eadem ratione ברך qua in homine bene precari eſt, in Deo ſecundare et fortunare.

7. *Cuius de ſitula*) id eſt, a quibus proles orietur, quæ vehementer creſcet, vt arbores in humida terra: quorumque rex ſuperabit Agagum, id eſt Amalechitarum reges: ſic enim appellatos aiunt, vt Aegypti Pharaones.

24. *Quum claſſis ex Cittimorum finibus*) Qui ſint Cittimi, declarat Ioſephus

phus Antiquit. 1. cap. 7. his verbis: Chethimus Chethimam inſulam tenuit: ea nunc Cyprus vocatur, ex qua et omnes inſulæ, et bona pars maritimorum Chethim ab Hebræis nominantur. Adſtipulatur orationi meæ vna de Cypri vrbibus, quæ appellationem retinere potuit. Cetios enim vocatur ab eis, qui eius nomen Græcum fecerunt, ne ſic quidem Chethimi nomine vitato. Hæc Ioſephus. In Eſaia quoque capite 23, 1. a Cittimis venturus dicitur Alexander, Tyri expugnator; et idem Alexander 1. Mach. 1, 1. dicitur ortus ex terra Chethim, quum fuerit Macedo; et eiusdem libri cap. 8, 5. legitur, τὸν περσεα κιτιέων βασιλέα, id eſt, Perſem Citiorum regem: quod de Perſe Macedonum rege ſcribitur. Ex quibus patet, Cittimos Græcos aut Macedonas appellari: quamquam et Italia videtur in hoc nomine comprehendi, quandoquidem eam hoc nomine nuncupauit Ioſephus hebraice ſcribens, Antiquit. lib. 4. cap. 22. Recordor etiam, alicubi legiſſe me, a Cetim Macedonum eſſe nomen deductum, præpoſita ſyllaba, et t littera in d propter adfinitatem commutata.

CAP. XXVII. v. 19. *Eique in eorum oculis præcipito.*) id eſt, præcepta dato, eumque doceto. Hoc modo locutus eſt Cicero Officiorum 1. his verbis: Vt nemini parere animus bene a natura informatus velit, niſi præcipienti, aut docenti, aut vtilitatis cauſſa iuſte et legitime imperanti.

CAP. XXX. v. 6. *Omnia eius vota irrita ſunto.*) Si Deo factum a filia votum pater diſſoluere poteſt: profecto non bene ſentiunt hodie, qui negant facta parentibus inſciis ſponſalia poſſe a parentibus irrita fieri: niſi forte homini facta promiſſio arctius obligat, quam Deo.

CAP. XXXIIII. v. 6. *Ad occidentalem terminum habebitis mare.*) In hebræo eſt, mare magnum, quoniam Hebræi eodem nomine mare et lacum appellant, ne de lacu intelligeretur. Nobis, qui lacum proprio nomine vocamus, non eſt neceſſe mare magnum dicere, ſed ſatis eſt mare. Idem fit et alibi, et Ioſuæ 1, 4.

DEVTERONOMIVM.

ARGVMENTVM IN TOTVM DEVTERONOMIVM.

Ad exercitum conciones Ducis Moſis. Præterita in deſerto iura, delicta, ærumnæ, victoriæ. Ioſuæ dignitas. Leges multæ. Familiarum inſtitutio. Idololatriæ deteſtatio. Præcepta præcipua. Dei attributa. Cordis circumciſio. Dei natura. Chananææ copia, ſitus. Piorum beatitas. Diuinarum rerum æternitas, et cultus. Carnis et ſanguinis decreta. Filii deaſtris immolati. Vatum probatio. Pſeudouatum ſupplicia. Deaſtricolarum internecio. Funus. Morticinum. Debita. Manumiſſio. Primogenita. Feſti dies. Iudices. Rex. Artes vetitæ. Aſyla. Homicidia. Militia. Crux exſecranda. Gentes inuiſæ, amandæ. Diuortia. Menſuræ. Fœdus cum Ioua. In Dei verba populi ſacramentum. Moſis carmen, mors, ſepultura per Iouam, ignota mortali.

ADNOTATA.

CAP. II. v. 7. *Qui veſtrum iter curauiſſet)* In hebræo eſt, Qui veſtrum iter nouiſſet; ſed ego ſenſum, non verba, reddidi. Dicitur enim Deus eos nouiſſe, quos vt ſuos conſeruat: quemadmodum ignorare eos, quos perire ſinit tamquam alienos. Sic Pſalmo primo dicitur viam, id eſt mores factaque bonorum noſſe, cui contrarium eſt, quod de impiis dicitur, eorum viam perituram eſſe. Itemque 1. Reg. 2, 12. dicuntur Elis filii non noſſe Iouam, pro contemnere ac non curare.

CAP. III. v. 8. *A duobus Amorræorum regibus terram abſtulimus cisiordaninam.)* בעבר ſignificat trans. Sed quum ſit Moſes in ea terra, de qua loquitur, non dubium eſt, quin eam vocet cisiordaninam: quemadmodum ſi nos de ea Gallia loquamur, quæ a Romanis transalpina vocatur, haud dubie eam cisalpinam ex noſtra conſuetudine vocemus, non transalpinam ex conſuetudine Romanorum, niſi ſi ex illorum libris loquamur. Sic Moſes Baſanam transiordaninam vocare non poteſt, niſi ſic loquatur, quaſi ſit in Chananæa: quod abſurdum eſt, quum hic ex ſua perſona loquatur; alioquin vocaret Libanum cisiordanium, quem tamen paullo poſt hunc locum dicit eſſe trans Iordanem, eodem verbo vtens, quo hic. Quare neceſſe eſt, aut vt idem verbum vtrumque ſignificet: aut בעבר mendum ſit, pro מעבר, quod citra ſignificat, niſi quum additur והלאה, tunc enim ſignificat trans. Idem verbum ſæpe ambiguum eſt in Ioſua, et Deuter. 5. Ego ſenſum ſequor.

CAP. VI. v. 13. *Perque eius nomen iuratote.)* Iurare eſt, teſtem veritatis religioſe adducere. Qui per alium iurat quam per Deum, alium ſibi Deum fingit, qui ſit veritas, quique norit omnia; quod nefarium eſt, quum ſolus Deus ea norit, quæ iureiurando adfirmamus. Per ſolum igitur Deum iurandum eſt: neque iureiurando ſancto magis offenditur Deus, quam vir bonus, quum teſtis citatur: potiusque delectatur. Sed hoc fieri non debet inaniter, id eſt, neque in re falſa, nam hoc eſſet Deum mendacem facere: neque in re leui, nam hoc eſſet Deum contemnere: neque ſi tibi citra iusiurandum credatur, aut ſi res non poſtulet, nam hoc eſſet ſuperuacaneum: neque ſi res per homines probari poſſit, nam hoc eſſet datam a Deo teſtimonii rationem repudiare.

C. VII. v. 10. *Eique ſine dubio coram digna factis præmia rependentem)* Ab aliis ita vertitur hic locus, vt dicatur Deus improbos ſtatim vlciſci, ſine cunctatione. Sed id a Dei natura eſt alienum, qui eſt ad iram tardus: et res ipſa clamat, improbos non ſtatim puniri: id quod quum alii multi, tum Ieremias conqueritur. Præterea verbum אחר non proprie cunctari ſignificat, ſed id quod ὑστερεῖν dici poteſt. Latine exprimitur duabus negationibus, hoc modo: Si votum feceris, noli non reddere: id eſt, redde ſine dubio; vt eſt Deut. 23, 21. Et Habac. 2, 3. ita legitur: Si cunctabitur, exſpecta eum, veniet enim לא יאחר: id eſt, ſine dubio. Sed gallice bene exprimitur: Et n'y faudra point. Quod ſi ita redderetur, Veniet enim, non cunctabitur: contrarium eſſet ei, quod ante poſitum eſt. Si cunctabitur, exſpecta eum: niſi forte cunctabitur, pro cunctari videbitur, dictum eſt.

CAP. VIII. v. 7. *Terram aquarum fluminibus, fontibus, lacubus ſcatentem)*

tem.) Quod verto Lacubus, in hebræo eſt profundis. Vocat autem profunda, quieſcentes aquas, vt ſunt ſtagna et lacus, quos videmus in Euangelio maria hebraico more dici.

CAP. X. v. 8. *Et eius nomen celebrandum*) ברך et bene precari, et celebrare ſignificat. Sed ſi hic bene precari ſignificaret, primum curta eſſet oratio. Deinde quum Leuitici muneris pars ſit vel præcipua, Deum laudare, vt eſt in 1. Paral. 19, 2. non eſt conſentaneum, hoc in loco (in quo nominatim de Leuitarum munere tractatur) nullam huius rei factam eſſe mentionem. Hæc cauſſa fuit, vt ita transtulerim. Atque in eamdem ſententiam transferunt etiam alii, 1. Paral. 23, 13.

CAP. XIIX. v. 8. *Præter ſi quid ille.*) Si Leuita ille, venditis bonis paternis, pecuniam inde contraxerit, fruatur ea pecunia proprie: et inſuper fruatur communiter portionibus, quæ ei ex miniſterio debentur. Non enim æquum eſt, quatenus miniſtrat, eum viuere bonis paternis. Nam qui ſacris miniſtrat, is debet ex ſacris viuere. ממכר autem ſignificat etiam rem venditam, vt Ezech. 7, 13. et ponitur pro rei venditæ pretio, ſicut מקנת pro rei emtæ pretio, Leuit. 25, 16.

CAP. XX. v. 19. *Quaſi homines ſint ruris arbores.*) Belli lex eſt, parcere ſubiectis, et debellare ſuperbos. Arbores ſubiectæ ſunt: neque vobis, vt homines, in obſidione repugnant. Debetis igitur eis parcere.

CAP. XXI. v. 20. *In eius loci curiam.*) In hebræo eſt, Ad portam. Sed quia in vrbium portis erant curiæ, dicitur porta pro curia: ſicut hodie Turcarum regis aulam, Portam appellant.

CAP. XXII. v. 8.) *Eius tectum lorica munito.*) In Palæſtina plana tecta ſunt: ea iubet ambitu quodam et ſepto circumdari (quam ego loricam verto) ne quis inde cadat. Nam in eis ſæpe verſantur homines, quod vel ex Chriſti dicto intelligitur, qui iubet Apoſtolis, vt quæ in tenebris docentur, ea ex tectis prædicent: vt patet et in Ioſua, apud Rachabam. cap. 2, 6. 8.

9. *Ne et frugum, quas ſeueris, redditum et vineæ prouentum conſecres.*) Conſecrabantur fruges, libando primitias Deo. Quod ſi idem fundus et vitibus eſſet et ſegetibus conſitus, eius redditus neque meſſis eſſet, neque vindemia: itaque neutrius nomine poſſet Deo conſecrari, ſed mixto: qualis eſt in animalibus mula, quæ confuſio Deo ſimplicitatis amanti diſplicet.

CAP. XXIII. v. 18. *Aut admiſſuræ canis pretium.*) Ioſephi interpretationem ſecutus ſum, qui vertit, *ἐπ' ὀχεύσει κυνός.* alioquin ad verbum legitur, canis pretium.

C. XXIX. v. 29. *Occulta Iouæ Dei noſtri ſunt*) Quæ nobis declarauit Deus, his debemus ſine cunctatione parere: eorum ſi cauſſæ ſunt obſcuræ, aut ſi quid in eis altius latet, aut nobis (vt ſumus tardi) abſurdum videtur, debemus tamen tantum Deo tribuere, vt quia iuſſit, faciamus: neue aliunde eius voluntatem ſciſcitemur, quam ex eius lege. Nam ſi quæ ſunt occultiora (arbitror hic Moſem euangelii arcana et alia innuere, quæ etiam in lege latent, et quæ Moſi declarauit quidem Deus, ſed celare iuſſit, vt eſt in 4. Eſdr. 8, 62.) ea Deus penes ſe habet, promturus quum libebit.

CAP. XXXII. v. 26. *Et quidem ſtatueram eos ita profligare.*) Iſraelitarum genus propter eius ſcelera funditus abolerem, niſi metuerem, ne eorum hoſtes, per quos eos delerem, huius rei gloriam non mihi, ſed ſibi vindicarent. Neque enim tantum rationis et prudentiæ habent hoſtes, vt cogitent fieri non poſſe, vt tot Iſraelitæ a tam paucis hoſtibus ſuperentur (id quod tamen tum fiet, quum in Iſraelitas animaduertam) niſi eſſent a me

Deo

Deo ſuo non ſolum deſtituti, ſed etiam ſubacti, atque fracti: præſertim quum ne ipſi quidem hoſtes dicere poſſint, Deum noſtrum, id eſt me, (eſt enim perſonæ mutatio, quaſi ipſe populus, non Deus loquatur) ita debilem eſſe, vt videri poſſit, inuito me Iſraelitas ab hoſtium diis eſſe deletos: quum ſciant, me inuitis Aegyptiorum diis (ſi tamen diis,) populum meum abduxiſſe, et inaudita illa omnibus inuitis feciſſe. Sunt enim illorum dii, quales ex ipſorum hominum fructibus, hoc eſt, moribus et inſtitutis appa-ret, qui quidem mores ſunt non minus ſcelerati, quam olim Sodomitarum. Dicet quis: Qui fit ergo, vt tuo populo ita adflicto, hoſtes impunitos patia-re? Ego vero ſcio, quid, et cur, et quouſque faciam: quod mihi nunc ſoli notum, tunc ab aliis quoque intelligetur, quum et Iſraelitis pœnitentiam agentibus iterum fauebo, et hoſtes ſucceſſu inſolentes vlciſcar. Hæc Moſes: quæ facilius intelligentur, ſi cum ſuperiore capite conferentur, in quo eadem futura, eodem ordine minatur.

C.XXXIII. Si hic meminerimus, qui hic Ioua dicitur, eum eſſe Chriſtum Dei filium, quemadmodum in 3. Exod. oſtendimus, hunc locum facilius intelligemus. Eſt igitur hæc ſententia: *Ioua*, id eſt, miſſus a Deo Dei filius, qui vnum cum patre Deo eſt, *venit de Sina:* nam illic apparuit, et legem dedit. *Ex Seire ortus eſt*, vbi etiam Moſem adlocutus eſt, iuſſitque ſerpentem æneum fieri. *Patuit ex monte Pharane*, vbi Moſi coturnices promiſit: *venitque ob ſacras legiones*, id eſt, ob Iſraelitarum populum ſacrum: *habens eis* legionibus *ignem diſciplinæ*, hoc eſt, igneam diſciplinam: *ad dexteram ſuam*, id eſt, eis adferens legem ſuam cum multo igne: *hominum ſane amator*; oportet enim mirum eſſe illius amorem, qui Deus inter homines verſari non ſit dedignatus. *Cuius ſancti omnes*, ſcilicet Iſraelitæ, qui ſunt in eius fide et tutela, *ſunt in manu tua*, o Deus eius pater: *et quidem ad pedes tuos proſternuntur*, tibi ſupplices ſunt, et a te pendent, *eo*, tuo filio, *de tuis dictis ſumente:* quam enim legem Moſi tradidit, eam a te accepit. Moſes porro legis non auctor fuit, ſed præceptor et magiſter, qui legem a Ioua acceptam, *tradidit Iacobeorum reipublicæ tenendam:* qui Moſes *fuit rex inter probos*, id eſt inter Iſraelitas Deo probatos, dum eorum capita collegit, rempublicam ordinauit, ſontes puniuit, quæ ſunt regis opera. Quod autem verto, *ob legiones*, in hebr. eſt מרבבת, quod verbum proprie ſignificat myriadas, id eſt, dena millia: ſed ponitur pro numero et multitudine: ſicut latine millies dicimus, pro ſæpiſſime; מן autem interpretor Ob, vt ſignificet cauſam et vtilitatem: quomodo latine dicitur: Ex, quum dicimus, Ex re tua eſt: et, Ex republica facere, id eſt, in reipublicæ vtilitatem. Hoc modo locutus eſt Ezech. cap. 45, 20. his verbis: וכן תעשה בשבעה בחדש מאיש שגה ומפתי וכפרתם את הבית, id eſt: Atque ita facies ſeptimo die menſis, ob hominem, qui per imprudentiam peccauerit, aut per errorem, proque domo ſupplicabitis, id eſt, hoc facies, quum hominis imprudentia lapſi cauſſa ſacrificium facies. Et Deut. 7, 8. משמרו את השבעה, id eſt, ob ſeruandum iuriſiurandum. Itémque Eſaiæ 7. et Pſal. 59. et latine apud Ciceronem, Flere de filii morte; et apud Varronem de re ruſt. 3. Eunti de controuerſiis: id eſt, ob controuerſias. Quod autem verto, *eo de tuis dictis ſumente*, quum ſit in hebræo futurum verbi, non participium, ſciendum eſt, hebræa verba ſæpe pro participiis poni, præſertim futura, quum ſine coniunctione ponuntur, quod ea lingua participio futuro caret: id quod et alias ſæpe fit, et Geneſ. 49. vbi Iacobus bene precatur Ioſepho. Et Num. viceſimotertio, quod imitatus in Apoca-

lypſi

lypſi Iohannes dixit ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, vbi ἦν cum articulo, pro participio poſitum eſt. Quod verto *Probos*, in hebr. eſt ישרון, ſingularis pro plurali, qui hebraismus eſt, et ſignificat rectos, æquos, et (vt dixi) probos: id eſt, Iſraelitas; vt etiam Eſ. 44. appellantur. De Rubene quod hic dicitur, declaratum eſt in Iacobi teſtamento. De Iuda hæc eſt ſententia: Iudæa tribus erit bellicoſa, ſolaque bellum hoſtibus inferre audebit, ſi ſperet ſeſe Dei præſidio incolumem ad ſuos redituram; vt ſit *Deduc*, pro reduc: ſicut ire in hebræo pro redire non raro ponitur. De Leui ſic loquitur: *Tua integritas et claritas* (adludit ad hæc verba, quæ erant in Pontificis monili inſcripta) id eſt, tuorum morum probitas, et doctrinæ præſtantia, quibus ambobus debes hominibus prælucere, eſt viri clementis tui, id eſt, Iouæ: qui tibi, qua eſt clementia, præcipue fauet ſacerdotium indulgendo: *quem tu laceſſiuiſti apud Maſſam, cum quo iurgaſti ad aquam iurgii* (nam Moſes et Aharon, qui erant Leuitæ, Deo fidem non habuerunt, quum aquam ex petra elicuerunt; quum enim deberent eius rei gloriam Deo tribuere, in eo peccarunt, quod dixerunt: Attendite rebelles, an vobis aquam ex hac petra eliciamus. Debebant enim loqui vt Paulus, qui dicit: Non ego, ſed in me Chriſtus) *Qui vir clemens tuus*, id eſt, Ioua Chriſtus, pluris facit obedientiam, quam cognationem: eoſque pro cognatis habet, *qui tuis dictis*, o Deus (eſt enim perſonæ mutatio) *obtemperant*; quemadmodum docet ipſe Chriſtus, Matth. 12. Qui fecerit voluntatem patris mei, is meus frater et ſoror et mater eſt. Sed de ſacerdotum claritate et integritate in Chriſto ſita, operæ pretium eſt quiddam conſiderare, quod a Ioſepho Antiquitat. 4. poſitum eſt in hanc ſententiam: Gemmarum, quas in humeris ferre pontificem, ſupra dixi (erant autem ſardonyches) altera, quandocumque rei diuinæ Deus aderat, lucere ſolebat, ſcilicet ea, quæ dextrum humerum inſigniebat, abſiliente ſplendore, et longiſſime apparente: quum tamen is antea non eſſet in gemma. Mirum ſane hoc eſt, eis qui non ſapientiam ad contemtum rerum diuinarum exercuerunt: ſed dicam, quod mirabilius eſt. Nam per duodecim gemmas, quas ad pectus Pontifex inſutas eſſeni fert, victoriam prœlio dimicaturis præſignificabat Deus. Tantus enim ſplendor ab eis rutilabat, nondum moto exercitu, vt toti multitudini notum eſſet, Deum adeſſe in auxilium. Vnde Græci, qui noſtros in pretio mores habent, quoniam nihil habent, quod his contradicant, eſſenem rationale vocant. Quamquam deſiit et eſſen et ſardonyx lucere annis ducentis, antequam ego hoc opus compoſui, Deo ob leges violatas indignato. Hæc Ioſephus. Ex quibus intelligi poteſt, ſplendorem illum ſub Chriſti tempus (qui vera Leuitarum lux eſt) deſiiſſe. Scripſit enim Ioſephus anno decimo tertio imperii Domitiani Cæſaris. Quod ſequitur, clarum eſt; docet enim, Leuitarum munus eſſe, docere, et ſacra facere. De Beniamine quod dicit, Iouam inter eius humeros habitaturum, ſignificat, Iouæ domicilium et templum fore in Beniamitarum finibus: id quod euenit. Ioſepho ſic ominatur: *Felix Iouæ dono terra eius*. In hebræo eſt, Fortunata Iouæ terra eius: id eſt, Iouam habet fecundum; quomodo latine dicimus, Felix prole puerpera: id eſt, quæ talem habeat prolem: Felicem te tali patrono. Deinde oſtendit, vbi ſita ſit illa terræ felicitas: nimirum in cæli temperie, et rore, atque pluuia: in bonitate ſoli: in ſole, in quo eſt fetifica vis: in luna, quæ frugum maturitatem iuuat, dum molliore et imperfecta vi (vt Plinii verbis vtar) ſoluit tantum humorem, atque etiam auget, quem ſolis radii abſumant: quæque a ſole illuminata (vt ait Cicero) grauiditates et partus adfert, maturitateſque gignendi: *In capite montium per-*

en-

ennium; id eſt, immobilium (poetico more dictum) in *prouentu collium*, id eſt, in eis quæ in montibus et collibus gignuntur: in *fauore habitatoris rubi*, id eſt, Iouæ, quem moriens Iacobus paſtorem lapidem Iſraelis vocauit. Fauorem interpretor רצון, qui in nouo Teſtamento dici ſolet εὐδοκία. Quod autem eius primogenitum decorum bouem vocat, ſignificat, Ephraimitas fore bellicoſos: ducta ſimilitudine a boue et monocerote. Deinde quod Ephraimi legiones, et Manaſſis cohortes dicit, ſignificanter dicit, Manaſſi Ephraimum numero anteponens: quod idem Iacobus fecerat. Ego rem latino more expreſſi, quæ Græcis verbis poterat per myriadas et chiliadas, et quidem ad verbum exprimi. Nec refert, quod legionis vocabulum non ſignificat præciſe decem millia, aut cohortis vnum mille. Non enim hic certus ponitur numerus: ſed verba ponuntur, quorum aliud plures, aliud pauciores ſignificet. Zabulonii foris clarebunt, vtpote maris accolæ, et nauiculariam facientes, Iſſacharianis domi manentibus. *Populos in montem inuitabunt:* erunt enim maritimi, et diuitiis maritimis abundabunt (hoc enim eſt, quod vocat maritimam abundantiam, et obrutos arenæ theſauros, id eſt litoreos) quibus inuitati exterarum gentium homines, cum eis commercia habebunt, et ea conſuetudine adlicientur *in montem*, id eſt Hieroſolymam, vbi Sion Dei mons eſt, vt ibi *iuſtitiæ ſacra* faciant, vtpote diuinitus tradita: quum cetera ſint impia atque polluta, itaque iniuſta. *Grates Gadum explicanti:* id eſt, Deo ſunt agendæ gratiæ, cuius præſidio Gadini bellica vi finitimos propulſant, et ſuos fines amplificant. Quod autem verto Grates, in Hebræo eſt ברוך, quod vertunt benedictus, Græcos imitati, apud quos eſt εὐλογητός. Sed hoc verbum ſæpe gratias agere ſignificat: quod fit quum ob aliquod benefactum laudatur, et ei benedicitur; vt patet ex Luca, qui quod a Marco de Chriſto in cœna dictum eſt εὐλογήσας, dicit εὐχαριστήσας. Hi vbi primum animaduerterunt, Ogi et Sehonis terras eſſe ſibi accomodas, in otio futuris et imperaturis, Moſem et populi principes adiuerunt, vt terras illas obtinerent: et promiſſum præſtiterunt, Iſraelitis in ſuas poſſeſſiones intromiſſis. Dan (id eſt, Dania tribus) erit leone generoſior. Nephthalis Iouæ carus. Aſer progenie diues, fratribus carus, oleo, ferro, ære abundans: *Vires pro ætatis ratione*, vt, quem locum ætatis Aſer inter fratres habuit, eumdem eius poſteri fortitudinis obtineant in tribubus. Quæ ſequuntur, ad vniuerſas tribus pertinent. Nullus eſt cum Deo Iſraelitarum conferendus: qui quamuis in cælis habitet, non tamen ita terrena deſpicit, vt non in terram ſua ſemper brachia demittat: id eſt, vt non Iſraelitis adſit, eorumque hoſtibus exactis, eos in tuto collocet, efficiatque, vt *Iacobus oculum adiiciat ad terram feracem*, id eſt, terram feracem videat, et ea potiatur (nam Videre pro potiri, etiam antea notauimus) Felix Iſraelitarum populus, et plane incomparabilis, qui talem habeas defenſorem Iouam, *qui eſt tui faſtigii gladius:* id eſt, qui te ſuo præſidio in iſtud faſtigium et dignitatem euexit, vt tibi ſubiiciantur hoſtes tui. Verbum hebræum eſt יכחשו, quod græce bene exponi poteſt, σφαλήσονται, ſuccumbent inuiti.

IOSVA.

IOSVA.

ARGVMENTVM IN IOSVAM.

Ad Ioſuam Ioua. Dux ad populum, is ad Imperatorem. Rachabæ in exploratores benignitas. Copiarum per Iordanem tranſitus. Lapides ad rei monumentum. Secunda circumciſio. Paſcha, Mannæ finis. Hierichuntis excidium. Sacrilegus Achan. Hais capta. Rex in crucem ſublatus. Gabaonitarum fraus. Regulorum in Ioſuanos fœdus. Solis et lunæ quies. Hoſtium clades et Enaquinorum. Terræ diuiſio, fines, aſyla. Leuitarum oppida. Trans Iordanem ara, de hac legatio. Morituri Ducis verba.

Hunc librum a Ioſua non eſſe ſcriptum, vno argumento conuinci poteſt, quod in decimo capite citatur liber Recti, ad probandam hiſtoriam, de ſole conſiſtere iuſſo: qui liber profecto a Ioſua citari non poteſt, quum ſit poſt tempora Dauidis ſcriptus. Nam 1. Reg. cap. 1. citatur ex libro Recti hiſtoria de Dauide. Alterum argumentum eſt, quod capite 15. ſcribuntur ea de Axa Calebi filia, quæ poſt Ioſuæ mortem geſta ſunt, vt habetur in Iudic. cap. 1. Ex quibus perſpicuum fit, nec hunc librum a Ioſua, nec librum Recti a Moſe fuiſſe ſcriptum, ſed poſt, aut certe non ante tempora Dauidis.

ADNOTATA.

CAP. VI. v. 4. *Septem tubas buccinas.*) יובל adiectiuum eſt, quo tubæ ſonus notatur. Inde Iubile dictum eſt, quod eo anno tubæ clangore libertas promulgabatur. Indidem Iubilare verbum latinum videtur deductum. Ego, quum melius non haberem, buccinas adiectiue dixi. Nam ſi clangentes pro clanctoriis (vt ita loquar) dixiſſem; ambiguitate non caruiſſet oratio.

CAP. XX. v. 6. *Donec cauſſam in concilio dixerit*) Poſtquam primum in porta ſenatoribus cauſſam ſuam ſolus expoſuerit, recipietur ille quidem, ſed ea conditione, vt ſi ſanguinis vindex veniat, ille ſe iudicio ſiſtat, et ante id iudicium ſit in vrbe tutus. Quod ſi vel non veniat accuſator, vel cauſſam non obtinuerit, viuat illic percuſſor vsque ad deceſſum pontificis.

IVDICES.

ARGVMENTVM IN TOTVM IVDICVM LIBRVM.

Iudæi in Chananæos. Hieroſolymæ expugnatio, et Bethel. Iſraelitæ idololatræ. Debora vates. Siſaræ nex. Madianitæ in Iſraelitas. Ad Gedeonem Angelus. Idem Gedeon in Madianitas cæſos. Fratricida filius Gedeonis. Sichemitarum ærumnæ. Iſraelitarum calamitates. Immolata Iephthæ filia. Samſonis vita, geſta, eneruatio, mors. Beniamitæ in Iſraelem. Iabeſenſium excidium.

ADNO-

ADNOTATA.

CAP. V. v. 14. *In valle poſterior fuiſti, o Beniamita*) בעמלק legitur, hoc eſt, in Amalechitis: ſed ſententia conſtare non poteſt. Videtur בעמק legiſſe græcus interpres, qui vertit ἐν κοιλάδι: quæ lectio ſententiæ conuenit; nam paullo poſt dicitur, in vallem miſſus eſſe Baracus, in qua pugnatum eſt. Eſt igitur hæc huius loci ſententia: In hoc prœlio non adfuere Beniamitæ, ſed eorum populares Ephraimitæ et Manaſſenſes, ex Machire Manaſſis filio orti, digni qui deinceps imperent: item Zabulonii litterarum proceres, et Iſſachariani duce Baraco.

C. VIII. v. 16. *Senatores eos contriuit*) In hebræo legitur וידע, nullo ſenſu aut certe coacto. Paulo ante v. 7. poſitum erat ודשתי, et comminuam. Itaque quum hic repetantur cetera eadem verba, puto legendum eſſe וידש.

CAP. XI. v. 35. *Ea es, quæ me perturbes*) In hebræo eſt, Es in meis perturbatoribus: id eſt, me perturbas. De quo loquendi modo vide adnotata in Pſalmum quinquageſimum quartum.

CAP. XII. v. 7. *Sepultus in oppidis Galaaditicis*) Quoniam oppidum nominatim non declarat, loquitur per numerum pluralem. Sic Gen. 19, 12. dicitur Lotus vrbium incola, quum vnius eſſet. Et Cicero dixit: Ego eram in his locis.

CAP. XIIII. v. 5. *Occurrit leoni*) כפיר אריות leonem interpretor, ſicut שעיר העזים caprum, cuiusmodi multa ſunt in hebraica lingua, nam paullo poſt leo vocatur, vno nomine.

20. *Illius ipſius adfinitatis conciliator fuerat*) Secutus ſum Ioſephum, qui vertit νυμφοςόλον: et veterem, qui pronubum: et Græcum, qui νυμφαγωγόν.

CAP. XV. v. 8. *Graui ingentique clade in quodam tractu*) Ad verbum ſic legitur, Percuſſit eos coxam ſupra femur. Ego quum hinc nullam aptam poſſem elicere ſententiam, Ioſephum ſecutus ſum, qui vertit, πολλοὺς ἐν τῷ πεδίῳ τῶν παλαιςινῶν ἀποκτείνας, Quum multos in campo Palæſtinorum occidiſſet. Nam ירך non ſolum femur, ſed etiam regionem declarat.

16. *Maxilla aſini, aſini aſinarii*) חמר חמרתים aſinus aſinarius eo modo dicitur, quo caprum caprinum, et bouem bouinum dici adnotauimus: et quomodo Iudic. 5, 30. רחם רחמתים puella puellaris, id eſt puella dicitur, eſtque elegans repetitio: præſertim in ſententiis. Neque hic magiſtros Iudæos ſequi placet, qui חמר aceruum interpretantur. Nam ita et imperfecta foret, et minus elegans ſententia; neque iisdem vocalibus ſcribitur id verbum, quum aceruum ſignificat, niſi hoc in loco, ſi illis credimus. Sed ambiguus quum ſit, in teſtimonium adduci non poteſt: nec propria interpretatio coactæ locum relinquit.

CAP. XVII. v. 1. *Fuit vir quidam*) Hæc et quæ ſequuntur deinceps ad finem totius libri, geſta ſunt, antequam eſſent in Iſraelitis gubernatores, quos vocant Iudices: quod ex ipſa hiſtoria patet, in qua cap. 18. quærunt Danii hereditatem: et in eodem eſt ſacerdos Ionathan, Moſis nepos, qui non potuit vixiſſe tamdiu: et cap. 20. Phinees, Eleezari filius. Præterea cap. 19. negantur Iſraelitæ habitare Hieroſolymæ, quum tamen eam occupaſſe,

paſſe, et incoluiſſe dicantur in cap. 1. Adde quod Ioſephus, quæ ſcribuntur in cap. 19. ante narrat, quam quæ ſuperius ſcripta ſunt.

CAP. XVIII. v. 2. *uorum militum abiectiſſimos*) בני חיל non fortes ſemper, ſed milites dicuntur, vt patet ex multis locis in Numeris et ſecundo Reg. 17. Abiectiſſimi autem mittebantur, vt facilius fallerent.

7. *Quod procul a Sidoniis aberant*) Hinc apparet, eos aut clientes aut certe ſocios Sidoniorum fuiſſe, a quibus defendi propter diſtantiam locorum non potuerint.

RVTHA.

ARGVMENTVM IN TOTVM LIBRVM RVTHAE.

Caritas annonæ. Elimelechus peregrinus. Ruthæ ſuaue ingenium, eadem adſpicas, cum Boozo. Ritus ex calcei detractione. Boozi coniux Rutha.

ADNOTATIO.

CAP. III. v. 16. *Illa in oppidum adſocrum venit*) Venit, in hebræo masculinum eſt: ſed mendum eſſe coniicio, tum ex ſenſu, tum ex vetere verſione.

REGVM LIB. I.

ARGVMENTVM IN PRIMVM LIBRVM REGVM.

Ex Anna Samuel. Ad iſtum in fano Deus. Israelis clades. Ab hoſte arca ablata. Calamitas Azotiorum. Arcæ reſtitutio. Populus regem petens. Vnctio Sauli. Bellorum varietas. In hoſtes Ionathan. In regem Samuel. Victor Saulus, contra filium. Samuel regem confodiens. Dauid vnctus. Regis vexatio. De Goliatho Dauidis victoria. In Dauidem Saulus. Regii nati cum Dauide ſocietas. Sacri panes profugo dati. Simulatus Dauidis furor. Cæſi ſacerdotes. Contra profugum Ziphæi. Rex et Dauid in ſpecu. Samuelis obitus. Abigail munifica. Dauid ad exterum regulum. Ad Pythiam Saulus. Dauid in hoſtes.

Regum libri duo priores apud Hebræos Samuelis dicuntur: poſteriores Regum. Ego Latinorum titulum retinendum putaui: nam librum de rebus poſt Samuelem geſtis, Samueli adſcribere, abſurdum eſt.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 3. *Ad Iouam bellipotentem*) In hebræo eſt, Iouam exercituum. Vocantur autem exercitus, non ſolum milites, ſed quidquid eiusmodi eſt, quo Deus vtatur, vt militibus vtuntur imperatores. Vtitur autem Deus rebus omnibus ſuo arbitratu. Itaque Ioua bellipotens, ſiue armipotens eſt, qui rebus omnibus imperat: quod quale ſit, patebit ex illo centurione, qui Chriſto demonſtrabat, ſeſe in ſuos milites auctoritatem obtinere: et quidquid illis imperaret, eos exſequi.

CAP. VI. v 8. *Aureaque ſimulacra, quæ illi*, cet.) In hebræo eſt כלי. quod vaſa ſignificat: ſed latius patet, vt σκεῦος. Itaque quum hic loquatur de ſimulacris, non auſus ſum vaſa aut vtenſilia vertere, quod his vocabulis ſimulacra ſignificari poſſe non videntur.

17. *Et ad ingens illud ſaxum*) אבל legitur: ſed quum ante ſaxi mentio facta fuerit, neque quomodo ſuper luctu poſita arca ſit, intelligam, et ſeptuaginta λίθον verterint: puto legendum אבן.

CAP. VIII. v. 12. *Hos tribunos, hos centuriones*) In hebræo eſt, Duces millenarios, et quinquagenarios: ſed hic non præſcribitur certus numerus: et Latinorum more, Latinis loquendum eſt. Sicubi certus numerus definiendus eſt, licet ſemicenturiones appellare. Audendum eſt enim, quum iubet neceſſitas.

CAP. XII. v. 17. *Tritici meſſis eſt, Iouam inuocabo, et tonabit*) Tonitrus ille tempore meſſis, præter naturam fuit, ideoque mirabilis: propterea quod vere tantum et autumno fiunt tonitrua. Cuius rei cauſſa eſt, quod concitantur ex conflictu calidi et frigidi, qui conflictus neque hyeme (ſuperante frigore) neque æſtate (ſuperante æſtu) fieri poteſt, præſertim in æſtuoſis terris, qualis Syria eſt: nam apud nos non rara ſunt æſtate tonitrua.

CAP. XIII. v. 1. *Iniuit autem Saulus regnum*, cet.) Apud Hebræos ſic ad verbum legitur: Natus annum Saulus, quum regnum iniuit, et duos annos regnauit; quod quidem ſic interpretantur: Saulus vnum annum rex fuerat, et quum duos annos regnauiſſet, cet. vt hic primus numerus ad ſpatium regnandi, non ad Sauli ætatem referendus ſit. Sed hoc pacto hebræa verba torquentur, neque ſententia ſatis conſtat. Non enim diceret, annum agens, ſiue natus annum in regnando, pro eo quod eſt, quum iam annum regnauiſſet: quum hæc loquendi ratio, Natus tot annos, numquam apud Hebræos, ſicut nec apud Latinos, dicatur, niſi de hominis ætate, a natiuitate numerando. Deinde non diceret, Natus annum: ſed, Natus vnum annum. Solent enim ebræi numerum exprimere, Hetiam quum de vno loquuntur. Præterea ſupplenda eſſent nonnulla, id quod locum reddit ſuſpectum. Solet autem in his libris, regum ætas et regnandi tempus initio narrationis rerum ab eis geſtarum poni; vt libri ſecundi capite ſecundo, vbi ſic ſcriptum exſtat: Natus erat annos quadraginta Isboſethus Sauli filius, quum regnum in Iſraelitas iniit: duos annos regnauit. Quod idem fit in aliis regibus. Itaque arbitror hoc in loco ſcriptum fuiſſe, quot annos natus Saulus regnum iniuerit, quotque annos regnauerit: ſed locum eſſe mutilatum. Neque enim duos tantum annos regnauit, ſed quadraginta, vt habetur Act. 13, 21. et apud Ioſephum in fine libri ſexti, vbi dicitur, Saulus regnaſſe viuente Samuele, annos octo: mortuo autem, duos et viginti.

36. *Eosque vsque ad lucem matutinam perimerent*) In hebræo eſt, diriperent: ſed

ſed ponitur pro eo, quod eſt interficere, ſicut ſæpe apud Homerum *ἐναρίζειν*.

CAP. XVII. v. 4. *Vir quidam immanis*) בנים a בן deductum eſt, vt ſit vir filiorum, id eſt hominum (nam filius pro homine dicitur) id eſt excellens: ſicut Latini dicunt hominem paucorum; et Galli, enfant de maiſon, filius domus, pro filius locupletis aut nobilis domus, hoc eſt, magno loco natus.

12. *Iam ſenex et ætate prouecta*) In hebræo legitur בא באנשים, Prouectus viris, ſi legeretur בא בשנים. pulchre conſtaret ſenſus; prouectus annis. Atque hoc pacto ſolent loqui auctores ſacri.

CAP. XX. v. 18. *Deſcendes autem ad ſummum ter*) Meminiſſe conuenit, quod paullo ante dictum eſt, cras, aut perendie. Eſt igitur hæc ſententia: Si potero, cras ad eum locum adero. Sed ſi cras ſcire non potuero, quomodo ſit meus pater animatus, operam dabo, vt id ſaltem perendie ſciam. Deſcendes ergo cras. Quod ſi non veniam cras, putato me nondum potuiſſe ſcire: itaque deſcendito etiam perendino, aut etiam tertio abhinc die, ſi forte perendie non venero: vt quocumque horum trium dierum ego venero, tu adſis. Quod autem verto, Deſcendes ter, in hebræo eſt, tertiabis deſcendere (ſi licet ita loqui) ſicut alibi legitur, Rectabis facere (vt verbum docendi cauſſa fingam) pro, recte facies. Et Ierem. 49. Profundate manere: pro Profunde manete: hoc eſt, abſtrudite vos penitus. Gallice, Triumphat facere: pro, triumphalia, aut triumpho digna facit: id eſt, magnifica. Huiusmodi eſt illud Horatii: cuius octauum trepidauit ætas Claudere luſtrum: hoc eſt, trepide clauſit. Et illud eiusdem: Negligis immeritis nocituram Poſtmodo te natis fraudem committere: hoc eſt, negligenter committis.

CAP. XXV. v. 20. *Cum ſuis aduerſus eam deſcendenti*) Quum hic tam Dauid, quam Abigail dicatur deſcendere, quum inter ſe occurrant, intelligendum eſt, vallem interiectam eſſe.

27. *Qui te comitantur*) Ad verbum, Qui eunt in pedibus Domini mei. In pedibus autem, aut ad pedes eſſe, aut ire, eſt in poteſtate alicuius eſſe, eique ſeruire; quale eſt illud Homeri, *θεῶν ἐπὶ γούνασι κεῖται*, ad eorum genua ſitum eſt: hoc eſt, in poteſtate et arbitrio.

CAP. XXVIII. v. 17. *Faciet Ioua tibi*) לך malui legere, quod eſt in margine, quomodo Hieronymus et Græcus verterunt, quam לו.

CAP. XXX. v. 2. *Omnes omnium ætatum tum viros tum mulieres*) In hebræo ad verbum legitur: omnes feminas a paruo ad magnum. Sed quum ſit ſolœciſmus, dixiſſet enim, a parua ad magnam: quumque non mulieres ſolum, ſed etiam viros abegerint, ſecutus ſum græcum, apud quem legitur, *τὰς γυναῖκας, καὶ πάντας τοὺς ἐν αὐτῇ, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου*.

REGVM LIB. II.

ARGVMENTVM IN SECVNDVM LIBRVM REGVM.

Dauidis mira benignitas in Sauli corpus, regnum in Iudæis. Iſraelitarum rex aduerſarius. Bella inter eos. Abneris defectio, mors. Iſboſethi nex. Iſraelitarum rex Dauid. Arca Hieroſolymam importata. Congiarium

 aul

ad populum. Dauidis cogitatio de fano. Ioabus in Ammonitas victor. Regis adulterium, homicidium, a vate incuſatio. Solomo. Ammonis amor et ſtuprum de ſorore. Abſalomus fratricida, ſeditioſus. Regis fuga. Achitophel in Dauidem. Abſalomi mors. Regis carmen ad Iouam. Populi cenſus, cædes ab angelo, peſtis finis.

A D N O T A T A.

C A P. V. v. 8. *Claudosque et cæcos Dauidi inuiſos.*) Hunc locum mutilum eſſe patet, tum quod ſententia curta eſt, tum quod in Paralipomenis lib. I. cap. 2. adiectum eſt, quod hic deſideratur. Qui ſint autem hi cæci et claudi, magna controuerſia eſt, ego puto ſignificari eos, quos atlantas Græci, telamones Latini appellant: quæ ſigna ſunt virili figura, mutulos aut coronas in ædificiis ſuſtinentia. Atque hanc eſſe huius loci ſententiam arbitror: Tanta erat arcis altitudo, vt eam ſuperari poſſe Iebuſæi negarent: itaque Dauidi oppugnanti dicerent, tum demum irrupturum eſſe in arcem, quum telamones illos, qui cæcorum claudorumque figuram referentes, in ſumma arce erant, abstuliſſet: quod perinde erat, ac ſi dicerent, fieri non poſſe, vt eo irrumperet. Tum Dauid intelligens, præmiis et honoribus homines ad virtutem excitari, imperatorem fore pronuntiauit eum, qui primus Iebuſæos ſuperauiſſet, et ad tecti arcis canales (vbi erant claudi illi et cæci telamones) adſcendiſſet, illosque telamones abstuliſſet. Atque eos Dauid propterea oderat, quod ei ab hoſtibus probroſe opponebantur, quaſi claudos et cæcos ſuperare non poſſet, a ſimulacris ad homines per iocum transeunte dicterio, vnde et natum prouerbium.

C A P. VII. v. 7. *Ecquod vlli præſidum Iſraelitarum*) In hebræo eſt, שבטי hoc eſt, tribuum: ſed in Paralip. legitur שפטי. hoc eſt iudicium, ſiue præſidum, quæ lectio mihi viſa eſt verior.

23. *Quam tu in terris feciſti in tuorum gratiam*) לכם et לארץ recte legit vetus interpres latinus.

C A P. XII. v. 26. *Quum regiam vrbis partem cepiſſet*) In hebræo eſt, quum vrbem regni. Et paullo poſt, quod verto, Vrbis partem, in qua erat aquatio: in hebræo eſt, vrbem aquationis; ſicut maior et minor Baſilea dicitur, pro maiori et minori parte Baſileæ: et reliquum corpus, pro reliqua parte corporis.

C A P. XIIII. v. 13. *Cur igitur iſtam contra diuinum populum*) Cur cupienti populo non condonas Abſalomum, qui mihi filium propterea condonas, quod nullum alium habeo, qui poſteritati conſulat? Quis enim tibi ſuccedet, niſi Abſalomus? Dices, te habiturum alios. Sed quid ſi prius moriare? mortales enim ſumus: quo magis curandum eſt, vt genus noſtrum propagemus. Dices, Abſalomum homicidam eſſe, homicidas autem occidi debere, ex Dei præcepto. Quid tu Dauid? non venit tibi in mentem Vriæ? quo tu occiſo, non minus Deum offenderas, quam te Abſalomus, occiſo fratre. Quod ſi tam ſeuerus in te Deus fuiſſet, quam tu es in filium, periiſſes. Sed Deus tibi veniam dedit: mauult enim parcere ſupplicibus, quam ſontes plectere: idque quomodo fieri poſſit, etiam atque etiam cogitat. Atque vt meam rationem intelligas, quum vellem te de reuocando filio tuo orare,

rare, et metuerem, ne quod populus non obtinebat, id ego multo minus conſequerer: ſtatui ſimulare meam rem agi, vt quum tu mihi de filio meo conceſſiſſes, de tuo in re ſimili negare non poſſes. Hæc mulier, ſed breuiter et obſcure: quippe perita cum perito, præterea regem ad Vriæ recordationem non niſi timide et tecte reuocans.

CAP. XV. v. 7. *Præteritis quatuor annis*) In hebræo legitur, quadraginta: ſed facilis fuit lapſus ab ארבא ad ארבאים; et Ioſephus quatuor interpretatur.

CAP. XVIII. v. 3. *Nam tu pro decem millibus*) אתה, non עתה legendum, apparet ex ſententia, et græco et latino interprete. Eumdem errorem inuenies libro tertio cap. 1. in oratione Bethſabæ ad regem.

17. *Fuga domum dilapſis*) In hebræo eſt, Fugerunt in ſuum quiſque tabernaculum. Ponitur autem tabernaculum pro domo: cuius rei cauſſa eſt, quod prior fuit vſus tabernaculorum, quam domorum. Deinde quum caſæ et tuguria, et porro domus ædificarentur, manebat tamen idem vocabulum; quemadmodum latine libros dicimus, qui tamen libri non ſunt, manente hoc vocabulo: quoniam principio in libro, hoc eſt, in arborum cortice ſcribi ſolebat.

CAP. XXI. v. 6. *In Ioua monte*) בחר non בחיר legendum videtur, vt paullo poſt idem verbum repetit: alioquin inepta eſt ſententia.

CAP. XXIII. v. 3. *Rector religioſus*) In hebræo eſt, Rector metus Dei: id eſt, metu Dei præditus; neque enim vno verbo religionem ſignificant: ſicut neque Galli, qui dicunt, Crainte de Dieu. Nec alienum eſt, quod Dei metum attribuit Deo: nam de Chriſto loquitur, qui genus humanum a patre regendum accepit, vt eſt in Pſal. 2. Quod ſequitur, comparatio eſt, qualis exſtat in Pſal. 1. Quemadmodum ſol et pluuia ſtirpes alunt, efficiuntque, vt eorum genus numquam intercidat, ſic Dei fauor et ſtudium meam poſteritatem fouebit: quum contra improbi (vt Saulus) a ſtirpe eruantur, tamquam ſpinæ. Quod enim כי לא ſic interpretor, vt aiat, non neget: eodem modo ponitur לא כי, Geneſ. 18. vbi idem eſt quod imo. Nam לא non ſemper negantis eſt, vt Ezech. 3. vbi עם לא poſitum eſt pro, quod ſi: quod etiam adhiberi ſolet in iurando et adfirmando, pro eo quod Græci dicunt, ἦ μὴν, aut ἦ μάλα. Item 2. Reg. 13. et 4. Reg. 5. et Ezech. 15. ולא confirmantis eſt, et alibi ſæpe, ſicut et Eccleſiaſtici 29. εἰ δὲ μὴ, ſignificat quin etiam: et Matth. 6. et Marc. 2. alioquin: et 2. Timoth. 2. μήποτε, ſi forte: ſicut Græcis οὐκοῦν vna voce adfirmantis eſt. Quod ſi hic כי לא negantis eſſet, diſſimilitudo foret abſurda, et naturæ ſimilitudinique ab eodem Dauide in 1. Pſal. poſitæ, contraria.

8. *Iaſobeamus Hacmonis filius*) Hunc locum partim ex Paralipomenis tranſtuli. Nam hic ita corruptus eſt, vt nulla poſſit deprehendi ſententia. Illic trecentos, hic octingentos ſuperaſſe ſcribitur. Illic triginta, hic trium princeps dicitur; quamquam poteſt vtrumque recte dici, vt ſit trium inter triginta præcipuorum princeps. Apud græcum et latinum folia ſunt Sibyllæ. Ioſephus Iſſæmum Achemæi filium vocat, ab eoque octingentos deiectos fuiſſe ſcribit: quod probabilius eſt, quam trecentos, quum hic fortiſſimus omnium dicatur: quum tamen totidem ſtrauiſſe, paullo poſt hunc locum ſcribatur Abiſæus.

REGVM LIB. III.

ARGVMENTVM IN LIB. III. REGVM.

Dauidis fotrix. Solomonis regnum. Adonias fugiens. Moribundus rex ad Solomonem. Dauidis mors. Semeis nex. Solomonis pietas et ſapientia, imperium, aula, templi apparatus, conſtructio, membra, inſtrumenta. In templum arca. Templi dedicatio. Regis oratio. Ad hunc Ioua Huius potentia. Regina Sabæ. Solomonis effeminatio. Bella in iſtum, eius mors. Roboamus rex crudelis. Vatis nex a leone. Aegyptii in Hieroſolymam expeditio. Abiamus rex. Israelita in Iudæum. In Baaſam Ioua. Samariæ ædificatio. Hierichuntis reparatio. Elias. Farina et oleum. Elias et Baalis vates. Iezabel: Eliſæus. Obſidio Samariæ per Syros. Horum clades. Pſeudouates Sedecias. Achabi nex. Ioſaphatus Iudæorum, Israelitarum Ochozias rex.

ADNOTATA.

CAP. V. v. 9. *Cedrinam pineamque materiam*) ברש pinum potius quam abietem interpretor: quoniam in 2. Reg. 6. ſcriptum eſt, ex ea arbore muſica fieri inſtrumenta.

CAP. VI. v. 2. *Cuius templi longitudo fuit ſexaginta cubitorum, latitudo viginti, altitudo triginta*) Quod de longitudine et latitudine dicit, intelligendum eſt non de toto templo, ſed de cella et penetrali. Nam cella fuit longa quadraginta cubitos, penetrale autem viginti: vtrumque latum viginti, vt poſtea patebit. De altitudine controuerſia eſt. Nam hic traditur triginta cubitorum, in græco vigintiquinque, in Ioſepho centum viginti, quæ eadem et in Paralipomenis veſtibulo tribuitur, videlicet inferioris ædificii ſexaginta, et ſuperioris totidem. Ex his omnibus coniicio, altitudinem hic dici non totius templi, ſed cellæ et penetralis (quemadmodum de longitudine et latitudine dictum eſt) quæ eſſet triginta cubitorum, videlicet quanta erat ædicularum altitudo, quæ eſſent ſingulæ decem cubitorum. Supra hanc altitudinem patebat templi murus triginta cubitos, infra ſuperius ædificium, quo in ſpatio erant feneſtræ. Huic toto ædificio impoſitum erat ſuperius alterum ædificium, in altitudinem non quinque (vt hic ſcriptum eſt, in quo mendum videtur eſſe) ſed ſexaginta (vt tradit Ioſephus) cubitorum. Sed hæc ita dico, vt adfirmare non auſim. Nam tanta ædicularum altitudo cellam et penetrale redderet obſcurum. Itaque mihi ſuſpectus eſt locus. Veſtibulum erat eiusdem magnitudinis, cuius eſt Ezech. 40. ſed quum ſit illud a ſeptemtrione poſitum, vt illic oſtendemus, hoc ab oriente eſt, vt ex eo patet, quod dicit id eſſe in fronte latitudinis templi: nam latitudo eſt a ſeptemtrione ad meridiem. Igitur in orientali parte erat veſtibulum et templi aditus, vt apparet ex Moſis tabernaculo, ad cuius imitationem factum eſt hoc templum: itemque ex Ezechielis cap. 8. Adde quod Ioſephus idem tradit: quod ideo dico, ne quem fallat hodiernorum templorum conſuetudo, quæ omnia ab occidente habent aditum, vt etiam faciendum eſſe tradit Vitru-

Vitruuius: videlicet ex Romanorum conſuetudine, quam imitati ſunt noſtri.

4 *Templum feneſtris, quæ apertiles et cluſiles eſſent, illuſtrabat*) Hoc eſt, quæ aperiri claudique poſſent: hoc eſt, quæ fores haberent, ad earum differentiam, quæ habent tantum lumina, id eſt, foramina, quæ lumen admittant, nec habent fores; nam eæ cluſiles non ſunt, quoniam numquam clauduntur.

5. *Templi parieti ædiculas*, cet.) Obſcurus locus, et qui vix intelligi poteſt, ſine deſcriptione templi, quod eſt apud Ezechielem, vbi hæ ædiculæ, cellam et penetrale cingentes, vocantur tabulata, vt etiam hic. Hoc tantum intereſt, quod illa a fundamentis quaternos, hæc quinos in latitudinem cubitos patent; nam quod apud Ioſephum horum latitudo ſcribitur eſſe cubitorum εἴκοσι πέντε, hoc eſt viginti quinque, manifeſtum mendum eſt. Eſſent enim cellæ latiores, quum vocet breues domos: delendum itaque eſt εἴκοσι. Quemadmodum quod ibidem de ædicularum altitudine tradit, videlicet fuiſſe ſingulas viginti cubitorum, videtur eſſe falſum; explerent enim ſexaginta cubitorum altitudinem: ita nullus ſupereſſet locus, per quem in cellam et penetrale lumen admitteretur. Vtrobique autem binorum cubitorum appendicibus creſcunt, et ſunt vtrobique triginta, eaque trinum contignationum; nam tot illic tradit Ezechiel, hic Ioſephus. Sed quum apud Ezechielem eorum longitudo tantum cellæ et adyti longitudinem expleat, vt ibi docebimus, horum longitudo extenditur etiam poſt penetrale: quippe quum hæc ſint illis longiora tot cubitis, quot ipſa ſunt, videlicet triginta. Siquidem triceſies quinque cubiti efficiunt centum quinquaginta: quorum quum ſexaginta ad meridiem, et totidem ad ſeptemtrionem in cellæ et adyti longitudine occupaueris, ſuperſunt triginta cubiti, hoc eſt ſex ædiculæ: quarum quatuor poſt penetrale poſitæ, occupabunt ipſius penetralis latitudinem: duæ autem in angulis erunt contra duos ſexagenarios ordines. Harum ædicularum media tabulata, hoc eſt mediæ ædiculæ infimis impoſitæ (eſt enim idem hoc loco ædicula et tabulatum) ianuas habebant a templi dextro latere, ſcilicet dextra tabulata: ſiniſtra autem a ſiniſtro videlicet in vacante loco, qui eas ambibat: quem porro vacantem locum circumdabat templi paries, tantum contractionibus recedens, quantum tabulata appendicibus procedebant.

23. *Cupreſſina materia*) In hebræo eſt, Ex arbore olei, quam quidam volunt eſſe oliuam; ſed 2 Esd. 8. olea (quæ זית ſine controuerſia eſt) ab arbore olei manifeſto diſtinguitur. Hanc ob cauſſam ego hic cupreſſum verti, ſecutus græcum. Nam et ex cupreſſo oleum fieri, docet Plinius. Adde quod Ioſephus in aduecta templi materia cupreſſum nominat: cuius in his libris nulla fieret mentio, ſi hæc non eſſet.

30. *Proiectura erat quinaria*) Hunc locum non intelligo, quemadmodum neque eum, qui mox ſequitur, *Proiecturam habentes ex quarta*; quod ideo moneo, ne quem hoc loco fallat mea tranſlatio. Quod autem de interiore atrio tradit, id ita intelligendum eſt: atrii murum conſtare tribus lapidum ordinibus, et vno cedrinarum trabium, ſcilicet interiore, qui lapides obduceret, qui quatuor ordines craſſitudinem efficerent muri, cui tribuo ſex cubitos, videlicet ſingulis ordinibus vnum et dimidium, quoniam ea eſt in Ezechiele atriorum craſſitudo. Sed cur interius dicatur, et quomodo eſſent atria collocata, patebit in Ezechiele, non quia tot hic ſint, quot illic: ſunt enim illic octo, quum hic duo eſſe videantur, vt apparet in 4. Reg. 2. ſed quia hæc ipſa duo collocari videntur, quomodo duo illorum.

CAP VII. v. 2. *Nemorenſem Libani domum*) Hæc domus erat Hieroſolymis: ſic dicta, quod erat in nemore, quod Libani nomine vocabatur. Hanc vocat Ioſephus δρυμῶνα λιβάνυ, id eſt, quercetum, aut nemus Libani: cuius nec non eius porticus hanc ſubiiciemus aream.

AREA NEMORENSIS LIBANI DOMVS, EIVSQVE PORTICVS.

```
A * * * * * * * * * * * * * * * E
                F
B * * * * * * * * * * * * * * *
                G
C * * * * * * * * * * * * * * *
                H
D * * * * * * * * * * * * * * *

        K * * * * * * * L
                I
        M * * * * * * *
```

A B C D quatuor columnarum ordines. A E longitudo cubitorum centum. A D latitudo quinquaginta. His columnis imponebantur transtra, videlicet tranſuerſa ab A ad B, et a B ad C, et a C ad D, et ita in reliquis. His transtris imponebantur tabulata, hoc eſt ædificium ipſum: cuius ea pars, quæ quadraginta quinque columnis innitebatur, hoc eſt tribus ordinibus A B C, erat obducta cedro: reliqua non item, videlicet ſecundum porticum collocata, ordinibus columnarum C D innixa. Nam mediani columnarum ordines, binis ſeruiebant tabulatis, vt eſſent tres ordines tabulatorum F G H, quorum H non eſſet obductum cedro. I porticus columnata, ante illas domus columnas poſita, longa quinquaginta cubitos K L, lata triginta K M. De feneſtris quod tradit, eæ ſunt quadratæ, triplici ordine inter ſeſe reſpondentes: ita vt ſi lineam de media qualibet ſummi ordinis feneſtra demittas, ea duas duorum inferiorum ordinum feneſtras ſecet per medium. Quod ad columnarum capitula attinet (nam cetera ſunt perſpicua) ea erant rotunda, floribus ornata, ſeptenis circumdata plagis perplexis, non a ſummo deorſum tendentibus, ſed a dextra ad ſiniſtram cingentibus capitula, quomodo ſolent tendi retia. Plagarum ſtamina et fila, hoc eſt, funes, ex quibus erant confectæ plagæ, erant concatenati, hoc eſt, multiplicibus toris contorti, vt fieri ſolet. Ac per ſex quidem plagarum maculas apparebant capitulorum flores. Sed capitulorum ventres, hoc eſt, qua parte maxime tument capitula, quæ pars eorum media eſt, habebant per circuitum binos ordines malorum punicorum, quorum ordinum vterque centum habebat punica, ita vt ſingula capitula haberent ducenta punica, per medianas plagas oppoſitas ventri eminentia.

15. *Circuitus erat duodecim cubitorum*) Circuitus græce περίμετρος dicitur, cuius διάμετρος eſt tertiæ partis, hoc eſt, cubitorum quatuor: id quod ſignificauit auctor, dicens columnas quaternos occupare cubitos.

21. *Lacum fuſilem faciebat*) Mare eſt in hebræo: ſed mare pro lacu dicitur, vt in euangeliis videre licet, et huiuſmodi vaſa Latini vocant lacus.

28. *Areolas habebant clauſulis interiectas*) Quamquam quod vertimus Areolas, id in Exodo in menſæ deſcriptione ſignificat marginem. Sed illic a claudendo dicitur, quoniam claudit: hic, quoniam clauditur; quod inde

fit

fit perſpicuum, quod dicuntur areolæ clauſulis interiectæ. Clauſulæ ſunt ipſæ teniæ, quæ circumdant areolas quadratas, leonibus, bubus, Cherubis et palmis depictas, humana ſpecie: hoc enim addit ad extremum, id quod eſt de Cherubis intelligendum, quorum figura erat qualis hominis. Atque hæc quidem depicta pars erat qualis eſt, qui ab architectis in ſumma trabeatione vocatur Zoophorus, vt areolæ locum obtineant oparum, clauſulæ autem triglyphorum.

29. *Clauſulis ſuperadditi tori*) ליות torosne, an cymatia, an ſcotias, an ſimas ſignificet, nondum mihi conſtat: ne quis erret. Interea toros appellabo. Quod ſi tori ſunt, ſimos appellat, qui non perfectam habeant rotundationem, ſed ad circinum delumbatam.

30. *Aeneosque aſſeres*) Aſſeres vocat ipſam æris materiam, ex qua confectæ ſunt baſes: tametſi hic aſſerum vocabulo abutimur, quum aſſeres proprie ſint lignei.

Et in quatuor angulis humeros) Baſes quatuor angulos habebant, non reliquo plano pares, ſed in humerorum modum protumentes, qui lauacrorum ventres exciperent, collocati contra et ſupra toros, quibus ambiebantur baſes.

31. *Lauacri os intus cet.*) In medio baſis capite adſurgebat in dimidium cubitum capitulum rotundum, quod inſerebatur in ſinum, quem lauacrum habebat in fundo intro protuberantem. Ita fiebat, vt quum lauacri os ab imo fundo ad ſummam crepidinem in altum pateret vnum cubitum et dimidium, a capituli ſummo ad crepidinem pateret tantum vnum cubitum, quoniam capitulum detrahebat dimidium cubitum.

CAP. X. v. 11. *piceæ lignorum*) Secutus ſum Græcum, qui ξύλα πεύκινα: et Ioſephum, qui πέυκην vertit, traditque veram eſſe, non vulgari ſimilem, ſed ficulnæ, quamquam albiorem et ſplendidiorem. Eadem 2. Paralip. 2. vocatur Algumim, nonnihil immutato vocabulo: nam hic Almugim dicitur.

CAP. XV. v. 13. *Pana fecerat in luco*) Quo minus Priapum vertendum putem, in cauſſa eſt, quod vix credibile eſt, a femina Priapum eſſe factum: deinde quod hic in luco poſitus eſt, quod eſt Pani conuenientius: quum Priapus ſoleret in hortis collocari. Præterea quod מפ לצרת a terrore incutiendo nomen habet, id quod Pani congruit: vnde panicus timor dicitur.

CAP. XIX. v. 3. *Quibus ille minis territus*) Ita malui vertere, græcum et latinum et Ioſephum ſequens, quam vt eſt in hebræo, Et vidit: quæ ſententia eſt imperfecta. Quod ſi mutentur puncta, conſtabit.

CAP. XXI. v. 23. *In agro Iezraelenſi comeſum iri*) חל male puto legi, pro חלק: nam et vetus agrum reddidit: et 4. Regum 9. vbi idem repetitur oraculum, eſt חלק.

C. XXII. v. 30. *Ipſiusque Achabi veſtitum indueret*) Vt in hebræo eſt, iubetur Ioſaphatus habitum mutare, et ſuo veſtitu vti. Sed hæc pugnantia ſunt. Præterea ea res nulla egeret admonitione, vt ſuo veſtitu vteretur, quem alioqui non erat mutaturus. Adde quod nullus eſſet quadrigariorum errori locus, qui Achabum ſe petere putantes, numquam Ioſaphatum peterent, niſi veſte decepti. Has ob cauſſas hoc in loco ſecutus ſum græcum exemplar, vbi ita legitur: καὶ σὺ ἔνδυσαι τὸν ἱματισμόν μου.

REGVM LIB. IIII.

ARGVMENTVM IN LIB. IIII. REGVM.

Ad Eliam angelus. Cæleſtis ignis. Eliſæus cum Elia. Huius raptus. Eliſæi vaticinia. Immolatus natus regius. Oleum, puer excitatus ex mortuis. Naamæ lepra. Sanus ex fluuio. Samariæ fames. Filii manducati. Iezabel peſſima. Per Iehum factæ cædes. Athaliæ nex. Eliſæi mors. A cadauere miraculum. Regum Iudææ, et Iſraelitarum ſucceſsio. Achazi prauitas. Iſraelitarum in Media captiuitas. Ezechiæ pura pietas. Eſaias vates. Senacheribæorum profligatio per angelum. Legis liber inuentus, Ioſia regnante. Huius pietas. Paſcha ſub iſto. Succeſſoris impietas. Nabuchdonoſor Hieroſolymam depopulatus.

ADNOTATA.

CAP. III. v. 6. *Miſitque ad Ioſaphatum*) In hebræo eſt: Iuitque et miſit: aut Iuitque mittere: quod gallice bene exprimitur: Il alla mander.

CAP. IIII. v. 37. *Illa ad pedes ei accidit*) In hebræo eſt, Venit et accidit: quem hebraismum Galli ſic exprimunt, Elle ſe vint ietter a ſes piedz. Atque hic loquendi modus frequenter occurrit.

CAP. VI. v. 25. *Cabi ſtercoreis columbini*) Quis poſſit eſſe fimi columbini vſus in cibis, non video: niſi quod hic tradit Ioſephus, vſos eſſe pro ſale.

34. *Quem ſubſecutus rex*) Hunc locum ex Ioſepho compleui, additis his verbis: Quem ſubſecutus rex. Nam Ioſephus ita ſcribit: Sed vos (inquit Eliſæus) quum venerit is, cui hoc mandatum eſt, obſeruate, vt ingreſſurum in ianua prematis, atque retineatis: etenim ſequetur eum ad me veniens rex, mutato conſilio. Atque illi quidem, vbi venit qui a rege ad perimendum Eliſæum miſſus erat, iuſſa fecerunt. Ioramus autem ſuæ contra vatem iracundiæ pœnitens, veritusque, ne eum iam occidiſſet, qui ad hoc miſſus erat, properauit cædem fieri prohibere, vatemque conſeruare. Atque vbi ad eum venit, conqueri de eo cœpit, qui eis præſentium malorum remedium a Deo non poſtularet, ſed eos malis illis confici ſpectaret.

CAP. XX. v. 13. *Quibus delectatus Ezechias*) וישמע male legitur pro וישמח, vt hiſtoria et translatio vetus et liber Paralipom. oſtendit.

PARALIPOMENON, QVI HEBRAEIS ANNALES DICVNTVR, LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM IN PRIMVM PARALIPOMENON.

Adami, Iſraelis, Dauidis, Iudæ, Rubenis, Leuis, Iſſacharis proles. Beniaminis, Nephthalis, Ephraimi, Aſeris progenies. Hieroſolymæ

lymæ populus. Leuitæ. Saulus. Dauidis regnum, geſta, ..ngiarium. Nathan. Templi apparatus. Aaronis proles. Regis miniſtri. Solomo.

ADNOTATA.

CAP. II. v. 18. *Vxorem duxit Azubam et Ieriotham*) Ad verbum legitur, Genuit Azubam vxorem et Ieriotham. Sed ineptum eſt, vxorem a marito genitam dici. Azubam autem eius vxorem fuiſſe, mox patet: vbi mortua Azuba, dicitur Ephratam duxiſſe. Accedit et græca et vetus latina translatio, quæ conuenit cum noſtra. Mendi cauſſa fuiſſe videtur, quod toties in hoc capite gignendi verbum repetitur.

24. *Calebus cum Ephrata congreſſus eſt*) Et hic eosdem ſecutus ſum interpretes.

54. *Salmæ filii Bethlehemus et Netophatis*) Hic locus eiusmodi eſt, vt nihil adnotare poſſim, niſi, me nihil in eo intelligere.

CAP. III. v. 5. *Ex Bethſaba*) In hebræo eſt, Ex Bathſua. Sed Bethſabam et Græci et Hieronymus vertit: et in libris Regum Bethſaba dicitur, nusquam Bathſua.

22. *Sex, Hatus, Iegaal*) Et hic locus mutilus eſt. Quum enim dicantur eſſe ſex, nominantur tantum quinque.

CAP. IIII. v. 21. *Familias officinæ linariæ*) Hic totus locus ita deprauatus eſt, vt neque ex græco, neque ex latino poſſit corrigi.

CAP. XI. v. 12. *Eleazarus*) Quod hic Eleazaro tribuitur, nec id ſoli, id 2. Reg. 23, 11. Sammæ adſcribitur, cuius hic nulla fit mentio; quum tamen tres eſſe præcipui dicantur. Videtur hic locus eſſe mutilatus, vt et alii in his duobus libris multi.

CAP. XXIIII. v. 6. *Ita vt Eleazaro binæ, Ithamari ſingulæ adſcriberentur familiæ*) Et hunc locum in hebræo puto deprauatum. Nam quum paullo ante duplo plures Eleazaro familiæ attributæ ſint, quam Ithamari, hic contra fit. Itaque ſuſpicor in priore membro eſſe legendum, Ithamari: in poſteriore autem, in quo bis ponitur אחז Eleazaro. Significat enim hoc verbum non ſemper poſſeſſionem, ſed numerum, aut (vt Latini loquuntur) caput, præſertim quum de animalibus dicitur: in quo ſenſu poſitum eſt, Num. 31. vbi dicitur pro eo, quod paullo ante dictum erat נפש. Eſt igitur hæc ſententia: Quum Ithamari euenirent familiæ אחד אחז, id eſt, ſingulæ: Eleazaro eueniebant אחז אחז, id eſt binæ: hoc enim ſignificat geminata vox.

CAP. XXV. v. 1. *Vaticinantium in citharis*) Vaticinari vocat, diuinas res aut vatum ſcripta tractare, Deique laudes dicere: ſicut a Paulo ponitur προφητεύειν; quoniam vatum interpretes, proxime ad eorum, quos interpretantur, diuinationem videntur accedere. Athenienſes quoque diuinos quosdam ſacerdotes (vt ſcribit Cicero) Mantes appellabant, hoc eſt, vates.

CAP. XXVI. v. 21. *Natus eſt auctor familiæ Iebielis*) In hebræo ponitur hoc nomen in plurali numero, quum de vno dictum ſit: id quod et ſæpe fit, vt ſupra cap. 23, 17. vbi dicuntur Eliezeri filii, quorum ſit Bahabia primus, quum ibidem alios habuiſſe negetur Eliezer. Hoc modo loquuntur et Latini, quum Liberos vocant plurali numero, etiam de vno loquentes.

PARA

PARALIPOMENON LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM IN SECVNDVM PARALIPOMENON.

Ad tabernaculum Iouanum Solomo. Sacrificia. Poſtulata ſapientia. Solomonis opes, ad Hyramum petitio. Fani fabricatio, partes eiusdem, et ornamenta, dedicatio. Solomonis Pſalmus. De cælo ignis. Ad regem Ioua. Per Solomonem oppida reſtituta. Regina Sabæ. Mors Regis. Roboamus heres. Aegypti rex in Iudæam. Iſraelitarum cædes. Aethiops in Aſam. Aethiopum cædes a Iudæis. Iſraelita in Iudæam. Ioſaphatus pius, Elias. Athaliæ crudelitas. Templi inſtauratio. Zachariæ nex. Amaſiæ impietas. Hieroſolymæ excidium. Fani luſtratio. Ezechiæ paſcha, pietas. Libri legis inuentio. Holda vates femina. Ioſiæ nex in prælio. Hieroſolymæ direptio.

ADNOTATA.

CAP. IIII. v. 10. *Ad dextrum latus orientale ſecundum meridiem*) Dextrum latus vocat habita ratione mundi. Nam templi quidem ſiniſtrum latus eſt meridies, ſi ab oriente ingrediaris.

CAP. IX. v. 15. *Scuta ex auro ductili ſexcentenaria*) Ad verbum ſic, Inſumtis auri ductilis ſexcentis in vnum ſcutum: id quod de ſiclis intelligendum eſt, quoniam ſiclis ponderant Hebræi; vt ſi latine ſaxum dicas centenarium, intelligetur centum librarum, quia libris vtuntur Latini. Item ſi hominem dicas ſexagenarium, de annis dicas, quoniam ab annis numeratur ætas. Atque eodem modo in reliquis. Iam quod hic clipei trecentenarii dicuntur, quum in tertio libro Regum cap. 10, 16. ſcriptum ſit, in ſingulos inſumtas eſſe trinas minas, apparet minam centum valere ſiclos.

18. *A tergo*) מאחריו legendum videtur, vt in 3. Reg. 10, 19. Alioqui ſi מאחורים legas, non conſtabit ſententia.

CAP. XIII. v. 3. *Quadraginta militum item egregiorum millia*) In hebræo eſt, Quadringenta, itemque mox octingenta, et in victoria quingenta millia. Sed quum ſit hic numerus incredibilis, ſequi malui græcum et latinum interpretem, et Ioſephum, qui omnes in hoc conueniunt.

CAP. XX. v. 1. *Ammonitæ et Idumæorum pars*) In hebræo eſt, Et Ammonitarum pars. Sed abſurdum eſſet, dicere Ammonitas, et Ammonitarum partem: et hiſtoria oſtendit, adfuiſſe Idumæos Seiris montis incolas: quorum hic mentionem omiſſam eſſe, non eſt veriſimile.

CAP. XXI. v. 2. *Filii fuere Ioſaphati Iudææ regis*) In hebræo eſt, Iſraelitarum regis. Sed Iudææ legit vetus et græci interpretes, et ita poſtulat hiſtoria.

CAP. XXII. v. 6. *Deſcendit ad eum viſendum Iezraele ægrotantem Ochozias*) In hebræo eſt Azarias: ſed in vetere et latina et græca interpretatione legitur Ochozias, et in 4. Reg. 9. et ita habet hiſtoria.

CAP.

CAP. XXVIII. v. 18. *Ad regem Aſſyriæ petitum auxilium*) In hebræo eſt, Ad reges Aſſyriæ: ſed vetus et græca et latina verſio habet Regem, et ita fert hiſtoria: quemadmodum et paullo poſt Achazus Iſraelitarum rex non recte dicitur, repugnante hiſtoria, et iis duabus, quas dixi, verſionibus.

CAP. XXIX. v. 19. *Suo crimine inceſtauerat*) הזניח legendum eſt, vt vltima ſit littera He: nam ita poſtulat ſententia, et græcus vertit: ἐμίανεν, et latinus polluerat.

CAP. XXXVI. v. 8. *Quibus fuerit moribus præditus*) Ad verbum, Quid inuentum fuerit in eo. Iam inueniri, pro eſſe, aut exiſtere, aut exſtare dicitur: quoniam nihil inueniri poteſt, quod non ſit; vt ad Philip. 2, 7. Figura inuentus eſt vt homo: id eſt, Exſtitit homo. Et latine, Hic vnus inuentus eſt, qui id poſſet: hoc eſt, vnus exſtitit. Et 2. Paralip. 19, 3. Res bonæ inuentæ ſunt in te: hoc eſt, inſunt in te quædam laudabilia.

ESDRAE LIB. I.

ARGVMENTVM IN PRIMVM LIBRVM ESDRAE.

Iudæorum liberatio per Cyrum. Reduces cum Ierobabele. Sacrificia in ara noua. Aduerſarii praui contra inſtauratores. Artaxerxes imperat abſtinendum a templi inſtauratione. Darius contra iubet. Paſcha. Reduces cum Eſdra. Vxores extraneæ. Eſdræ piæ lacrimæ.

ADNOTATA.

CAP. VI. v. 2. *Inuentusque eſt Ecbatanis*) In chaldæo eſt, Amathæ: ſed et vetus et Ioſephus verterunt Ecbatana, quo fit, vt locus ille aliter chaldaice, quam aliis linguis, vocatus eſſe videatur, vt fit et in multis aliis.

CAP. VII. v. 2. *Acute eruditus*) In hebræo eſt, litteratus celer: ſed celeritas pro acumine ponitur: vt etiam latine dicitur ingenii celeritas. Eſt autem ספר (qui græce γραμματεὺς a litteris appellatur) aliquando doctus et eruditus: idque vel coniuncte, vt paullo poſt hunc locum ספר דעת idem eſt quod νομοδιδάσκαλος, legisperitus, aut profeſſor, quem Plato lib. de legib. 6. vocat ἐξηγητὴν, hoc eſt, interpretem, vel abſolute, vt Eſ. 33. tum nos litteratum aut eruditum appellamus. Nonnumquam eſt ſcriba regis. Item Iudaica ſecta ſcribarum: tum nos ſcribam interpretamur.

ESDRAE LIB. II.

ARGVMENTVM IN SECVNDVM LIBRVM ESDRAE.

NEHEMIAE ſtudium erga Artaxerxem. Idem Hieroſolymam explo-

explorans. Aduerſarii deriſores. Feneratorum cupiditas. In Nehemiam inſidiæ. Hieroſolymæ murus inſtauratus. Reduces Iudæi. Eſdræ concio ad populum. Signatores fœderis. Muri Hieroſolymitani dedicatio. Repudia vxorum exterarum.

ADNOTATIO.

CAP. IIII. v. 12. *In quibus nobis accolebant*) In hebræo ſecunda perſona eſt: ſed et ſententia et vetus tranſlatio cogit fateri, tertiam perſonam eſſe debere. Eſt autem alioqui multis in locis deprauatus hic liber: vt in cap. 3. vbi ſæpe pro Poſt eum, aut ſecundum eum legitur Poſt eos: et contra, vt item Esd. 10. vbi in eo loco, quem nos ita vertimus, Omnes feminas, et ex eis natos: pronomen Eis in hebræo eſt maſculini generis, quum debeat eſſe feminini. Itemque Nehem. 7. vbi idem repetitur, quod erat Esdræ 2. ſcriptum, numerus et hominum nomina ſæpe diſſentiunt. Quod ideo dico, ne quis me putet, quum in eiusmodi locos inciderit, hæc non vidiſſe. Neque enim neceſſarium puto, omnia minima ſcribere: quum ea poſſint, ſi quis conferre velit, facile intelligi.

ESDRAE LIB. III.

ARGVMENTVM IN TERTIVM LIBRVM ESDRÆ.

Sub Ioſia paſcha celeberrimum. Aegypti rex in Charcamim. In eum Ioſias. Huius mors. Ioachazus Ioſiæ ſucceſſor, huius captiuitas. Ioacimi regnum, impietas. In iſtum Babylonis rex. Cyrus de inſtauranda Hieroſolyma. Contra Artaxerxes. Trium rerum virtus. Zorobabel Darium exorat. Templum reficitur. Cyri decretum de fano inſtaurando. Darius inſtaurationem imperat. Ad Esdram Artaxerxes. Esdra pro populi culpa. Vxores extraneæ.

ADNOTATIO.

CAP. III. v. 7. *Darii familiaris diceretur*) συγγενὴς eſt in græco, quod cognatum quidem ſignificat: ſed videtur ex רעה tranſlatum (nam hunc librum ex hebræo græcum factum indico, tametſi hebræus interciderit) quod verbum etiam familiarem notat, et amicum. Iam regis familiaris rectius dicetur hic, quam cognatus: nam cognatum efficere ſapientia non poteſt, et cognatus eſſe quiuis poteſt. At familiares non ſunt, niſi qui habentur in pretio.

TOBIAS.

TOBIAS.

IN TOBIAM ARGVMENTVM.

Tobæus Iouæ ſuam commemorat pietatem. Talenta decem a Tobæo depoſita pro captiuis. Sæuiens in Iudæos Senacheribus. Iſtius nex a filiis. Tobæi ærumnæ. Saræ diſcrimen. Tobæus ad filium. Angelus cum Tobia. Piſcis. Tobiæ coniux Sara. Senis cæcitas. Raphael angelus. Amanis impietas.

IN TOBIAM PRAEFATIO INTERPRETIS.

Hic liber hebraice, græce, et latine exſtat. Hebraice nuper editus eſt: Latinum ex chaldæo ſermone transtuliſſe ſe teſtatur Hieronymus. Hiſtoriæ ſumma in his tribus linguis conſentit, ſed multis in locis varietas eſt. Nos ex hebræo ſermone, qui nobis viſus eſt verior, ſumus interpretati. Quas autem ſententias in græco aut latino inuenimus ad rem pertinentes, quæ in hebræo non exſtarent, græcas littera eius nominis prima, videlicet, *G.* latinas littera *L.* ſignificauimus. Quod ſicubi propter perſonarum mutationem, aut aliquam aliam cauſſam, minus cohærebant, eas his notis (.) clauſimus.

ADNOTATA.

CAP. II. v. 11. *Vbi diſceſſi cubitum apud parietem*) In hebræo eſt, apud trabem. Sed malui græcum et latinum ſequi, qui non קור, ſed קיר legerunt.

CAP. IIII. v. 19. *Atque ita iuſtorum ſepulcra pane vinoque tuo perfundito*) Quum iam iuſſerit, quidquid ſupererit, id in beneficentiam conferre, quo pacto iubet deinde ſepulcra perfundi? nam beneficentia in viuos exercetur, non in mortuos. Eſt igitur huiusmodi ſententia: Vera ſepulcrorum perfuſio eſt, liberalitas in viuos, quæ mortuis gratior eſt, quam ſi ipſorum ſepulcra vino perfunderes. Hoc pacto loquitur Dauid Pſalmo 51, 19. quum dicit, verum ſacrificium eſſe animum adflictum, et ſibi diſplicentem. Et Sibylla libro octauo, eadem cum Tobia docet his verbis:

Effigies mea homo eſt, rectæ rationis alumna:
Huic tu pone volens puram ſine ſanguine menſam,
Repletamque bonis: panem, potumque famenti,
Et ſitienti da: nudum tege corpus amictu.
De proprio caſtis manibus largire labore:
Oppreſſum recrea: feſſi ſolare labores.
Hæc a te detur viuenti victima viuens:
Sparge pie ſemen, Dominus tibi donet vt iſta.

IVDI-

IVDITHA.

ARGVMENTVM IN IVDITHAM.

Nabuchodonoſor, eius in Arphaxadum victoria. Oloſernes a rege miſſus. Ad Oloſernem legati de pace. In Oloſernem Iſraelitæ. Ioacimus Iſraelitas confirmans. Iudæorum breuis hiſtoria ad Oloſernem. Achioris conſilium. Betulienſes ad Iouam confugiunt, ad Betuliam Oloſernes. Iudithæ virtus, et concio, ad Oloſernem. Imperator obtruncatus a Iuditha. Aſſyriorum clades ab Iſraelitis. Iudithæ laudes publicæ.

ESTERA.

ARGVMENTVM IN ESTERAM.

Aſſueri conuiuium. Regina contumax. Conquiſitæ virgines pro rege. Mardochæus et Estera. Nuptiæ Esteræ cum Aſſuero. Aman in Iudæos. Horum lacrimæ. Ad regem Estera. Huius conuiuium. Aman in crucem tollitur. Iudæi in aduerſarios. Mardochæi ſomnium.

IOBVS.

ARGVMENTVM IN TOTVM IOBVM.

Iobi ſanctitas, opes, damna. Mala Iobi coniux. Amici tres. Iobi maledicta. Amici incuſatio in Iobum. Iobi angor, queſtus, vitæ vanitas. Nulla humana probitas. In Iouam Iobus lamentans. Mortis natura. Principum conditiones. In amicos tres Iobus. Adflictorum ſolamen. Simulatorum exitium. Reſurrectio. Mortis æternæ cruciatus. Iobus in amicos tres. Mortis cogitatio. Impiorum ærumnæ. Spes reſurrectionis. Leuia malorum gaudia. Se purgans Iobus. Iobus inſolens in Deum. Iniuſtus a Ioua magiſtratus. Ad Iobum Ioua. Dei potentia, prouidentia, maieſtas. Iobus ad bonam rediens frugem, tandem felicitatus.

IN IOBVM PRAEFATIO.

Qui hanc Iobi narrationem et diſputationem fictam eſſe putant, id mihi nulla ratione facere videntur. Nihil enim poteſt eſſe in vera hiſtoria, quod non ſit in hac: vt qui hanc neget, omnes negare poſſit. Quod ſi putant hoc abſurdum eſſe, quod in hoc libro Deus cum homine colloquitur: cogitent, et cum multis aliis olim collocutum, cum Noa, Abrahamo, et ceteris. Niſi forte hoc obiicient, illos ex delecto diuinitus hominum genere fuiſſe, Iobum vero Idumæum, quaſi vero vllum ſit hominum genus,

nus, quod Deus reiecerit: aut quaſi non omnes recte viuentes amet, ſicuti contra omnes iniuſte viuentes odit, cuiuscumque ſint nationis. Atque hæ ſunt rationes, quibus refellantur illi, ſi forte parum moueantur Ezechielis et Iacobi auctoritate: qui profecto numquam de Iobo tam honorificam mentionem feciſſent, ſi res fabuloſa foret. Sed quo tempore vixerit Iobus, incertum eſt. Vixiſſe quidem multo tempore poſt Moſem, videtur ex capite 15, 19. vbi tamquam de re iam olim facta, mentio fieri videtur Iſraelitarum adductorum in Chananæam. Item ex capite 32. vbi dicitur, Deus homini olim declaraſſe, ſapientiam eſſe metum Domini, quæ profecto ſententia ex Deuter. 4. aut ex Pſalm. 111. ſumta eſt, ſicut et in cap. 12. eſt hæc ſententia, Adſpergit contemtu primates, ex Pſalm. 107. pæne tota ad verbum tranſlata. Niſi ſi forte dicent, non eam ex Pſalmo tranſlatam, ſed contra: qua de re ego nolo contendere. Diſputationis autem argumentum eſt hoc: Amici adfirmant Iobum improbum fuiſſe, qui in eam inciderit calamitatem: Deum enim nullos, niſi malos, malo adficere. Iobus contra pugnat, etiam bonos a Deo malis adfici: vt ſe, qui fuerit innocens. Quumque dicant amici, viſum quidem eſſe innocentem, ſed innocentiam illam non fuiſſe veram: idque ex euentu iudicari, quippe quum peccati det pœnas, miſeriam enim eſſe peccati ſupplitium: oſtendit Iobus, etiam improbis bene eſſe, idque reipſa apparere. Quod quum ſit, non eſſe abſurdius, dicere aliquem bonum eſſe in malis, quam aliquem malum eſſe in bonis. At Deus controuerſiæ iudex, primum Iobum reprehendit, qui ſibi a Deo iniuriam fieri queratur, quod cauſſam non videat, cur tanto malo adficiatur: oſtenditque Deus, ſua opera eſſe tam ardua, vt homines, quidquid a Deo fiat, debeant fateri non ſine cauſſa aut ſine ratione fieri: quod ſi cauſſam ignorent, debeant id ignorantiæ ſuæ tribuere, non Deum iniuſtitiæ accuſare. Quaſi hoc dicat: Quamuis inſonti tibi calamitatem inflixerim, debes tamen de me, qui tantus ſim, tam præclare ſentire, vt aliquam iuſtam, ſed tibi ignotam cauſſam eſſe putes, cur ego mundi arbiter et conditor ita tecum agam. Cauſſam autem non addit, cur id fecerit, vult enim voluntatem ſuam pro ratione haberi, quod in homine iniquum (quippe qui et errare, et iniuſte agere poſſit) in Deo eſt æquiſſimum. Atque illa cauſſa nobis patet ex initio libri: id enim fecit, vt Iobi probitatem experiretur, idque inſtigante Satane. Neque vero in hac contentione victus eſt a Satane Ioua: nam Ioua contendebat, Iobum in integritate ſua permanſurum: Satan autem adfirmabat, Iobum ideo probum eſſe, quod eius res eſſent proſperæ: quod ſi in calamitatem incideret, fore, vt probitas illa adeo nulla foret, vt etiam Deum, impiorum ritu, deteſtaretur: id quod factum non eſt: nam Iobus integer permanſit, nec ita rebus aduerſis mutatus eſt, vt improbos imitari vellet. Et tamen in eo reprehendendus erat, quod ſibi a Deo iniuriam fieri dicebat: Verum id vitium non improbitatis eſt, ſed ignorantiæ. Quum enim pugnarent eius amici, omnem calamitatem eſſe peccatorum pœnas, et Iobus ſibi ſceleris conſcius non eſſet, putabat ſe a Deo iniuria adfici. Ergo Deus illum Iobi errorem verbis caſtigat, vt dictum eſt, non punit. Amicos autem Iobi grauius arguit, qui de Deo non tam recte locuti eſſent, quam Iobus. Nam in eo quod adfirmabat Iobus etiam inſontibus mala a Deo importari, recte dicebat quod quum negarent illi, non vere de Deo loquebantur. Adde quod Iobus videbat, de Dei iuſtitia non eſſe ex hac vita iudicandum, ſed ex futura, in qua bonis bene, et malis erit male: id

quod ex cap. 19. intelligi poteſt, in quo de reſurrectione loquitur. Itaque Iobum recte locutum eſſe, docet Ioua: nec illas, vitioſas quidem, ſed doloris magnitudine expreſſas impatientiæ voces, puniendas putat.

ADNOTATA.

CAP. III. v. 8. *Eam exſecrentur, qui deteſtantur dies, Leuiathanem excire conantes*) Leuiathan balæna eſt. Iob. 40. et Pſ. 104. Quoniam autem balæna eſt omnium animalium maximum, poni videtur pro furiarum et dæmonum maximo, Eſa. 27. et 4. Esd. 6. quemadmodum dracones et cete pro Aegyptiis, et Leuiathan ſiue balæna pro Pharaone dicitur, Pſal. 74. Eſt igitur hæc Iobi ſententia: Eam noctem exſecrentur, qui dies aliqua calamitate infames deteſtantur, atroſque et nefaſtos ſtatuunt, vt Romani Allienſem et Canenſem, qui quidem conantur excitare Leuiathanem: hoc eſt, diras cient, diris vtentes deprecationibus: quod fit in rebus triſtibus et atrocibus.

CAP. V. v. 1. *Vociferare, ſi quis, cet.*) Inuoca Deum, et ſiquidem ſanctus es, exaudiet te, et iſto malo liberabit: nam ſi ſanctos viros conſideres, eorum conditio talis eſt, vt eos ſemper defendat Deus. Quod ſi non exaudit te Deus, ſed perimit, apparet te improbum eſſe: nam non niſi improbos perdit Deus. Atque hoc eſt totius huius capitis argumentum, quod duobus primis verſibus breuiter comprehenſum, deinceps tractatur explicatius. Poteſt autem hoc pacto informari: Qui pii et ſancti ſunt, eos contra mala defendit Deus: te autem non defendit, ergo pius non es. Item, Qui Dei ſeueritate necantur, ſtulti ſunt: atqui tu Dei ſeueritate necaris, ergo ſtultus es.

CAP. VI. v. 2. *Vtinam mea impatientia, cet.*) Videor vobis immoderatius dolorem ferre: ſed ſi doloris magnitudo, quo premor, cum meis querelis conferatur, inuenietur dolor tanto grauior mea querimonia, vt id verbis exprimere nequeam. Nam Deus me premit acerrime, id quod hinc intelligere ſic licet. Quum rudit onager, profecto intelligitur eum pabulo carere: quod idem de boue dico, nec enim ſunt eiusmodi animalia, vt ſine cauſſa conquerantur. Itidem quum ego nunc conquerar, ne putate, id facere me ſine magno malo. Præterea quum videatis me optare mortem, debetis exiſtimare, magnam aliquam eſſe cauſſam, quæ efficiat, vt tam acerba res (qualis eſt mors) mihi placeat. Nam ſi inſubidi cibi, quale eſt album oui, quamuis cibi ſint, tamen ſine ſale non placent: quanto minus palato ſapiunt, qui natura ſunt amari? Quod ſi videatis aliquem amari cibi cupidum eſſe, profecto iudicetis aliquid eſſe cauſſæ, quæ cibi acerbitatem quodam quaſi ſale leniat atque condiat. Atqui ego mortem expeto, qua triſtius nil videtur eſſe, et quam antea reformidabam: et ita expeto, vt ſolent cibos expetere, qui eſuriunt. Quod quum ita ſit, non dubium eſt, quin tantus ſit dolor meus, vt eo mortis acerbitas ſuperetur, et quaſi quodam ſale condita, dulcis eſſe videatur. Quod ſi ſæuiret in me interficiendo Deus, hoc mihi eſſet gratisſimum, tantumque abeſt vt Auguſti, hoc eſt Dei, verba reſpuam ac reformidem, vt cupiam eum in me non verbis, ſed verberibus et leto deſæuire. Quod autem interprretatus ſum, mihi pro victu ſatis eſſet: legitur כדיי pro כדי: alioquin inſipida eſſet ſententia. Neque vero eſt (inquit Iobus) quod me putetis, quum mortem oro, nimis eſſe mollem et imbecil-

becillum: non hoc imbecillitati meæ, ſed grauitati doloris eſt adſcribendum: quo premor ita, vt quamuis quod in me eſt, faciam, tamen cogar ſuccumbere. Itaque non mirum eſſet, ſi in tanto malo parum religioſus eſſem: quum idem facere ſoleant, qui magno aliquo malo torquentur, quamuis eis adſint et ſubueniant amici, vincente videlicet dolore patientiam. At mihi ne hoc quidem adeſt, vt me amici conſolentur: nam vos, qui mihi fratres eſtis, et amici, non me leuatis, ſed fallitis: perinde ac ſi quis torrens glacie infuſcetur ac tegatur, deinde operiatur niue, quæ nix efficiat, vt minus denſa glacie incruſtetur, ita vt vel leui calore diſſolui poſſit, et priſtinum tenere curſum. Nam ad eum torrentem ſi veniant viatores, et glaciem tangant (vt fieri ſolet) ac baculis aut pedibus tentent, inuenient fragiliorem, quam vt eos ferre poſſit. Itaque fruſtra venerint, id quod eos peſſime habebit (id eſt enim quod dicit, Pereunt) nec poterunt tranſire quo tendebant, videlicet ad Themam, aut quouis alio. Vt igitur illos torrens, ſic me vos fallitis: nec eſtis veri amici, qui viſo meo malo metuitis, et eſtis inconſtantes. Atqui non eſt quod metuatis: nihil enim a vobis poſtulo.

CAP. VI. v. 25. *Voſne arguendi cauſſa?*) Quod me excogitatis verbis reprehenditis, id plus eſt quam reprehenſio: nec iſta nefaria et iniuſta verba abeunt in ventum: hoc eſt, non ſunt inania, aut innoxia: ſed me pupillum, hoc eſt hominem deſtitutum ac miſerum, premunt atque labefactant. Quaſi hoc dicat: Quod contra me diſputatis, id non arguendi, ſed lædendi me gratia facitis, aut certe in eo faciendo me læditis.

CAP. XIIII. v. 18. *Quumque labefacti cadant montes, cet.*) Nihil eſt, quod temporis ſpatio fieri nequeat, cadere montes, tranſmoueri rupes, cet. at homo nihil melius vllo æuo poſt hanc vitam ſperare poteſt, ſiquidem numquam reuicturus eſt. Neque vero hoc dicit, quaſi nullam ſperet reſurrectionem Iobus: nam cap. 19. aperte demonſtrat, ſe eam ſperare. Sed hic ex aduerſariorum ſententia diſputat, et eos ita refellit; ſi hæc dumtaxat vita ſpectatur (vt eam veſtræ ſpectant diſputationes, in quibus nulla habetur futuræ vitæ ratio) profecto nihil eſt homine miſerius, qui non ſolum ſit in hac vita calamitoſus, verum etiam omni ſpe in poſterum careat.

CAP. XVII. v. 3. *Depone ſane, fac mecum ſponſionem, cet.*) Deum adloquitur. Si ſponſione certandum ſit, vtrum tu mihi facias iniuriam, nec ne: ego vincam, ſi modo habeam idoneos ſponſores, qui mihi manum dent, hoc eſt, pro te abſente ſpondeant. Sed vbi tales ſponſores inueniam? hosne meos amicos tu ſponſores dabis? Non opinor: nam tu eorum mentibus ingenium detraxiſti: hoc eſt, nihil habent ingenii, ſtupidi ſunt, et ignari rerum: ideoque ad hanc ſponſionem parum idonei, ſi mihi licet libere et citra adſentationem loqui. Dicit autem, Deum eis ingenium detraxiſſe, pro non dediſſe: ſicut cap. 39. dicitur Deus ſtruthiocamelum priuauiſſe ſapientia, hoc eſt, ſapientiam ei non impertiuiſſe: vt ibidem geminata ſententia patet.

CAP. XXI. v. 4. *An mihi cum hominibus diſputatio eſt? cet.*) Vos, cum quibus ego diſputo, indigni eſtis, qui homines appellemini. Nam ſi vere homines, hoc eſt, ſi cordati et prudentes eſſetis, eſſet oratio mea breuior: hoc eſt, adſentiremini meæ orationi, quæ vera ſit. Ita fieret, vt vobis nihil contradicentibus, ego iamdudum tacerem, neque tam multa verba in vobis refellendis facerem. Homines autem dicit, pro vere hominibus (ſunt enim quidam vocabulo tantum homines) ſicut Solomo Prou. 28. et idem Prou. 16. reges vocat, bonos reges: et Eccleſ. 7. virum et feminam eodem modo. Tale eſt, quod dicimus latinam orationem, pro eleganti.

16. *Si non habent in manu ſuum bonum, me præterit impiorum conſilium*) Omnia bonum appetunt, et ad id ſuas actiones dirigunt. Quod ſi eſt, impii quæ faciunt, boni conſequendi cauſſa faciunt. Atqui ſi viderent ſe nihil boni conſequi, nihil poſſet eſſe ſtupidius eis, qui ſcientes fruſtra agerent, quæ agunt. Itaque ego non video, quo conſilio ita viuant, niſi quod vident, ſe ita viuendo potiri bonis: neque enim ſine cauſſa faciunt, quæ faciunt. Proinde neceſſe eſt, vt fateamini, improbos eſſe in hac vita felices.

CAP. XXIIII. v. 1. *Cur ab Omnipotente non ſunt, cet.*) Dei tempora et dies vocat ea, quæ quoque tempore et die facit Deus: et loquitur in hanc ſententiam: Impii et in vita fortunati ſunt, et in morte non diu torquentur: quod dum vident pii (eſt enim manifeſtius, quam vt negari poſſit) torquentur, vt habetur Pſalm. 73, 3. Itaque præſtitiſſet (vt videtur) hæc latere pios.

18. *Celeres ſunt in humore*) Similes ſunt ſtirpibus in humore et vligine creſcentibus, quæ cito pereunt, vt iuncus: neque ſpectant vinearum naturam, hoc eſt, non ſunt vitis ſimiles, quæ etiam ſine vligine viuit in arido loco. Atque hoc dico, felicitatis eſſe, cito mori, non diu languere, vt ſolent boni. Impii cito pereunt, vt niualis aqua æſtu abſumitur: et ita pereunt, vt eos obliuiſcatur vterus: hoc eſt, vt fiant perinde ac ſi numquam ex vtero prodiiſſent, et nati fuiſſent: id quod eis ſuaue eſt, exſtingui poſtquam feliciter vixerunt, et ſe maleficiis oblectarunt, corrumpendo fetus in vtero ſtupratarum a ſe mulierum, ne flagitium pateret, et viduis malefaciendo (adulteros notat, et violentos) et in homines quamuis generoſos graſſando, cædendo, prodendo, inſidiando. Poſtquam aliquamdiu ita viguerunt, non dant pœnas: ſed moriuntur vt omnes, et cito pereunt. Atque hæc ſunt apertiora, quam vt poſſint refelli.

CAP. XXVII. v. 8. *Quid enim ſperandum erit ſimulatori, cet.*) Si ſimulator et impurus eſſem, periiſſet mihi ſpes vna cum re: nec enim exaudiret me Deus inuocantem. Nunc religioſus ſum, et ideo meliora ſpero. Hoc enim differt inter probos et improbos, quod improbi tandem funditus intereunt, nec eis ſpes vlla ſupereſt, at probis ſupereſt. Hanc ſpem vos non ſpectatis, in quo eſtis ſane futiles, qui tamen vultis oracula dicere videri. Hoc enim etiam atque etiam vrgetis, me, niſi improbus fuiſſem, non fuiſſe futurum in malis: ego dico etiam probos adfligi, et quidem ſæpe grauius quam impios, ſed ſpe non deſtitui.

CAP. XXVIII. Eſt autem ea ſpes in ea religione (vt dixi) poſita, quæ religio eſt vera ſapientia, omnium quæ expetuntur rerum pretioſiſſima, et maxime expetenda. Sed ea quærenda non eſt, vbi quæruntur, quæ ſolent a mortalibus expeti, qui ſummo labore et diligentia gemmas et aurum rimantur penitus in viſceribus terræ. Sapientia in ſuo cuique animo quærenda eſt. 1 Hoc eſt totius capitis argumentum: quod ſi clare vis intelligere, lege Plin. lib. 33. cap. 4. nihil erit, quod ad huius Iobi loci declarationem requiras. Nos tamen paucis exponemus. Inueniunt (inquit) homines metalla, argentum, aurum, ferrum ex humo erutum, et ex lapide æs. Hoc Plinius docet lib. 34. cap. 1. *Tenebris imponitur finis*, penetrant ſub terras, vbi tenebræ ſunt, eoque lumen inferunt, et ad lucernarum lumina abdita in tenebris perſcrutantur gemmas. *Deriuantur ex peregrino ſolo fluuiina*, ſcilicet ad irrigandam egeſtam terram, in qua aurum quæritur: quæ flumina vocant corrugos, a corriuando. *Et ignorata pedibus, et quæ caruerant hominibus aguntur*, ſcilicet flumina: hoc eſt, aqua, quæ ſub terris fluebat, quam nulli accolebant homines, elicitur hominum labore, et docetur alium

temere

temere curſum: vt eſt in Plin. 33. cap. 6. *Tellus quaſi igne euertitur.* Agunt per magna ſpatia cuniculos, et terram ſubeunt, non ſecus ac ignis facit, vt in Aetna et Veſuuio. Quin etiam occurſantes ſub terra ſilices, igni rumpunt et aceto, dum illic gemmas et aurum quærunt homines, quo numquam vllæ, quantumuis agreſtes, aut feræ penetrauerant beſtiæ: ſed ne adſpexerant quidem perſpicaciſſimæ.

CAP. XXVIII. v. 11. *Ex lacrima perſcrutantur fluuios*) Vbi rupes lacrimare vident, eas excauant, ad corrugos eliciendos.

CAP. XXIX. v. 4. *Qualis eram mei veris tempore*) Hiemis, in hebræo legitur. Sed quum diuidant Hebræi annum in hiemem et æſtatem, fit vt veris pars prior hiemi tribuatur, ſicut poſterior æſtati, vt eſt Matth. 24. Eſt enim veris initium, finis hiemis. Eum autem de vere ſuo, hoc eſt, de adoleſcentia loqui, patet ex tota ſententia.

CAP. XXX. v. 12. *Cui nullus ſubueniat*) למו ſicut Gen. 9. poſitum eſt pro לו, interpoſita littera מ: ſicut Oſe. 12. in עמני litteram נ interiectam docuimus: alioquin frigeret ſententia.

CAP. XXXI. v. 35. *Mea quidem cupiditas eſt*) תור pro תאותי contracto vocabulo poſitum eſt, ſicut Eſa. 43. בי pro בריח. Hoc enim cogit fateri ſententia, quæ alioqui inepta eſt. Adde quod vertit vetus interpres, Deſiderium.

CAP. XXXIII. v. 12. *Si maior eſt homine Deus*) Inepte facis, qui velis diſputare cum Deo, tamquam ſis ei par. Eſt enim hoc eorum, qui inter ſe æquales ſunt, inter ſeſe diſputare, et inuicem rationes audire. Sed Deus tanto eſt homine maior, vt indignum ſit, eum homini reddere omnium rationem, quæ faciat. Nam rationem reddere, eius eſt, de cuius facto rectum necne ſit, dubitari poteſt. Deus is eſt, de quo dicendum ſit, Ipſe dixit: eſtque eius auctoritas pro ratione habenda. Itaque ſemel quod pronuntiauit, non iterat. Interim homines per ſomnia monet, et eorum pœnam concludit: hoc eſt, oſtendit, non eſſe diſputandum, cur ita malis adficiantur: ſed pœnam eſſe certam atque fixam, et eius auctoris, a quo non ſit exigenda ratio. Quod dum facit, detrahit homini facta: hoc eſt, oſtendit eum nocentem eſſe, et ea feciſſe ac peccaſſe, propter quæ non ſit ſuperbiendum, ſed oranda venia. Ita fit, vt homo Dei magnitudinem animaduertens, ſeſe ſubmittat, atque ita veniam ſalutemque obtineat. Vide eadem pæne cap. 36.

CAP. XXXIIII, v. 17. *Fierine poteſt, vt qui, cet.*) Quod interpretor, *Recte curat, quæ agit:* id verbum in hebræo ſignificat vulnus faſciis inuoluere, et mederi. Et quia medici eſt, morbos non ſolum abigere, ſed etiam arcere, fit vt id verbum ad alia translatum, ſignificet non ſolum mederi præſenti malo, ſed etiam ita aliquid agere, vt malum abſit, bonumque adſit: quod græce vno verbo dici poteſt, κατορθοῦν. Eſt autem hic ſenſus: Si iniuſtus eſſet Deus, non poſſet, quæ curat et facit, recte facere. Nec enim dici hoc poteſt, eum peccare metu. Sit hoc hominum proprium, vt potentiorum metu delinquant: Deo adeo nullus eſt potentior, vt etiam reges pro nihilo ducat. Atqui mundum recte adminiſtrat: eſt ergo iuſtus.

CAP. XXXVI. v. 29. *In quas quidem ſuum lumen explicans, maris radices tegit*) Quum nubilum eſt cælum, lux excepta late nubibus, et impedita, non poteſt in inferiora penetrare. *Ita maris radices teguntur:* hoc eſt, lux impeditur nubium tegumento, quo minus in maris fundum

pene-

penetret: ſic enim appellat radices, imam partem. Per nubes autem Deus et populos vlciſcitur, dum ſata nimio aut intempeſtiuo imbre corrumpit: et victum copioſe largitur, dum modice et tempeſtiue pluendo fruges alit. *Lucem palmis tegit:* hoc eſt nubibus, quæ ſunt quaſi Dei palmæ ſedentis in æthere, *Curatque,vt luci occurratur:* hoc eſt, vt eam impediant nubes: quas dum luci nuntiat Deus, hoc eſt, excitat aduerſus lucem, iraſcitur lux aduerſus adſcendentes nubes, quæ ſibi obſtent. Vide cap. 38. de mari.

CAP. XXXVIII. v. 13. *Et ab ea diſiiciantur impii, cet.*) Adulteri, fures, latrones, proditores, et ceteri, quos hic vocat impios, noctu ſuis flagitiis inuigilant: iidem adueniente die, lucifugi diffugiunt: *et mutato ea quaſi rubricæ ſigillo*, hoc eſt, diſcuſſa nocte, quæ eos tegit ac concludit, ſicuti rubricæ aut cuiuſuis rei ſigillum, operit ea,quæ eo ſignata ſunt: *fiunt veſtis ſimiles*, ſeſe contrahunt, et quaſi veſtes complicant, ac in latebras coniiciunt: *et ſua luce priuantur impii:* quemadmodum cap. 24. dixit Iobus, impiis matutinum eſſe pro tætra nocte: quod vt ceteri homines mane ad opus prodeunt, ſic illi tum ſeſe recipiunt: ita hic Deus impiorum lucem appellat noctem, quod noctu agant, et noctuarum ritu diem pro nocte, et noctem pro die habeant. *Sublimeſque lacerti franguntur:* impii orta luce vires amittunt, et audaciam, et ſeſe pauidi recipiunt, qui alioquin noctu ſunt feroces.

CAP. XL. v. 12. *Ramoſis ſummæ caudæ neruis*) Caudam hic appellat promuſcidem. פחד autem eſt ſumma caudæ pars, adhærens ſpinæ dorſi, quæ a pauore ideo vocatur, quod beſtiæ dum metuunt, ſolent eam contrahere. Atque eodem modo græce vocatur ὀῤῥός vnde fit ὀῤῥωδεῖν, reformidare. Deum autem de cauda hic loqui, patet ex eo, quod ante comparauit caudam cedro: quam ſententiam quum, vt ſolet, iterare vellet, iam non cedrum vocat, ſed (quod proximum eſt) ramoſos neruos.

28. *Adeoque ſpes tua ſit fallax*) In hebræo eſt, Spes eius. Sed quum prius vſus eſſet ſecunda perſona pro quauis, nempe, Cenſere cum ea manum, pro, Si quis cum ea congrediatur: volui obſcuritatem euitare, quæ fuiſſet in tertia perſona. Eſt autem hic ſenſus: fruſtra ſperes, eam poſſe vinci: ne adſpectum quidem ferre poſſis.

CAP. XLII. v. 13. *Habuit et ſeptem filios, et tres filias*) Atqui paullo ante dicitur Deus ei omnia conduplicaſſe: quod quum fiat in pecore, in liberis non fit: habuerat enim totidem. Sed hic intelligendum eſt, latere myſterium reſurrectionis. Nam quum pecora Iobo periiſſent, liberi hac vita defuncti non perierant: viuunt enim omnes Deo. Quod ſi ei duplex liberum numerus redditus fuiſſet, habuiſſet triplicem numerum. Hanc rem me docuit Italus quidam.

LIBER PSALMORVM.

PRAEFATIO IN PSALMOS.

Antequam ad ſingulorum locorum explicationem veniamus, pauca in vniuerſum præfanda ſunt. Hic liber apud Hebræos vocatur Liber laudationum, quod in eo Dei laudes continentur. Græce poterat Hymno-

rum liber dici: ſed quia pſalluntur, hoc eſt, fidibus canuntur hæc carmina, et pleraque Mizmor, hoc eſt, ψαλμὸς *inſcribuntur, vocauer. Pſalmos, aut Pſalterium: quod nomen Latinis vſitatum nos retinuimus. Titulos alii habent, alii non habent. Qui non habent, hos Dauidi eſſe puto. Qui habent, aut habent in græco tantum, aut etiam in hebræo: et in græco quidem biſariam: nam aut totus titulus græcus eſt aut tituli pars: atque illud aliquando in græco indicatur his verbis* ἀνεπίγραφος παρ' Ἑβραίοις, *hoc eſt, titulo carens apud Hebræos: aliquando non indicatur. Quod autem de græco dico, idem de latino dictum volo: nam vulgaris latina pſalmorum translatio, meo quidem iudicio ex græco ducta eſt, non ex hebræo. Significant autem tituli aut rem geſtam, quæ carmini dederit occaſionem: aut auctorem, aut argumentum, aut genus carminis: aut muſicum inſtrumentum, quo canendum carmen ſit: aut cantorem, a quo canendum ſit: aut horum modo plura, modo pauciora. Quod ad res geſtas attinet, eæ patent ex ſacris hiſtoriis. Auctorum præcipuus eſt Dauid: ſed ſunt et alii, vt Moſes. Quod ad eos attinet, qui inſcribuntur* לבניקרח, *hoc eſt, filiorum Coræ, ſiue filiis Coræ (eſt enim apud Hebræos ambiguum) eos Dauidis eſſe puto, ſed ſcriptos, vt a Coranidis (ſic enim nos Cora prognatos nomine patronymico appellamus) canerentur, ideoque Coranidarum appellari: vt ſi puellarum cantionem dicas, non ſignifices puellas auctores eſſe carminis, ſed cantatrices. Sed an idem de Aſapho et Hemane et Ieduthune dicendum ſit, an vero ipſi auctores fuerint eorum, quæ ipſis adſcribuntur, ego neſcio. In 2. Paral. 29, 30. laudari dicitur Deus verbis Dauidis, et vatis Aſaphi: vbi videtur Aſaphus auctor eſſe: ſicut et Ieduthun appellatur vates regius, 2. Paralip. 35, 15. Quod ad carminum genera, muſicaque inſtrumenta attinet, ea hodie adeo ignota ſunt, vt nihil facile adfirmari poſſit: quod eo minus in hebræo mirum eſt, quum etiam in gallica lingua exſtent quædam carminum genera, quorum nominis ratio reddi vix, aut ne vix quidem poſſit: quale illud eſt, quod vocatur Balade. Igitur quæ potui, ea ſum interpretatus: alia hebræa reliqui, vt Gitthith, vt Almuth Labben: quod idem feci et in voce Sela, quæ in Pſalmis ſæpe occurrit: quæ quidem videtur muſicæ rationis eſſe, ſed hodie ignotæ.*

ADNOTATA.

PSAL. VII. v. 13. *Nefas pariet*) In hebræo eſt, Falſum pariet. Vt autem verum pro æquo iuſtoque tum apud Hebræos, tum apud Latinos dicitur: ita falſum apud Hebræos pro iniuſto, vt et in Pſalmis frequenter, et Eſa. 44. quod et apud Latinos fit in aduerbio falſo, pro immerito et iniuſte.

PSAL. XI. v. 7. *Quæ ſors eſt eis exantlanda*) Ad verbum legitur, Portio calicis eorum. Sed id verbum pro ſorte et conditione ponitur, vt Pſal. 63, 11. Portio vulpium erunt: hoc eſt, eamdem cum vulpibus con-

ditionem ſubibunt. Quod verbum in nouo Teſtamento modo μερὶς, modo μέρος dicitur, vt Lucæ 10, 42. Μαρια τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, Maria bonam conditionem elegit. Et Matth. 24, 51. καὶ τὸ μέρος αὐτῶν μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει, Faciet eamdem eius ſortem, quam fictorum: hoc eſt, habebit eum eodem numero aut loco, quo fictos et impuros homines. Gallice quoque party vocatur conditio, deducto a parte vocabulo. Calix autem dicitur pro re, qua fungendum eſt, ſiue læta, vt Pſalm. 16. ſiue triſti, vt hic: quæ poſterior tranſlatio latine exprimitur per verbum Exantlare, quod exhaurire ſignificans, et a calicis potione non abhorrens, ponitur pro perfungi atque pati.

PSAL. XV. v. 4. *Quodque iurauit alteri, non reuocat*) In hebræo eſt, Quodque iurauit ad malum: ſed ſententia non ſatis apta eſt: nam iurare ad malum, ſi hebræum ſermonem ſpectes, eſſet iurare ſe male facturum, aut alicui nociturum, vt licet videre in Pſal. 37. Apud Hebræos idem verbum, et malum, et proximum ſignificat, mutatis punctis vocalibus, in quibus facilis eſt lapſus. Itaque Græcus vertit, τῷ πλησίον αὐτῶν: et Latinus, proximo ſuo: quæ ſententia mihi videtur aptior. Proximus autem pro alio, non ſolum hebraice dicitur, ſed etiam græce, ὁ πέλας.

PSAL. XVIII. v. 35. *Ferreos vt arcus*) In hebræo eſt, æneos, ſed ære non fiunt arcus: et ponitur pro metallo, et porro pro ferro, ſi de re ferrea agatur, vt apud Homerum χαλκός.

PS. XXII. v. 1. *Super auroræ cerua*) Ceruam Chriſtum vocat, quem Iudæi, tamquam ceruam canes, infeſtabant. Auroræ autem vocat, propter reſurrectionem mox ſecuturam, quæ etiam Pſal. 49, 20. vocatur matutinum, quod ea eſt lucis, hoc eſt, beatæ vitæ initium.

24. *A te mea laudatio*) Hoc eſt, Tu eris meæ laudationis auctor, teque laudabo. Quomodo dixit Virgilius:

Ab Ioue principium Muſæ.

Et illud: A te principium, tibi deſinet.

PSAL. XXIIII. v. 4. *Qui non animo ſuo ad nequitiam vtitur*) Hoc eſt: Qui non falſo et malitioſe iurat, vt continuo ſequitur: nam iurantes id teſtamur, quod habemus in animo, vt videre licet in Ierem. 38, 16. vbi iurat Sedecias. Quod ſi falſum iuramus, abutimur animo noſtro.

PSAL. XXXVII. v. 3. *Bene fac, incoles terram*) In hebræo verbum Incoles eſt imperatiui modi: ſed hic ponitur pro futuro, vt in hoc eodem Pſalmo: Recede a malo, et benefac, et dura in perpetuum (ſic enim legitur ad verbum) pro durabis: neque enim iubet durare in perpetuum, quum id penes hominem, cui iubet, poſitum non ſit. Sic loquitur et Eſaias capite quinto. Latini quoque, vt Virgilius:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fetura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

16. *Multo præſtat tenuis res bonorum, quam impiorum opulentia*) In hebræo eſt, Præſtat tenuis res bonorum quam impiorum multorum opulentia. Qualis hebraiſmus eſt in illis Chriſti verbis: Nonne vos pluris eſtis quam multi paſſeres? pro hoc, Nonne vos multo pluris eſtis quam paſſeres?

29. *Improbi vero dabunt pœnas*) Hic dimidius verſus in hebræo deſideratur: ſed eſt addendus: nam huius carminis alii verſus omnes conſtant binis membris, quod in hoc non fieri, eſſet abſurdum. Præterea quum ſit hoc carmen ordine litterarum ſcriptum, hic deſideratur littera Ain: ex quo patet,

patet, mutilum eſſe locum: qui mutilus non erat, quum eſt in græcum tranſlatus, vbi ita legitur: ἄ ομοι ἐκδιωχθήσονται, et in latino, Iniuſti punientur: ex quo eos coniectura eſt legiſſe עוילים.

PSAL. XLIIII. v. 3. *Ceteriſque nationibus malo adfectis immiſeris*) Immitti ſiue ſubmitti dicuntur reſeces, hoc eſt, ſarmenta, quæ ceteris amputatis, relinquuntur, vt ſint fructuaria. Sic hoc loco Deus excifis Chananæis, dicitur Hebræos immiſiſſe ac propagaſſe. Hoc eodem verbo שלח vſus eſt et Ezechiel, pro comam diffundere, et materia luxuriare, cap. 31, 4.

PSAL. XLV. v. 17. *Parentibus tuis ſuccedent tui liberi*) In hebræo relatiua ſunt maſculini generis, ſed referenda ſunt ad reginam; cuiusmodi relatiuorum tranſitus ſæpe accidit, vt in Ier. 11. declaramus. Talia inuenies etiam Num. 27. et 36. nam ſi hæc ad regem referas, erit frigida ſententia: ad reginam vero aptiſſima, et ad id conueniens, quod dixerat, patriam domum ei eſſe obliuiſcendam.

PSAL. XLVI. v. 6. *Deo ei mature ſuccurrente*) In hebræo eſt, Sub ortu matutini: hoc eſt, mane, quod ſæpe ponitur pro mature: ſicut gallice matin, Tu n'es pas venu prou matin: et germanice, frühe, et latine ſero, pro tarde.

PSAL. XLIX. v. 6. *Circumſtante me meorum pœna calcaneorum*) Hoc eſt, imminente mihi morte: cuius cauſſa eſt hominis peccatum: quæ propterea minus metuenda eſt, quod calcem dumtaxat lædit, nec hominem prorſus exſtinguit, quum ſit in vitam a Chriſto reuocandus. Alludit autem ad illud Gen. 3, 15. Vt illud tibi caput, tu illi calcem illidas. Diabolus enim, qui ſerpens erat, hominem non letaliter vulnerauit, medente Chriſto. Nec videri debet hæc interpretatio longius petita: nam ſic ſolent ænigmata: et hoc carmen ænigma vocat auctor. עין autem pro pœna (vt vertimus) ponitur quum alibi, tum 1. Reg. 28, 10.

PSAL. LIIII. v. 4. *Nam hoſtes conſurgunt in me*) In hebræo eſt, Peregrini: ſed peregrinus ponitur pro hoſte, vt Eſa. 1, 7. vt latine hoſtis pro perduelle: quum tamen hoſtis olim eſſet idem, qui peregrinus.

5. *Dominus is eſt, qui hanc animam ſuſtentet*) In hebræo eſt, Dominus eſt in ſuſtentantibus animam meam: quum de vno loquatur: eſt enim iterata ſententia, idem ſignificans quod prior, Deus mihi ſuccurrit. Huius loquendi rationis non diſſimile eſt, quod Græci dicunt, οἱ περὶ τὸν πλάτωνα, hoc eſt, Plato: vt et Ioan. 11, 19. τὰς περὶ μάρθαν καὶ μαρίαν; itemque quod in margine Pſal. 55. enotatum inuenies; et Pſal. 69, 27. Quem tu vulneraſti, inſectantur, ſauciorum tuorum dolorem adaugentes. Itemque Iudic. 11, 35. Tu es in perturbantibus me: hoc eſt, tu me perturbas: et Eſa. 41, 4. Cum poſtremis ego ſum: hoc eſt, poſtremus: et Oſe. 11, 4. Eisque fui quaſi adleuantes: hoc eſt, quaſi qui adleuaret. Gallice quoque dicimus, Ie ne ſuis pas des plus riches, Non ſum ditiſſimorum: hoc eſt, non ſum admotum diues: quomodo Græci dicunt, εἶναι τῶν πλουσίων, pro εἶναι πλούσιον.

PS. LIX. v. 11. *Tibi vires meas acceptas fero*) Vires eius, legitur in hebræo: ſed et ſententia repugnat, et græca latinaque vetus interpretatio: ex quibus apparet, non עזו, ſed עזי legendum: vt etiam legitur in vltimo verſu.

PSAL. LX. v. 5. *Ad arcus effugiendos*) Male קשט legitur, quum

 debeat

debeat קשת per Tau vltimam legi: vt et ſententia, et veteres græcus et latinus interpretes oſtendunt.

PSAL. LXII. v. 4. *Quouſque in me iniurioſi eritis?*) Latine, Noui hominem, pro noui eum dicitur. Hebraice fit hoc etiam in prima perſona: quo modo dicit ſæpe Chriſtus, filium hominis, pro homine, de ſeipſo loquens. Igitur quod hic vertimus, In me: in hebræo eſt, in hominem: qui hebraiſmus, quia hoc loco obſcuritatem adferret, locum ad latinam conſuetudinem traduximus. Eum autem de ſe loqui, apparet ex eo, quod et ante et poſt dicit, ſe in Deo adquieſcere, eoque niti, ſic vt eorum conatibus labefactari nequeat. Quod interpretor, Perimere conantes, in hebræo vnum eſt verbum, quod ſignificat perimere: quamquam paſſiuum eſſe, notæ vocales indicant: ſed actiuum eſſe, et vetus interpres, et ſententia oſtendit: quomodo et verbum חלץ poſitum eſt Prouerb. 11, 9. Eſt autem animaduertendum hebræorum verborum notiones late patere, vt idem verbum et primarium ſit, et frequentatiuum, et deſideratiuum, quando his figuris carent Hebræi. Itaque hic Perimere ponitur pro Peremturire (vt ita loquar) hoc eſt, velle perimere: qualis hebraiſmus eſt etiam Act. 7, 26. his verbis: καὶ συνήλασεν αὐτοὺς εἰς εἰρήνην. non enim reduxit rixantes in gratiam Moſes, ſed id facere conatus eſt: et Matth. 23, 13. εἰσερχομένους pro εἰσελθεῖν θέλοντας. Atque eodem modo obiter dico de verbis apud Latinos compoſitis, quibus carentes Hebræi, vno verbo multa ſignificant, vt לחם ſit pugnare, propugnare, oppugnare, repugnare, et expugnare: et ita in multis aliis.

PSAL. LXIII. v. 5. *Nihil tale metuentes*) In hebræo vocabulum antecedens eſt ſingularis numeri, ſed pro plurali poſitum: itaque verbum ſequitur plurale, id quod ſæpe fit: et contra, vt Pſal. 62. et 63. et 68.

PS. LXVIII. Quoniam carmen hoc obſcurum eſt, id pluribus explicabimus: ſic tamen, vt nihil adfirmantes, iudicium aliis relinquamus. Moſes proficiſcente arca oraculi, ſolebat ita præfari: Exſurge Ioua, et diſſipentur hoſtes tui, cet. a quibus verbis quum Dauid carmen hoc exordiatur, intelligendum eſt, in hoc illius declarationem contineri. Sed hoc intelligi non poteſt, niſi ſciamus, eum, qui et illic, et hic Ioua, et Angelus, et Deus, et Dominus appellatur, eſſe Chriſtum, vt in 2. Exod. cap. declarauimus. Certe hoc ignorato, neceſſe eſt in præcipuis Chriſtianæ diſciplinæ locis alucinari. Igitur carmen hoc ita declarabimus: *Exſurget Deus, Chriſtus*, idem qui Moſis tempore ducebat Iſraelitas, quum veniet in terras, et victis ſua vita et diſciplina atque reſurrectione hoſtibus, diabolo, eiuſque ſeruis improbis, bonos perducet ad felicitatem. Hoc eſt totius carminis argumentum. Deinde iubet huius rei gloriam ad Deum Chriſti patrem referri, cuius mandato filius ea facturus ſit, qui pater filio ſuo nomen ſuum Iouam, et porro poteſtatem accommodauerit. Hoc enim eſt, quod dicit, *huius nomen eſt in Ioua:* hoc eſt, cuius Dei nomine præditus eſt Chriſtus: vt eſt Exod. 23, 20. vbi Deus ſic populum adloquitur: *Ego ſum tibi præmiſſurus Angelum, qui te tutetur in itinere, et perducat in locum a me præparatum. Ab hoc tibi caueto: huic pareto: hunc ne irritato, neque enim ignoſcet criminibus veſtris, quoniam meo nomine præditus erit.* Vides, eum angelum Chriſtum eſſe, qui idem cum Ioua nomen habeat: cui Deus nomen dedit, quod eſt ſupra omne nomen: vt bene dixiſſe videatur, qui oſtendit, Ieſu nomen a Ioua eſſe deductum. Ergo huius ſalutis nobis per Chriſtum partæ laudem Deo tribuit, qui cæleſtem ſacramque domum incolens, humiles euehit, et ſuperbos deprimit.

mit. Mox totum argumentum fuſius repetit, hunc in modum: Quemadmodum tu Deus Iſraelitas ex Aegypto eductos, collocaſti in promiſſa terra, ſuperatis eorum hoſtibus: ſic Chriſtus eſt veros Iſraelitas in regnum cæleſte intromiſſurus, cuius regni terra illa chananæa vmbra quædam fuit? Chriſtus inquam Dominus, *ſuppeditabit argumentum ſeminis magni exercitus nuntiis:* hoc eſt, morte deuicta reuiuiſcet, et ſeſe mulieribus oſtendet, quæ eius reſurrectionem diſcipulis (qui magnus vocatur exercitus) nuntiabunt, qui nuntius erit lætisſimus: quippe victis morte, diabolo, mundo, et hominis praua natura, tamquam quibusdam militiæ ducibus: et ita victis, vt domi reſides et imbelles Chriſti diſcipuli, de eis per Chriſtum triumphent. Itaque *etiamſi iacueritis inter atra ahena:* o diſcipuli Chriſti, quamuis mortuo Chriſto, ſqualore et mærore deformati fueritis, deinceps iam eo viuente nitebitis: et *ea*, ſcilicet terra, hoc eſt Eccleſia, deinceps *erit niue candidior.* Vocat autem Eccleſiam montem Dei, in quo Ioua Chriſtus ſit ſemper habitaturus, multas habens copias (hoc eſt enim quod dicit. *Non ſemel decem millia:* hoc eſt, multa decem millia: vt latine, Non ſemel, pro ſæpe dicimus: et vt Pſal. 62. Bis, pro non ſemel, hoc eſt, pro ſæpe poſitum eſt) inter quas copias eſt ipſe in ſacro ſuo loco, qui idem in monte Sinai legem dederat. Deinde ſermonem ad Chriſtum conuertit: Tu, inquit, deuicta morte adſcendis in cælum, tuos abducens, qui fuerant captiui (nam multi cum Chriſto reuixerunt) et inde donis fungeris, mittens ſcilicet Apoſtolos, et ceteros Eccleſiæ magiſtros: idque inter homines ei rei repugnantes, quorum magiſtrorum opera fiat, vt Chriſtus agnoſcatur, Deusque colatur. Laudetur igitur Dominus Chriſti pater, noſtræ ſalutis auctor, dum Iouæ Domino Deus eſt ad mortis exitum: hoc eſt, dum Chriſtum, Iouam et Dominum, in vitam reuocat. Legitur autem hic, למות תוצאות, pro להציאות המות. ſicut Eſaiæ 58, 13. משבת עשות, pro מעשות השבת et Amos 5, 16. ומספד אל ידעי נהי, pro ולא מספר ידעי נהי. *Sane Deus caput truncabit hoſtium eius*, ſcilicet Chriſti: hoc eſt, ſubiget improbos: nam ita promittit: *Retraham* et liberabo *Dominum*, ſcilicet Chriſtum, ex morte et capitali periculo: quale poſſet eſſe ab Ogo Baſanæ rege, aut in mari rubro: *ita vt tuos pedes* (perſonæ mutatio eſt) *in hoſtium ſanguine laues* Chriſte; *et tui canes* eum lingant, hoc eſt, vt plenam adſequare victoriam, atque ita triumphes, magno cum carminum et laudum apparatu. Collaudate Deum ex fonte Iſraelis: hoc eſt, Iſraelitæ: quod græce ſignificantius dici poteſt, *οἱ ἐκ τῆς πηγῆς*: et gallice, Ceux de la fontaine: (vt Pſalm. 148, 1. Laudate Iouam de cælis: hoc eſt, cæleſtia) præcipue Beniamitæ, et Zabulonii, atque Nephthalenſes, apud quos ſcientia præſtantes, Chriſtus in primis innotuit: de qua re plura in Eſ. 9.

Deus conſtituit tuam, Chriſte, *potentiam:* quam opto, vt nobis confirmet, vt ceteræ gentes ad Chriſtum accedant: hoc eſt enim, munera adferre Hieroſolymam. Perde rempublicam eorum, qui ceteras nationes turbant, vt tauri vitulos, *demerſam in argenti ſegmentis*: hoc eſt, auaram, et habendi cupiditate bella gerentem: hoc eſt, Dele, Chriſte, regnum Romanorum: vt quum a ceteris gentibus, tum ab Aegyptiis et Aethiopibus agnoſcaris. Nam romano imperio ſuccedit Chriſti regnum, vt videre licet in ſtatua illa, a Nabuchodonoſore in ſomnis viſa apud Danielem, quam delapſus lapis perfringit. Quod hic dicitur *Aethiopia Deo manus ſuas curret:* hoc eſt, curſim præbebit: vt illud Virgilii: Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis. Hoc eſt, talia ſecla properate, aut propere adferte. Igitur cantate Deum, qui quamuis

uis in cælo ſit, habet tamen terrarum tantam curam, vt efficaciſſimam Euangelii vocem ſit ad homines miſſurus, quo ad ſalutem vocentur quum ceteri, tum vel in primis Iudæi.

PS. LXIX. v. 28. *Eorum vitia vitiis accumula*) Non hæc Chriſtus (de quo ſcriptum eſt carmen hoc) omnibus imprecatur, a quibus adficitur iniuria: nam moriens eis veniam orauit, a quibus actus erat in crucem: ſed addita cauſſa, Quia neſciunt (inquit) quid faciant: ex quo intelligi conuenit, eum in hoc carmine peruerſis, et ob ingenii prauitatem peccantibus imprecari. Pergant ſane peccare, poſtquam ſunt adeo ſcelerati, ne tua vtantur æquitate: hoc eſt, ne te eorum miſereſcat: de qua re plura in Eſ. 6, 9. et Matth. 12.

PSAL. LXXII. v. 20. *Haſtenus precationes Dauidis*) Sunt quidem in his duobus primis libris carmina etiam aliorum quam Dauidis. Sed quia Dauid eorum præcipuus auctor eſt, adſcribuntur ei: quemadmodum Ciceronis epiſtolas vocamus, cum quibus tamen ſunt et aliorum. Quamquam autem etiam in tribus ſequentibus libris ſunt et Dauidis, tamen hic dicuntur finitæ preces Dauidis: vel quod ſequentia plurium ſunt auctorum, vel prioribus iam concluſis libris, reliqua poſtea condidit.

PSAL. LXXVIII. v. 26. *Tam nobilem panem comederunt homines*) Ad verbum eſt, Panem nobilium: vt Iud. 8. phiala nobilium, pro nobili phiala dicitur, et Zachar. 9, 9. aſinus vocatur filius aſinarum: hoc eſt, aſinarius, aut aſina natus.

PSAL. LXXXI. v. 7. *Subduxi veſtros humeros oneri*) In hebræo multa eſt et perſonæ et numeri mutatio. Nos perſpicuitati ſeruiuimus, vt et in multis aliis.

PSAL. LXXXIIII. v. 7. *Qui ſi per flebilem tranſeant vallem, eam reddent fontalem*) Hoc eſt, vbicumque verſantur, Deus eis neceſſaria ſuppeditat: adeo, vt ſi natura ea neget, potius contra naturam faciat: vt olim in æſtuoſa illa ſolitudine, vbi fontem ſuis ex rupe elicuit. Quod autem dicit vallem flebilem, ſignificat ſiticuloſam. Nam ſi in vallibus, quæ natura fontibus abundare ſolent, aquam non inuenias: quid ſupereſt, niſi vt fleas? De piſcinis quod dicit, hæc eſt ſententia: Si piſcinas aut ciſternas habeant, vt fieri ſolet in locis montanis, eas ita replebit Deus pluuia, vt prætexantur et conueſtiantur herbis, ne quid eis vel in valle deſit, vel in monte. Nec obeſt, quod non ipſi boni fontes excitant, vt hic dicuntur: hoc eſt, non ipſi ſibi, ſed Deus neceſſaria ſuppeditat. Dicuntur enim poetico more id facere, quod ipſorum cauſſa fit.

PSAL. LXXXVII. v. 5. *Ille ibi natus eſt*) Hoc eſt, pauci, et quod ſequitur, Alium atque alium: hoc eſt multos, qui repetitione ſignificantur, vt etiam apud Latinos. Non abſimile eſt, quod Eſ. 61, 7. dicitur duplex pudor, pro magno: et Pſal. 8. lacrimæ שליש tergeminæ, vt ita loquar, pro grandibus: et Prouerb. 21. שלישים tripliciter, pro magnopere, aut etiam atque etiam. Sic et latinus Poeta terque quaterque beatos dixit, pro beatiſſimos: et gallicæ linguæ ſuperlatiui tales ſunt, tresgrand, quaſi trigrandis, id eſt grandiſſimus.

PSAL. XC. v. 11. *Quod ſi quis iræ tuæ vim norit*, cet.) Si quis intelligat, quæ ſit iſtius iræ cauſſa atque vis, qua vitam noſtram tam breuem facis, intelliget, te ſæuire prout metueris: tantoque breuiorem vitam efficere, quanto minus te reuerentur homines. Quod ſi rite perpenderemus, quam ſit vita noſtra breuis, et huius breuitatis cauſſam intelligeremus eſſe pecca-

ta

ſta noſtra, atque tui contemtum, mentem adhiberemus ſapientem, hoc eſt, te reuereremur (nam ſapientiæ caput eſt, tui metus) atque ita vitam et longam et felicem obedientia conſequeremur, quam peccatum et contumacia breuem reddidit, et miſeram. Sed ad hoc conſequendum, vires nobis adimit noxa noſtra: ſupereſt, vt tu hoc in nobis efficias, nosque hanc recte viuendi rationem doceas: id quod non niſi placatus facturus es: neque porro placandus, niſi per Meſſiam, vitæ noſtræ reſtitutorem. Mitte igitur cito Meſſiam, cuius opera nobis pro tua clementia plenam perpetuamque felicitatem conferas: idque facias mane, hoc eſt, quum reuiuiſcemus. Nam hæc vita nox eſt, tot malorum tenebris inuoluta. Illa vita dies erit, plena lucis et gaudiorum. Vt igitur in hac vita perpetuis malis adficimur, adfer nobis alteram vitam, in qua bonis fruamur ſempiternis: et iſtud tuum tam præclarum opus nobis noſtrisque natis exhibe, vt diuinam iſtam felicitatem adipiſcamur: et opus noſtrarum manuum nobis perage: hoc eſt, id perfice, quod nos fruſtra conamur. Conamur ad vitam peruenire (id enim eſt omnibus ingeneratum, vt bonum cupiant: eſt autem bonum Deus, vitam agens beatam, cuius nos adipiſcendæ cauſſa laboramus, et ad cuius ſimilitudinem ſumus creati) ſed quia nihil efficimus, hoc a te exſpectamus. Confer hunc locum cum Eſ. 26.

PSAL. CVII. v. 22. *Qui nauibus in mare deſcendunt)* Latini dicunt conſcendere, ſcilicet in nauem. Vergilius ita: Bis denis Phrygium conſcendi nauibus æquor. Sed hic noſter auctor dicit, in mare deſcendere: hoc eſt, nauigare in mari, quo ex terra deſcenditur, ſicut et Ionas ſcribitur in nauem deſcendiſſe: ſic enim ad verbum legitur Ionæ 1, 3. Nam mare inferius eſſe hac noſtra terra, quæ colitur, inde patet, quod vndique per terras in mare decurrunt flumina, neque poſſis ex terra in mare venire, quin deſcendas. Hinc eſt quod Pſal. 24, 22. dicitur Deus ſuper mari fundaſſe terram. Nam quod mare altum Latini vocant, intellige altum dici profundum. Quod autem ex litore ſpectantibus apparet altum mare, id fit propter rotunditatem aquæ, quum oculorum adſpectus non ad globi rationem incuruetur, ſed recta tendens, offendat in globi tumorem. Si enim mare eſſet altum, naues in tranquillo mari penderent, vtpote in accliui loco, in quem ex litore adſcenderetur: et ex mari ad litus ſine vento ſua ſponte (vt ad inferiorem locum) tanquam ſecundo flumine deſcenderent: et ex litore in altum ægrius ferrentur, quam ex alto ad litus. Denique maris aqua, ſi eſſet altior quam terra eſt, in terram deflueret. Niſi forte placet aquæ inuertere naturam, vt ea non ſua ſponte defluat.

PSAL. CX. v. 4. *Ex vtero auroræ habebis rorem tuæ iuuentutis)* Rorem iuuentutis vocat innumerabilitatem iuuenum: ſicut Numer. 23, 10. Balaamus puluerem Iacobeorum dicit, pro infinito numero. Vterum auroræ vocat matutinum: quoniam ros mane cadit, et ab aurora paritur.

PSAL. CXI. v. 10. *Sapientiæ caput)* Hoc eſt, ſumma primaque ſapientia. Atque hoc græcis quoque declarat ἀρχὴ, quo verbo interpretari ſolent ראשית: vt Iſocrates in Nicocle vocat τὰς ἀρχὰς τῶν τιμῶν, ſummos honores. Et Latini prima vocant, quæ ſumma ſunt, et excellentiſſima.

PSAL. CXV. v. 4. 5. *Qui alta incolens, humilia videt: cælos incolens, videt terras)* Sic ad verbum legitur: Qui habitat alte, videt depreſſe, in cælo et in terra: vt in cælo referatur ad verbum Habitat, et in terra ad verbum Videt. Huiusmodi loquendi ratio eſt in Leuit. 15. ad finem: itemque Deut. 32. vbi ſic ad verbum legitur: Inebriabo tela mea ſanguine, et gladius

meus

meus comedet carnem: ſanguine cæſorum, captiuorumque, capitali ſupplicio hoſtis: vt Sanguine cæſorum referatur ad Inebriabo tela: et Capitali ſupplicio, ad gladium. Item Matth. 7. ſic legitur: Ne date ſacrum canibus, neue obiicite margaritas veſtros porcis, ne forte conculcent eos pedibus, et conuerſi lacerent vos. Quæ oratio, mutato ordine, clara fiet ſic: Ne date ſacrum canibus, ne conuerſi lacerent vos: neue obiicite margaritas porcis, ne eos conculcent. Aut repetitione, qua vtuntur Latini, ſic: Ne date ſacrum canibus, neue porcis obiicite margaritas: porcis, ne conculcent eos: canibus, ne lacerent vos. Talem figuram inuenies et Mich. 1. Tale eſt illud de Virgilio: Paſtor, orator, eques, paui, colui, ſuperaui: Capras, rus, hoſtes: fronde, ligone, manu. Huiusmodi repetitione in hoc Pſalmi loco perſpicuitatis cauſſa vſus ſum.

PSAL. CXXXVII. v. 6. *Quando te ſumus obliti*) Cauſſam reddunt, cur canere neſciant: poſtquam Hieroſolymam amiſimus, omnem et fides pulſandi, et ore canendi ſcientiam amiſimus, hæretque nobis lingua palato: hoc eſt, muti ſumus (nam hic loquendi modus eſt, Iob. 29, 10.) neque magis cantare poſſumus, quam ſi nobis lingua palato adhæreret: propterea quod Hieroſolyma noſtræ lætitiæ caput eſt: qua priuati, caremus lætitia: vt aues libertate priuatæ, canere neſciunt. Quod autem eſt, Sumus obliti, verbum hoc ſignificat hoc loco amittere: vt Gen. 41, 30. vbi ſic ad verbum legitur: Exſiſtent ſeptem anni famis poſt illos, et obliuioni dabitur omnis vbertas. Non enim vbertatis obliuio eſt, vigente fame, ſed potius memoria et deſiderium. Ex quo apparet, id verbum hic ſignificare perdi, et oblitterari: vt et Deut. 31. ponitur, et Iob. 9. et 28. et Lam. 3. vbi alio, ſed eiusdem notionis verbo Hieroſolymitana reſpublica dicit ſe oblitam eſſe bonum: hoc eſt, iam neſcire bonum, et id amiſiſſe: non enim oblita erat eam rem, quam deſiderabat. Atque eodem modo locutus eſt et Virgilius: Pomaque degenerant, ſuccos oblita priores: hoc eſt, amiſſo priore ſapore. Et Iuuenalis, Vinum toto neſcire Decembri: hoc eſt, non vti. Hæc cauſſa fuit, vt in hoc Pſalmo verbum quod meminiſſe ſignificat, verteremus Compotem eſſe, contrarii ſecuti rationem.

PSAL. CXXXVIII. v. 2. *Qui promiſſa tua facias maiora, quam eſt tuum tantum nomen*) Hoc eſt, qui maiora præſtes, quam de te fama eſt, quæ tamen eſt magna. Eſt autem intelligendum, quemadmodum Dei iudicium pro actione ſæpe ponitur: quoniam quidquid agendum iudicat, id agit, quippe qui nulla re poſſit impediri: ita etiam verbum, ſiue promiſſum, in hoc Pſalmo poni pro promiſſi præſtatione: quoniam nihil promittit, quod non præſtet: quemadmodum in Pſalm. 56, 5. vbi dicit, ſe in Deo promiſſa laudare: nam ita demum laudantur promiſſa, ſi præſtantur. Eiusdem generis eſt et illud Eſaiæ 44. Qui Hieroſolymam incoli, vrbesque Iudææ refici impero, cet. nam ibi imperare, pro eo, quod eſt faciendum curare, atque adeo facere, ponitur; vt et illud Chriſti: Vtrum facilius eſt dicere, Remittuntur tibi peccata: an dicere, Tolle grabbatum tuum, et ambula? Nam ibi Dicere, pro iubendo efficere ponitur: alioquin iubere vel quiuis poſſit: ſed confidenter, et ideo efficaciter iubere non poſſit. Eodem modo locutus eſt Iuuenalis Satyra 6. Minus ergo nocens erit Agrippinæ boletus: ſiquidem vnius præ-

præcordia preſſit Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere iuſſit in cælum: hoc eſt, Coegit Claudium mori. Et Virgilius:

Hectoris ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis
Iuſſa mori; - - hoc eſt, iuſſu occiſa.

SOLOMONIS PROVERBIA.

ADNOTATIO.

CAP. XXIIII. v. 16. *Nam licet ſepties*) Ita alicubi interpres hunc locum explicuit. Etiamſi in plurima pericula cadant iuſti (qualia eis impii creare ſolent) tamen euadunt. Itaque fruſtra eis inſidiere. In qua notione caſus nomen in ſequenti verſu ponitur, id eſt, non pro peccato accipitur, ſed malum aliquod Dei ira illatum ſignificat: ita quoque Latini res aduerſas Caſus appellant.

ECCLESIASTES, HOC EST, CONCIONATOR,

IN ECCLESIASTEM TOTVM ARGVMENTVM.

Rerum omnium vanitas, in copia, in ſtructuris. Rerum omnium ſua tempora. Inſontes. Obedientia. Vota. Iouana prouidentia. Auaritia. Opulentiæ moleſtia. Iræ diſcrimen. Vxor pertinax. Regis maieſtas. Arcana Iouæ facta. Sapientia quanta. Stultitia. Detractores. Rex puer. Maledicentia. Benignitas in egenos. Vitæ integritas. Dicta ſapientum. Qui tandem omnium finis.

IN ECCLESIASTEM.

Hic liber eſt de finibus bonorum, ſiue de vitæ vanitate ſcriptus: in quo docetur, hanc vitam eſſe totam vanam ac miſeram, nec vllam eius partem beatam. Atque hoc in totius libri propoſitione, et idem in concluſione ponitur. Quod ſi quis interroget, quid in hac vita ſit bonum? reſpondet Solomo, nihil: ſed omnia eſſe vana ac miſera. Sed tamen ſi in hac ipſa miſeria quæras, quid ſit bonum, hoc eſt, minime malum: reſpondet, eſſe voluptatem. Cetera omnia moleſta et mala eſſe: in voluptate ſaltem aliquod eſſe quaſi vitæ condimentum, diuinitus conceſſum hominibus. Dicet aliquis: Ergone indulgebo voluptati? Profecto (inquit Solomo) ſi quidem huius vitæ friuolo bono frui velis. Sed videndum eſt, ne inani bono ſectando, verum bonum amittas. Nam quamuis in hac vita omnia temere agi videantur, ſcio tamen, et religioſis bene, et impiis non bene fore, omniumque opera quamlibet occulta iudicatum iri. Quod quum in hac vita non fiat, quippe in qua et bonis male, et malis bene ſit, vt apparet: exſpectanda altera vita eſt, in qua et bonis bene, et malis erit male. Quamobrem ſi alterius vitæ nullam rationem habes, epulare, pota, dum

vita

vita eſt, poſt mortem nulla voluptas. Sin alterius vitæ felicitatem ſectaris, ita te gere, vt illo bono ſis dignus: hoc eſt, Deum metue, qui ſuis cuique digna factis præmia rependet. Hoc eſt huius argumentum libri: quod ideo attingere volui, ne quis hic fallatur. Sunt enim, vtinam pauci, qui non librorum finem et ſcopum ſpectant: ſed vnum aliquem locum nacti, qui cum ipſorum libidine facere videatur, eum arripiunt, et eo ſuæ patrocinantur licentiæ: perinde ac ſi talem habituri ſint iudicem Deum, quales ſunt ipſi de ſe iudices.

ADNOTATA.

CAP. III. v. 1. *Sua cuique rei tempeſtiuitas*) Quum omnia ſuo tempore fiant, et hic quæratur, quid ſit bonum, videndum eſt, ne id alieno tempore quæratur. Vt enim aliud ſerendi, aliud metendi, cet. ſic aliud infelicitatis, aliud felicitatis tempus eſt. In hac vita tempus eſt miſeriæ: quod ſi quis in ea bonum quærit, perinde facit, ac ſi velit ſementis tempore metere. Exſpectanda meſſis eſt: hoc eſt, futura vita, in qua non, vt in hac, pro iure regnabit iniuria, ſed ſola dominabitur iuſtitia et veritas, ſublatis erroribus. Quod ſi vitam illam non curas, indulge voluptati.

11. *In eorum corda ita vitam indiderit*) Nam cor vitæ fons eſt. Quod autem verto Vitam, in hebræo eſt Sæculum, ſiue æuum, quod pro vita ponitur. Nam cap. 7, 12. de eadem re ponitur nomen ,, quod vitam ſignificat.

CAP. VIII. v. 10. *Commendari in vrbe*) וישתבחו lege cum græco et latino interprete: non וישתכחו, hoc eſt, obliuioni tradi.

CANTICVM CANTICORVM.

IN CANTICVM VNIVERSVM ARGVMENTVM.

Colloquium Seruatoris et Eccleſiæ. Domeſtici in Eccleſiæ hoſtes. Seruator lilium, columba. Solomo Chriſti imago. Ad puellas vir, et ad virum puellæ. Eccleſia pulchritudo. Seruatoris in Eccleſiam ſtudium. Eccleſia vinea copioſa.

SOLOMONIS SAPIENTIA.

IN SOLOMONIS SAPIENTIAM ARGVMENTVM.

Ad Iouam et æquitatem inuitatio. De leto ſceleſtorum verba. Vera ſenectus. Impiorum iudicium. Piorum æquanimitas, ac merces. Deus perſonarum diſcrimen adſpernatur. Communis omnium ſors. Laus, gubernatio fructus ſapientiæ. Solomon ſapientiam petens a Deo. Geſta in Iſraele per ſapientiam. Iouana clementia, longanimitas. Noſcendi Iouam ratio. Idololatria. Iouana prouidentia. Idololatriæ initia, damna. Idololatrarum calamitates. Iouæ maieſtas in puniendis improbitatibus. Aegyptiorum damna a Ioua. Hebræorumque ſalus ex Aegypto.

ECCLE-

ECCLESIASTICVS, SIVE SAPIENTIA IOSVAE SIRACHI FILII.

IN ECCLESIASTICVM ARGVMENTVM.

SAPIENTIA vnde. In parentes pietas, benignitas, lenitas, improborum conſuetudo. Feminae vitia, amicitia. Gubernator. Rex, opulentiae verae. Natorum amor. Hominis creatio. Vinum. Largitiones. Multiloquus. Iuramenta. Adulterium. Ictus tres peſſimi. Iouanā lex, et foedus. Mutuum. Continentia. Menſa, fides, irriſor. Diuinationes. Vera ſacrificia. Mulieris pulchritudo. Sepulturae. Nomen honeſtum. Paterna virginis cura. Patrum priſcorum amplitudo.

Quae ſunt incluſa his duabus notis (*) non in omnibus exſtant graecis exemplaribus. Neque tamen id vbique notauimus; praeſertim vbi eadem latine exſtant.

ADNOTATA.

CAP. XV. v. 8. *At veraces per eam tantum conſequuntur,* cet.) Haec ſententia in latina translatione (nam graece verſus hic non exſtat) ita legitur: Et viri veraces inuenientur in illa, et ſucceſſum habebunt vsque ad inſpectionem Dei: quam ſententiam ita fuiſſe ſcriptam puto, *εὑρεθήσονται ἐν αὐτῇ*: quod verbum etiam graece adipiſci et conſequi ſignificat, ſicut hebraice מצא: atque ita poſitum eſt Philip. 3.

CAP. XLIII. v. 26. *Denique per eum ſuccedit eius opificium*) *εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ.* Videtur in hebraeo fuiſſe מלאכתו, id eſt, opus eius: quod vertit interpres, quaſi legeretur מלאכו, hoc eſt, genius eius, vna detracta littera.

VATES.

ESAIAS.

IN TOTVM ESAIAM ARGVMENTVM.

Eſaiae vatis ſaeculum. De Iudaeorum calamitatibus vaticinium. Spes in hominibus vana. In feminas, in magiſtratus comminationes. Hieroſolymae excidium. Venturus Chriſtus. Vinea Iudaeorum imago. Vrbs obſidenda. Ad regem Achas vates. Aſſyriorum futurae victoriae. Gentium religio futura. Chriſti imperium. Tribuum aerumnae. Iurisperitorum iniuſtitia. Iudaeorum adflictiones, conſolatio. Chriſti origo, et genus. Babylonis per Medos ruina. Captiuorum ex Babylone liberatio. Ezechiae in Philiſthaeos victoria. Moabitarum damna.

 Damaſci

Damaſci exciſio. Aſſyriorum clades, in Aegyptum victoria. In magos Aegyptios. Inter infideles electi. Aethiopum captiuitas. Deſtructa Babylon, et Hieroſolyma. Tyrus, et Sidon. In Israelitas, in ſacerdotes, in pſeudonates. Iudæorum calamitates. Gentium ſalus. Contra Aſſyrios vates. Hoſtis Dei nutu cæſus. Chriſti Regnum. In Senacheribum vates. Gentium adflictiones. In Iouam Senacheribus impius. Ezechias ad Eſaiam. Angelus in copias hoſtium. Ezechiæ canticum. In idololatras vates. Benignitas, lenitas, et ſuauitas Chriſti. Iouana et potentia et in mortales beneficia. In ſimulatores, et pertinaces. Eccleſiæ querimonia, conſolatio. Hieroſolymæ calamitas, gaudia poſt. Chriſti cruciatus, et maieſtas. Fidelium Ioua doctor. Præfectorum iniuſtitia. Piorum ad tempus curæ, ac planctus. Ieiunia vera. Sabbatum Iouæ. Fidelium cœtus ex omnibus orbis partibus. Verbi miniſtri. Chriſti aduentus. Eſaiæ preces, lacrimæ, ad precationes cohortatio. Quæ vera Iouæ ſana.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 1. *Oraculum Eſaiæ*) חזה non ſolum videre, ſed etiam prouidere, et ad animum translatum, præſentire eſt: ſicut et alia hebræa verba ſæpe ſimplicia ponuntur pro compoſitis, vt alibi declarauimus. Hinc חזון non modo viſum, quod oculis cernatur, ſed etiam quod animo perſpiciatur, denotat: quod latine dici poteſt præſenſio. Sed quia hoc verbo vtuntur vates, quo declarent, ſe, quæ diuinitus præſentiant, ea hominibus prædicere; propterea ego aliquando oraculum aut prædictionem interpretor, nonnumquam etiam fatum: vt Danielis 8, 13. vbi ſic ad verbum legitur: *Quouſque viſio perenne inexpiatum in calamitate?* hoc eſt, Quouſque ſignificaretur illa prædictione et oraculo id quod in fatis eſſet, videlicet perenne ſacrum vaſtatum iacere. Fatum autem voco, certam fixamque Dei voluntatem atque decretum: quod ideo dico, ne quis forte fati nomine fallatur, vt dicat (quod ſolent multi) ſi fatale eſt damnari me, non poſſum ſeruari. Ego non ita fatum in hac parte intelligo, ſed ita: Si fatale eſt (vt eſt) damnari contumaces, et ſeruari obedientes, non poteſt nec obediens damnari, nec contumax ſeruari: proinde obediendum Deo eſt, ſi ſaluus eſſe velis. Aliud ego fatum in vniuerſis ſacris litteris non inuenio, quod ad hominum ſalutem attinet.

16. *Lauamini*) In hebræo eſt, Lauate: ſed verbum actiuum ponitur ſæpe pro paſſiuo, aut neutro: vt latine ſit in mouere, lauare, præcipitare, vertere, et aliis multis.

18. *Agite corrigamus nos*) Id eſt, corrigite vos: nam ita ponitur eleganter prima pluralis perſona, pro ſecunda vtriusuis numeri: id quod fit etiam in capite ſecundo his verbis: Iacobea ſtirps agite, gradiamur in luce Iouæ. Et hoc modo ſæpe gallice loquimur. Latine quoque Cicero ita dixit in Verrem, actione tertia: Verum ſi cauſſam cognoſci opus eſt, parumne cognita eſt? Diſſimulamus, Hortenſi, quod ſæpe in dicendo experti ſumus? id eſt, Diſſimulaſne Hortenſi?

CAP.

CAP. IIII. v. 2. *Videlicet elapſi Iſraelitæ)* In hebræo littera lamed articulus eſt caſus nominatiui: vt in 1. Paral. 22. et 2. Paral. 1.

CAP. VI. v. 9. *Audite et ne intelligite)* Imperatiuus pro indicatiuo: quod fieri ſolet, vbi eſt oratio vehemens et concitata: vt illud, Implete menſuram patrum veſtrorum: id eſt, implebitis, aut oportet vt impleatis. Et in Ezechielis 20, 39. Ite, ſeruite ſuis quiſque ſtercoreis diuis. Ita quod hic dicitur, Stupefac iſtorum animos: perinde eſt ac ſi dicat, Stupent et torpent eorum animi. Itaque Græci hanc Eſaiæ orationem verterunt per indicatiuum. Atque hoc pacto loquuntur etiam Latini: vt apud Liuium quartæ Decadis 10. ſic filios ſuos adloquitur rex Philippus: Agite, conſcelerate aures paternas, decernite criminibus, mox ferro decreturi: dicite palam quidquid aut veri poteſtis, aut comminiſci libet.

CAP. VII. v. 10. *Quod ſi non creditis, vt eſtis increduli, pete tibi ſignum, inquit, cet.)* Ad verbum ſic legitur: Quod ſi non creditis, vt eſtis increduli, pergit Ioua ſic adloqui Achazum: Pete, cet. quæ oratio latine per parentheſim clarior fit, cuiuſmodi eſt illa Marc. 2, 10. Vt autem ſciatis hominem habere poteſtatem remittendi in terris peccata, dicit ſiderato, Tibi dico ſurge. Quæ ſic fiet illuſtrior: Iubeo te ſurgere, inquit ſiderato.

13. *Parum ne vobis eſt, hominibus exhibere negotium)* Non ſolum mihi: qui homo ſum, faceſſitis negotium, dum propter improbitatem veſtram vos cogor admonere: ſed etiam Deo, quem veſtra diffidentia impellitis ad edendum vobis ſignum aliquod, quo faciat vobis huiusce promiſſi fidem. Hoc ergo ſignum accipite. Eſt puella quædam iam prægnans, quæ filium pariet, eumque vocabit Emmanuelem, a Dei auxilio, qui nobis ſub eius pueri ortum aderit. Is puer butyro melleque veſcetur, diſcendo (ſic enim verto infinitiuum ſubiunctum litteræ lamed, per gerundium, vt fit ſæpe, vt 4. Reg. 19. et Dan. 9.) hoc eſt, ea ætate, qua diſcitur, quid inter bonum malumque interſit, videlicet infantia: hoc eſt, antequam poſſit is puer bonum a malo per ætatem diſcernere, erit hæc vrbs obſidione liberata, Samariaque et Syria (quarum vos reges obſident) in tantam per Aſſyrios redigentur ſolitudinem, vt etiam culta loca vepribus et virgultis præ vaſtitate repleantur, ita vt pecora vbique libere paſcantur, et ideo pingueſcant: tantumque lactis reddant, vt ſi quis buculam vnam, aut duas oues habeat, is lacte abundet, Ita fiet, vt butyrum eo lacte confectum, et eadem ratione mel (nam et mellis copia eſt, quum eſt pabulum, quippe abundantibus floribus) in hanc vrbem importentur (id quod nunc prohibet obſidio) iiſque nutriri poſſit is puer, qui eſt adhuc in vtero: vt intelligatis, quam breui ſit vobis adfutura ſalus. Quod autem interpretor, Puella prægnans, per præſens tempus, eſt et alibi et Gen. 16. eiuſmodi loquendi modus, vbi grauidam Hagarem adloquitur angelus. Sed cur hunc locum de Chriſto citauerit Matthæus, dicemus in cap. 9.

CAP. VIII. v. 2. *Adhibitis fidis teſtibus)* Qui ſcilicet adeſſent in partu: ne quis calumniari poſſet, editam eſſe feminam, in eiuſque locum clam ſuppoſitum marem.

11. *Sic enim me Ioua quaſi manu prehenſum)* Ioua me, inquit, quaſi manu prehenſum, hoc eſt, ſeorſum et de re arcana adlocutus eſt: quaſi ita diceret: Quod vobis contra Aſſyrios ſalutem nato Emmanuele promitto, intelligite, non me de iſto Emmanuele tantum, aut de Senacheribo loqui: nam futurus eſt alius verus Emmanuel, hoc eſt, Meſſias ſeruator et Deus inter vos habitaturus, qui vos a longe grauioribus defendat periculis. Quod ſi quæritis, quo pacto poſſit is, quum venerit, agnoſci, dicam, ſed obſcure. E-

rit eiusmodi, vt eum populus iſte ſeditioſum dicat, fugiendumque putet. Sed vos mei nolite cum populo ſentire, aut vobis ab iſto Meſſia metuere: potiusque metuite, ne Meſſiam repudiantes, offendatis Iouam, qui Meſſiam miſerit. Is autem Meſſias erit ſanctus quidem, et ſalutaris eis, a quibus agnoſcetur: ſed multi eum non agnoſcentes, offendent, et per eum ſua culpa peribunt. Quod dico, oraculum eſt, obſcurum ſane, et clauſum, quippe a meis ſolis intelligendum. Ergo ego (inquit Eſaias, et quiuis piorum) Iouam Meſſiam exſpectabo, qui ita venturus eſt, vt Iſraelitas lateat. Sed quo pacto eum agnoſcent ſui diſcipuli? Hoc pacto, inquit, *Ecce me et iuuenes*, cet. Hoc eſt, quidam erit, qui iuuenes diſcipulos habebit, ſibi attributos a Ioua, cum quibus oſtenta miraculaque edet apud Iſraelitas. Hunc agnoſcite ſeruatorem, et ei paretote. Quod ſi qui vobis ſuaſerint Magos, aut Apollinem conſulendos: reſpondetote, debere ſuum cuique deum conſuli: Iouam veſtrum eſſe Deum, itaque ab eo conſilium petituros. Nam abſurdum eſſe, pro viuis conſulere mortuos: id quod faciant Magi. Eundum ad legem, hoc eſt, ad Moſis libros, in quibus ſint de Chriſto oracula, cuius aduentu ſilebit Apollo, obmuteſcet Pan, faceſſent errores. Itaque Magi illi et harioli deos eiusmodi conſulere ſoliti, quum videbunt oraculorum eſſe famem, Delphos, Dodonam, omnia ſilere, nihil vsquam certi quod reſpondeant eſſe, incerta dicent: et ea difficultate irati, et deos et reges deteſtabuntur ſuos, in quibus nihil ſit eis præſidii. Vide Mich. 3, 6. Erit igitur a Chriſto petenda doctrina, poſtquam ea alibi nusquam inuenietur.

CAP. IX. Quamquam quod dico anguſtiam fore, expugnatis videlicet a Chriſto Magis, falſisque diis, ea anguſtia erit de aſtricolis quidem et impiis pernicioſa, ad Chriſti lucem cæcutientibus: ſed erit electis, Chriſtumque admittentibus, ſalutaris: erit enim doctrina clarior in iis terris, in quibus docebit Chriſtus, quam fuerit ante eius aduentum apud Zabulonios et Nephthalenſes: quæ duæ tribus doctrina claruerunt, quemadmodum apparet ex Iacobi et Moſis nouiſſimis verbis, Gen. 49, 13. 21. et Deuter. 33, 18. 23. et ex Deboræ carmine, Iud. 5, 18. Sed illorum doctrina leuis obſcuraque fuit, præut futura eſt Chriſti lux illa, qua aliquando Galilæam, ceterasque gentes indoctas ita illuſtrabit, vt magnus eorum numerus Chriſtianus fiat: quæ res lætitiam, tamquam præda parta, pariet: quippe Chriſto de ſuis hoſtibus triumphante, ſuosque in libertatem adſerente, vt olim a Gedeone contra Madianitas factum eſt. Sed et Gedeonis, et aliorum certamina ferro geruntur: at Chriſti certamen igni geretur euangelico, quo totus incendetur orbis terrarum. Nam *puer nobis naſcitur*, Chriſtus Dei filius, noſtra cauſſa mittendus in terras, qui *humero ſuo*, hoc eſt, ſua potentia et auctoritate, *principatum gerit: qui vocatur*, hoc eſt qui eſt, *admirabilis conſiliarius*; ideoque conſulendus: non magi, aut harioli, aut Zabulonii, et reliqui, ſi qui docti habentur. *Deus*, vt ſit verus Emmanuel, id eſt, nobiscum Deus. Nam puer iſte, qui in obſidione Hieroſolymæ naſcitur, non eſt Deus, ſed huius Chriſti Dei ſignificatio. *Potens*, vt intelligatur, ab eo facile ſuperatum iri hoſtes, vt fuerunt a Gedeone Madianitæ. *Pater æternitatis*, vt ſperetur eius regnum perpetuum. *Princeps pacis*, ne eo regnante bella metuantur: *qui in Dauidis ſolio regnet æternus*, ſed regno diuino, vt erit ipſe Deus. Vides, lector, Eſaiam ita ſuper Emmanuele vaticinari, vt nos ſenſim ad verum adducat Emmanuelem Chriſtum: quod idem poſtea a cap. 45. facit in Cyro: vt Ezech. cap. 16. fit tranſitus a Sodomitanis ad gentes Sodomitanorum ſimiles: et in 20. a ſimulacricolis Iſraelitis ad veros Iſraelitas.

raelitas, et Ezech. 31. et Dan. 4. ab arbore ad hominem. Cuiuſmodi tranſitus niſi intelligemus, neceſſe erit nos in magnis erroribus verſari. Sed hoc magnopere animaduertendum eſt, quod dicit Eſaias: *Puer nobis naſcitur.* Nam ſi puer eſt, homo eſt; ſi naſcitur, ex muliere naſcitur, quum non niſi ex muliere naſci poſſit homo. Rurſum quod dicit, *Deus potens, pater æternitatis:* oſtendit, non eſſe a viro procreatum. Nam vir mortalis Deum immortalem procreare nequit, vt docet his verbis Sibylla:

Quod ſi progenitum eſt, prorſum interit, exque virili
Femineoque nequit membro Deus eſſe creatus.

Atqui ſi a viro procreatus non eſt, et tamen natus eſt, neceſſe eſt virgine natum eſſe, quemadmodum Sibylla dicit:

Accipe virgo Deum gremio intemerata pudico.

Quod ſi ita eſt, apparet, hic Eſaiam de Chriſto ex virgine gignendo vaticinari. Itaque Matthæus, quum Chriſti deſcriberet originem, rite adduxit [illegible]ius de Chriſto vaticinationis initium, *Ecce puella prægnans.* Nam du[illegible]initium vaticinationis adducit, remittit nos ad ipſum vatem, vt totam han[illegible] vaticinationem conſideremus. Non enim hoc ſic intelligi debet, Eſaiam verbis illis, *Puella prægnans*, virginis prædixiſſe partum: ſed hac tota vaticinatione, cuius initium eſt, *Ecce puella prægnans.* Nec refert, quod apud Matthæum virgo dicitur, non puella. Nam ſiue ſcripſit hebraice (vt tradit in eius vita Sophronius) adduxit ipſa Eſaiæ verba: ſiue græce (neutrum enim adfirmare poſſum) ſecutus eſt in hoc verbo græcum interpretem, apud quem virgo eſt: et hoc non inepte fecit, quum de vero Emmanuele verba faceret, quem ex virgine gignendum Eſaias non verbo, ſed re ipſa et ſententia prædixiſſet. Quod autem ſupra transtuli, *Tantaque adficiente lætitia*, intellige אל pro לו poſitum, vt et alibi factum deprehenditur: vt infra cap. 49.

CAP. XV. v. 3. *Per eius compita ſaxis induti ſunt*) In hebræo relatiuum Eius maſculini generis eſt: refert enim Moab, hoc eſt Moabitam; ſed alia ſequuntur relatiua feminina: referunt enim Moab, hoc eſt, Moabitidem terram. Hæc mutatio animaduertenda eſt: nam et alibi fit idem, vt Ierem. 11. et Ezech. 32. et ſupra initio cap. 9.

CAP. XVI. v. 10. *Cecidit æſtatis meſſiſque tuæ celeuſma*) In hebræo eſt ad verbum, In æſtatem meſſemque tuam cecidit celeuſma: hoc eſt, iubilum et lætus cantus, quo ſolent vti, qui metunt aut vindemiant, periit tibi, vaſtatis agris; vt ſit celeuſma in æſtatem, pro adiectiuo æſtiuum, iungaturque nomen celeuſma cum æſtatem: id quod græce melius per articulum exprimi poſſet, τὸ ἐπὶ τὸν θερισμὸν κέλευσμα. et verbum Cecidit poſitum ſit (vt ſæpe fit) pro periit, vt declarant ſequentia. Confer cum Ier. 48.

CAP. XVII. v. 4. *Illo tempore autem attenuabitur*) Vt hoc et ſequens caput intelligas, lege diligenter Ezech. 36. 37. 38. 39. et inuenies eumdem ſententiæ tenorem, qui hic ſic habet: Ego Damaſcenos et Syros (inquit Ioua) ſic imminuam, vt Iacobeorum nobilitatem, hoc eſt, vt Iacobeos nobiles: quos quidem Iacobeos ita diminuam, vt pauci reſtent, ſicut facta meſſe paucæ ſpicæ ſuperſunt ad ſpicilegium, cet. Sed ne putent Syri, aut alii, id fore perpetuum; nam Iſraelitas reuocabo, futuros poſtea in ſua patria, et ibi me vere adoraturos. Sed antequam id fiat, diruentur eorum vrbes, ita vt in eorum aduentu vix tenues earum reliquiæ ſuperſint: ſicut exciſa ſilua ſuperſunt virgulta quædam, quæ ibi fuiſſe ſiluam teſtentur. Atque hæc calamitas tibi, gens Iſraelitica, accidet, quod tuum Deum non colueris.

Digitized by Google

Propterea quum tibi videberis inſtaurata, quum a Cyro reuocata conſederis in tua patria, et te ibi perpetuo futuram ſperabis: quoniam tamen ne tum quidem me coles, aliæ ſuper alias calamitates te prement: neque quidquam proficies, quin poſtremo (qui dolor erit grauiſſimus) a Romanis delebere, atque ita diu manebis deſerta. Deinde poſt illam calamitatem reuocaberis, et me tum demum vere coles. Hunc locum confer cum iis, quæ ſcripſimus in capite 31. Quod ſequitur, *O nationum multarum turbam,* oraculum videtur eſſe de Gog et Magog, de quibus quinque videor animaduertiſſe oracula, præter Sibyllina: quorum primum eſt hoc, alterum eſt Eſaiæ 56. tertium Ezechiel. 38. quartum Mich. 5. quintum Apocal. 20. Atque horum poſtremum quodque apertisſimum eſt, vt et in aliis oraculis fieri ſolet. Sed declaremus, quæ de eodem Gogo ſequuntur.

CAP. XVIII. v. 1. *O alis vmbroſa tellus*) Telluris alæ dicuntur extrema et oræ; eſtque alis vmbroſa tellus, ſpatioſa, vt ſi alis vmbroſam autem dicas, ſignifices grandem atque amplam. Adloquitur gentem poſitam trans Aethiopiæ fluuios, videlicet trans Nilum, qui antequam defluat in Aegyptum, ſpatia immenſa terrarum peragrat: cuius accolæ, vt docet Plinius, vtuntur ſcirpeis et arundineis nauigiis. Ad hanc gentem poſtquam exclamauit, adloquitur eius gentis nuntios: Ite, inquit, vos eius gentis *nuntii,* qui res nouas nuntiare ſoletis, forte hunc nuntium ad gentem veſtram, *ad populum omnium qui vlterius habitant formidabilisſimum, ad gentem diſtractam direptaque:* hoc eſt magnis fluminibus accolentem, quæ flumina eius terram atterunt, et depopulantur, et adluuionibus, circumluuionibus, declinationibusque diſtrahunt et dirimunt, atque ita ſæpe limites mutant, et alios atque alios reddunt. Deinde declarat, cur gentem illam appellet: quaſi hoc dicat: Quod remotiſſimam gentium appello, hoc ſignificare volo, facturum eſſe me rem, quæ ſit remotisſimæ genti, hoc eſt, toti orbi nuntianda: hoc eſt, rem maximam. Nam quæ remotis nuntiantur, ea et magna ſunt, et propinquis multo etiam magis nuntiantur. Adſpicite igitur omnes mortales elatum montanum ſignum, et audite tubam: hoc eſt, nuntio vobis bellum, quod fiet in montibus Iſraelitarum, in quo bello *ego quietus ſpectabo,* et meos Iſraelitas aduerſus hoſtes mollisſime fouebo ac tuebor, *tamquam æſtus poſt pluuiam, et tamquam roſcida nubes in calore:* hoc eſt, eos recreabo ſuauiter, et contra vim omnem protegam. Hoſtes autem, quum ſe putabunt prope iam adeptos victoriam, peribunt, eiſque perinde accidet, ac ſi ſegetes ante meſſem, aut vineæ ante vindemiam vaſtentur, ſpemque agricolarum fruſtrentur. Atque ita interfecti iacebunt humi, a beſtiis deuorandi. Cuius victoriæ adeo clara erit fama, adeoque Iouæ nomen formidabile, vt vltimi gentium adferant in Sionem munera ſupplices.

CAP. XXIX. v. 19. *Adquirentque inopes in Ioua lætitiam, et pauperes in Auguſto exſultabunt*) In Ioua, hoc eſt in Iouanitate, vt ita dicam, quod erunt Iouani. Hic loquendi modus eſt in ſacris litteris frequentisſimus; vt apud Paulum, In Chriſto gloriari, in Chriſto mori: hoc eſt, Chriſtianum gloriari, Chriſtianum mori. Neque non Latini ſic loquuntur: vt Horatius, Diſces laborantes in vno Penelopen, vitreamque Circen. In vno, ſcilicet Vlyſſe: hoc eſt, in Vlyſſitate. Et Terentius: In iſthac finem faciat. Apud Plinium quoque lib. 2. in fine cap. 25. Auguſtus ſe in eo ſidere (quod mortuo Iulio Cæſare viſum eſt) naſci interpretatus eſt; quæ verba non ita ſunt intelligenda, quaſi in ipſo ſideris corpore naſci ſe putet: ſed in ipſa ſideritate, vt ita dicam.

CAP.

CAP. XXXI. v. 8. *Fugæ ſe mandabit non ob gladium*) לא non לו lego, cum vetere latino et græco interprete.

CAP. XXXII. v. 15. *Donec ſpiritu perfundemur*) Loquitur de vaſtitate Iudææ gentis, a Senacheribo incipienda, et ſub Chriſti tempus abſoluenda. Quamquam Senacheribus vrbem non cepit, ſed Iudæam peruaſtauit, et eam calamitatem inchoauit, quam aliæ ſuper alias ſecutæ ſunt calamitates, donec tandem per Chriſti tempora deletum eſt genus Iudæorum. Nam Senacheribum ſecuta eſt Babylonica captiuitas, ex qua reuerſos continua infeſtauere mala, ita vt vrbs a Ptolemæo Lagi filio, deinde ab Antiocho capta, vaſtataque, deinde a Pompeio, deinde ab Herode et Soſio, et poſtremo a Tito funditus euerſa ſit, et æquata ſolo. Atque interea venit Chriſtus, qui ſuos ſacro ſpiritu deſuper adflauit, incultumque locum redegit in Carmelum, et contra: hoc eſt, extraneos, qui inculti, et a vera religione erant alieni, coluit Euangelio: Iudæos autem, qui erant Carmelus, hoc eſt, legis oraculorumque diſciplina culti (nam Carmelus locus erat cultus) redegit in ſiluam, dum ab eis regnum transtulit ad gentem, quæ fructum ederet. Atque ita manet tum inculto tum culto loco iuſtitia: hoc eſt, ſiue quis barbarus, ſiue Iudæus ſit, huic ad Chriſtum patet aditus, vt per fidem iuſtus innocenſque, et porro felix fiat. Huic autem Carmelo, hoc eſt, Chriſtianorum ciuitati, non erit metuenda malorum grando: iacebit enim vrbs in humili planoque loco: erunt Chriſtiani humiles, modeſti, Chriſtique præſidio tuti. Quæ autem mala accident, ea accident in deiectu ſiluæ: hoc eſt alienis, et Euangelii cultura non æquatis.

20. *Felices vos, qui in omnem ſeminatis humorem*) Sic enim interpretor מים, quod hic eam aquam ſignificat, qua madens terra ſtirpes alit: vt poſitum eſt Num. 24. et Ierem. 51. Hoc eſt, Felices qui Euangelium toto publicatis orbe, vbicumque eſt humor: id eſt, vbi ſpes eſt fore, vt creſcat et alatur, tamquam humore ſtirpes, idque facitis immittentes bouis aſinique pedem: id eſt, nullo Iudæorum aut exterorum diſcrimine. Adludit enim ad Moſis præceptum, quo vetat arari boue et aſino, hoc eſt, ſi præcepti vim penitius conſideres, vetat Iudæis commercium eſſe cum reliquis nationibus, tamquam cum diſpari genere: quemadmodum Paulus præceptum illud de non obturando bouis ore triturantis, refert ad rem diuiniorem, videlicet ad eorum alimoniam, qui docent Euangelium. Igitur illud diſcrimen Euangelio ſublatum eſt: felicesque ſunt Euangelii magiſtri, qui omnes, nullo neque docentium, neque docendorum gentis diſcrimine docent.

CAP. XXXIII. v. 2. *Quorum tu brachium eſto mature*) Relatiuum quorum, in hebræo tertiæ perſonæ pronomen eſt, eorum, quod ſæpe quamlibet perſonam refert, vt apud Latinos Qui; vt paullo poſt, quod interpretamur, Tu cuius theſaurus, cet. in hebræo eſt Eius, quod pro relatiuo frequenter ponitur, vt Pſalmo 115, 9. vbi ſic verbum legitur. Iſrael confide Iouæ, adiutor et defenſor eorum eſt: hoc eſt, Iſraelitæ confidite Iouæ, quorum, ſcilicet veſtri, adiutor eſt. Talia inuenies et initio capitis quinquageſimi quarti, et alibi ſæpe.

CAP. XXXVIII. v. 18. *Non tuam fidem prædicabunt humati*) ישברו pro יבשרו transpoſita littera ſcriptum videtur: vt ſint hic tria verba eiusdem notionis, gratias agere, laudare, et fidem prædicare, quæ reſpondeant tribus nominibus eadem item de re poſitis, quæ ſunt, Orcus, mortui, et humati.

CAP. XLI. v. 1. *Conticeſcite mihi inſulæ*) Superiore capite promiſit aduentum Chriſti, in falſos inuectus deos: nunc Iſraelitas ad Chriſtum exſpectandum confirmat his rationibus. Quod de Meſſia promitto, nolite dubitare, quin id præſtiturus ſim, quippe qui primus poſtremusque Deus ſim: hoc eſt, ſolus; ſicut caput et caudam, proram et puppim, et ſimilia dicimus, pro toto, aut omnibus: et Liuius Dec. 1. lib. 1. Vt illa palam prima poſtrema ex illis tabulis, ceraue recitata ſunt: hoc eſt, omnia. Quid ergo (dicet quis) nulli ſunt alii dii? Videamus quales ſint. Dei eſt magna facere, nedum prædicere. At iſti non ſolum non faciunt, ſed ne prædicunt quidem. Prædicant enim aduentum Cyri Perſarum regis. Non poſſunt. At ego non modo eum prædico, ſed etiam adduco: eique gentes ita ſubiicio, vt eum etiam inſulæ et Græcia formidet. Ite nunc, et interrogate iſtos manu et arte factos gentium deos, de hac futura re. Quod ſi neque prædicere, neque nocere lædereue poſſunt, nolite eos colere, ſed me: et ſperate ſeruatorem Chriſtum, quem promitto. Quumque hic aduenerit, quem dico, Cyrus Perſarum rex, qui vos in patriam reuocet, ſperate eum quoque venturum, qui deſerta colat: hoc eſt alienigenas doceat, videlicet Chriſtum. Vocat autem Cyrum, iuſtitiam: hoc eſt, iuſtum (vt latine ſcelus pro ſcelerato dicimus) quoniam erit Iudæos liberaturus: et Chriſtum ſeruatorem non ſolum re, ſed etiam nomine ſignificabat. Nam Cyrus ſolem ſignificat Perſica lingua, vt docet in Anaxerxe Plutarchus: et Chriſtus eſt lux mundi. Hactenus argumentum. Illud autem, *Et cum poſtremis ego idem*, perinde eſt, ac ſi diceret, Ego ſum poſtremus: de qua loquendi ratione vide adnotat. in Pſal. 58.

27. *Primus ego Sioni ea*) Adludit ad id, quod ſupra dixerat, *Ego Ioua, et primus, et cum poſtremis ego idem*; quaſi hoc dicat: Ego Ioua, qui me ſupra primum poſtremumque, hoc eſt, ſolum dixi, hæc præſignifico.

CAP. XLIII. v. 14. *Mittam Babylonem demolitum clauſtra*) In hebræo eſt, Mittam et demoliar. Cuiusmodi eſt illud Matth. 14. πέμψας ἀπεκεφάλισε: hoc eſt, miſit decollatum. Eſt autem hæc ſententia: Mittam Cyrum et Perſas Babylonem, qui eius repagula et clauſtra demoliantur: hoc eſt, qui eam expugnent, captiuosque vendant Chaldæos, qui nauibus in diuerſas terras portentur, atque ita in nauibus eiulent.

22. *Nec id vero, quia me inuocauiſſes*) Coniunctio Quia in hebræo eſt in poſteriore membro, quæ tamen intelligenda eſt in priore. Argumentatur autem, vt Paulus, qui oſtendit, Abrahamum non eſſe iuſtitiam conſecutum propter circumciſionem, aut legem, quippe quæ nondum eſſet lata, quum iuſtus eſt habitus. Itidem hic Deus ita docet: Eduxi vos ex Aegypto, Iſraelitæ (nam paullo ante hac de re locutus eſt) et per deſerta tuto perduxi tamquam meos. Cur tandem hoc feci? An propter veſtras ſupplicationes et ſacrificia? At nondum ſacrificaueratis: nondum enim ego ſacrorum leges tradideram. An propter virtutem veſtram? At eratis contumaces et improbi. Cur igitur vobis benefeci? Propter meipſum, gratis. Quod ſi tum ita feci, idem exſpectate futurum in ſalute, quam ſum vobis per Chriſtum adlaturus, vt eam non veſtro merito, ſed meo beneficio adſcribatis, meque ideo collaudetis.

C. XLIIII. v. 7. *Futura venturaque indicet*) In hebræo eſt, Sibi indicent, numero plurali, quæ numeri mutatio in hebræa lingua frequenter occurrit. Quod autem additur vox Sibi, ea ſuperuacua eſt etiam in plurali, vt in ſingulari fieri docuimus in Moſe. Atque ita ponitur Pſ. 80. vbi ſic legitur ad verbum:

bum: Tu nos finitimis certamen expoſuiſti, et hoſtes noſtri derident ſibi: hoc eſt, derident: quod gallice ſic exprimitur: Sen mocquent.

20. *Si falſo agere)* In hebræo eſt, Se habere falſum in dextra. Quoniam autem manu agunt homines, præſertim dextra, fit vt manus, aut dextra, pro actione dicatur. Falſum autem apud hebræos pro iniuſto ponitur, ſicut verum pro iuſto: de quo vide in Pſal. 7.

CAP. XLVI. v.2. *Nec onus perferre valeant)* Quod perferre interpretor, hebræum verbum ſignificat liberare, et efficere vt euadat. Sed aliquando ſignificat ad exitum perducere, vt Eſ. 34, 15. vbi ſic ad verbum legitur: ibi nidificabit bubo, et liberabit, hoc eſt, impune nidificabit, et pullos ad exitum perducet, prorſumque nutriet. Eodem modo locutus eſt et Mich. 6. Atque hoc loquendi modo gallice dicimus, euaſiſſe pullos, nihilque iam metuere, quum eo vſque nutriti ſunt, vt iam iniuriam (cui obnoxia eſt tenera ætas) non metuant. Idemque dicimus et in vuis, reliquiſque terræ frugibus. Igitur hic tueri, aut liberare onus, eſt eo perferre, quo deſtinaueris. Quod idem intelligendum eſt in verbis, quæ paullo poſt ſequuntur: Idem et feram, et perferam.

CAP. XLVII. v. 3. *Nec mihi quiſquam hominum occurret)* Hebraice eſt, Ne cuiquam hominum occurram: quod idem eſt, ſed obſcurius. Tale eſt illud Marc. 14. ἀπαντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος κεράμιον ὕδατος βαστάζων, Occurret vobis homo, cet. hoc eſt, Occurretis homini, aut incurretis ſiue incidetis in hominem.

CAP. XLVIII. v. 6. *Quod ſi audieras, vaticinare)* Si, in hebræo non eſt, ſed ſæpe ſubticetur, ſicut apud Plinium Iuniorem: Dediſſes huic animo par corpus, feciſſet quod optabat: id eſt, ſi dediſſes. Item חזה, pro eo, quod eſt prædicere et vaticinari, non raro ponitur. Vtriuſque exemplum et alibi ſæpe, et Eſ. 1. inuenies. Ceterum hæc ſententia eſt obſcuriſſima, propter orationis breuitatem, et videtur prima fronte parum apta et coniuncta: quam tamen, ſi diligenter attendas, inuenies conuenientiſſimam. Sunt autem conſideranda, quæ ante dicta ſunt, in hunc modum: Prædico vobis (inquit Deus Iſraelitis) aduentum Cyri et ideo prædico, vt quum euenerit, eius rei laudem mihi tribuatis, non veſtris ſtatuis, falſiſque diis: qui tantum abeſt, vt tale aliquid facere valeant, vt ne prædicant quidem. Nam ſi prædicunt, vobis prædicunt, qui eos colitis, et ſi vobis prædicunt, eaque vos ex eis audiuiſtis, prædicite eorum inſtinctu, hæc quæ vobis de Cyro a me ſignificantur. At non poteſtis: ſunt enim ignota vobis. Ex quo perſpicuum eſt, eorum gloriam non diis eſſe veſtris tribuendam, qui vobis, quamuis ſuis cultoribus, ne prædicant quidem: ſed mihi, qui etiam contumacibus, tamen hæc præſignificem: vt quum euenerint, ei tribuatis qui prædixerit, hoc eſt mihi. Cur autem hæc ſignificem, cauſſa eſt hæc, quod ſcio vos, quæ veſtra eſt perpetua improbitas, huius rei laudem tributuros eſſe diis iſtis, niſi fueritis a me præmoniti. Quod ſi faceretis, ego ob tam ingratum animum et perfidiam in vos ſæuirem ad internecionem. Nolo autem vos funditus exſtirpare, ſed genus ſeruare veſtrum, mei nominis cauſſa: hoc eſt, vt ea res mihi ſit laudi, promiſſumque ſeruem. Hanc ob cauſſam, præcludam vobis meam laudem: hoc eſt, hæc vobis præſignifico, vt quum acciderint, non vos inde, veſtroſue deos laudetis, quum per eos ne præſciueritis quidem, nedum vt horum auctores eſſe videantur: ſed intelligentes eam laudem in vos non cadere, eam mihi adſcribatis: atque ita fiat, vt ego a vobis laudatus, iram meam cohibeam, neque vos euertam. Atque hoc videmus accidiſſe. Nam poſt Babylonicam captiuitatem,

 a ſimu-

a ſimulacris abſtinuere Iudæi, ſicut et nos (ſiquidem vere Iudæi ſumus) poſtquam ex vera Babylone noſtri veteris hominis prauæque naturæ emigrauerimus, nulla deinceps habebimus ſimulacra noſtrarum effrenatarum libidinum, quibus ſeruiuimus tamquam diis alienis, noſtra manu factis, vt prædictum eſt in Ezech. 36. Igitur non excidam vos, inquit, ſed explorabo: et rebus aduerſis exercitos, ac tamquam metallum in fornace probatos, eligam: non quidem ob pecuniam, vt ſolent qui metalla igne probant: ſed id faciam gratis, et mea cauſſa, ne quis ſibi poſſit huius rei laudem vendicare, quod eſſet indignisſimum. Hoc in loco nobis etiam atque etiam animaduertendum eſt, quando fiat hæc hominis electio, videlicet in fornace calamitatis.

16. *Non tecte quondam locutus ſum*) Hoc eſt, Senacheribi caſum non obſcure prædixi: et nunc poſteaquam id euenit, non latito, (quod facerem præ pudore, ſi non eueniſſet quod prædixeram) ſed me præſentem exhibeo, vt oſtendam me vera prædixiſſe, atque ita fidem merear de futuris, quæ præſignifico: hoc eſt, de Cyro, quem meo ſpiritu præditum mittam. Sed hoc intellige de vero Cyro, hoc eſt Chriſto, qui erit diuino ſpiritu præditus, vt eſt in capite 42.

CAP. XLIX. v. 5. *Et Iſraelitas ei adlegendos*) לא pro לו legitur, vt et alibi: quemadmodum et vetus verſio oſtendit, et ea quæ præcedunt, quæque mox ſequuntur. Eſt enim gemina ſententia, vt ſit idem, Iacobeos ad ipſum reducere, et Iſraelitas ei adlegere. Quod autem paullo ante dixit, ſe fruſtra laborare: non ſignificat, nullum Iſraelitarum fieri Chriſtianum, ſed paucisſimos: adeo vt tantillus profectus non videatur Chriſti labore dignus, niſi accedant et reliquæ nationes.

24. *Captus ferocem elabetur*) עריץ, non צדיק legit vetus, qui vertit robuſtum: et recte, vt videtur: eſt enim gemina ſententia, eaque iisdem verbis repetita: nec conſentaneum eſt, in repetitione non idem, aut certe adfine verbum poni. Adde, quod, vt legitur, non eſt apta ſententia. Nihil enim facit iuſtitia ad retinendam prædam, at ferocitas facit. Eſt autem hæc ſententia: Poteriſne nos, o Ioua, eripere ex Babyloniorum poteſtate hominum tam potentum, tamque ferocium?

CAP. LVI. v. 9. *Item præter eos, colligam ad eorum collectitios, beſtias agreſtes*) Hoc eſt, quum Iſraelitas in ſacrum montem per Chriſtum collegero, oppugnabuntur a Gog et Magog: quos ego vincam, eorumque corpora beſtiis comedenda tradam. Vide Ezech. 38. et 39. Eſ. 18. Breuis eſt ſententia, in qua ex ſequentibus intelligenda ſunt præcedentia.

CAP. LVII. v. 16. *Non enim ſemper contendam*) Hæc ſunt ita cum antecedentibus coniungenda: Dixi, me reducturum meos in meum ſacrum montem Hieroſolymam. Dicent Iſraelitæ, vt eſt Ezechiel. 37. Quo pacto nos in Sionem reduces, quum oſſa noſtra aruerint, nec vlla ſpes ſuperſit? tanta eſt tua in nos ſæuitia. Reſpondeo: Non erit æterna hæc ſæuitia: nam *inductur profectus a me ſpiritus, et animantes ego faciam:* hoc eſt, placatus meis per Chriſtum, eorum corpora ſpiritu animabo, eosque in vitam reuocabo, et in promiſſam a me felicitatem perducam. Nunc quidem eorum vitio eis iraſcor, eosque ſino præcipites in ſuas ferri libidines: Sed medebor aliquando eorum malis, mittamque nuntium, quo omnibus, vbicumque ſint, pax nuntietur. Sed ne putent, quicumque ſunt humana natura Iſraelitæ, hanc ſe pacem conſecuturos, hoc denuntio, hanc impiis non patere. Ex hoc loco apparet, pios eſſe veros Iſraelitas. Confer cum Ezechielis 37.

CAP.

CAP. LVIII. v. 3. *Libidini ſatisfacitis)* In hebræo legitur, libidinem inuenitis: ſed inuenire pro conſequi et potiri, aut indulgere et obſequi ponitur: vt in hoc eodem capite ad finem, vbi ponitur, libidinem facere: et paullo poſt eodem ſenſu, libidinem inuenire. Iam hoc pacto loquitur et Paulus ad Philipp. 3. ἵνα χριστὸν κερδήσω, καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ: hoc eſt, Vt Chriſtum lucrer, et in eo ſatis habeam, aut mihi ſatisfiat.

4. *Iſto pacto ieiunaueritis)* In hebræo eſt, ſecundum diem, Nam quod paullo ante vertimus, Tum quum ieiunatis: ad verbum legitur, Quo die ieiunatis, quod idem verbum hic repetitur, Ne ieiunaueritis ſecundum diem: hoc eſt, iſto modo quem dixi. Nec diſſimile eſt, quod paullo poſt vertimus, *Iſto modo loquendo*, videlicet quem ſupra dixi. Dixerat autem, *iniquamque orationem re[illegible]ueris.*

IEREMIAS.

IN TOTVM IEREMIAM ARGVMENTVM.

IEREMIAE genus, ad ipſum Ioua, in Iudæos Ioua munificus. Gentium aduocatio. Iudæorum excidium. Vatis querelæ. Chaldæi et Aſſyrii contra Iudæos. Pro populo preces ad Iouam. Falſi vates, excidenda Hieroſolyma. Syderum vis in hominis animum nulla. Vates in hoſtes Dei, Iudæi Deaſtricolæ. Hieroſolymæ calamitas futura. In populos comminationes Iudæorum hoſtes. Ariditas, et caritas in Iudæis. Contra Pſeudouates. Pro idololatra non orandus Ioua. Prohibitus a nuptiis vates. Gentium ſalus. Figuli ſimilitudo, Iouana prouidentia. Ieremiæ contra inimicos precatio. Confractus lebes Hieroſolymæ imago, in vinculis vates, mox abſolutus. Ad regem oratio. Mendacia Pſeudouatum. Ficubus plena caniſtra. Captiuitas apud Babylonios. Vatis iudicium propter Iouanam veritatem. Hanannias pſeudopropheta. Captiui Iudæi, eorum redemtio, in carcerem coniectus Ieremias. Fœdus Iouæ cum Iudæis æternum. Pro Iudæorum liberatione vates orans. Prædicta ad regem Sedeciam Hieroſolymæ ruina. Baruch exſecrator. Liber exſecrationum incenſus. Liber alter, in lacum proiectus vates. Obſidione preſſa Hieroſolyma. Chaldæorum captiuus Sedecias. Vatis vincula ſoluta. Iohanani vaticinium de Gedaliæ nece. Aegypti excidium proximum. Solatur Baruch Ioua de ſpiritu fatidico. Nabuchodonoſor Aegypti vaſtator. Excidium Philiſteorum, Moabitarum, Ammonitarum, Babyloniorum. Ioachini ex vinculis abſolutio.

ADNOTATA.

CAP. II. v. 33. *Quid tuam rationem componis ad amorem captandum?)* Cur te componis ad peregrinorum deorum cultum? et ideo doces alias ciuitates tuam defectionem: atque ita in cauſa es, vt peregrinos colant deos, quod

ſit

ſit eis pernicioſum? Id quod perinde eſt, ac ſi inſontes interficias, et eorum ſanguine veſtem tuam cruentes. Neque vero iſtud occulte facis, vt ſolent latrones: ſed palam, ſub opacis arboribus tuos colens deos. Ceterum quod verto alias, et paullo poſt, quercus, in hebræo paullo aliter habent puncta vocalia: ſed ea nonnumquam immutata ſunt, vt alias oſtendimus. Certe mecum facit ſententia, quæ alioqui non conſtat: in poſteriore etiam verbo græcus interpres, qui vertit: δεῦϊ, vt ſit in piore legendum reoth, proximas, hoc eſt alias: vt et Græci dicunt ὁ πέλας, pro altero: in poſteriore autem elab, aut allah, quod iiſdem ſcribitur litteris, quibus elleh.

CAP. III. v. 8. *Videns vt ego*) Hoc verbum in tertia perſona legendum puto, vt legit vetus interpres.

CAP. IX. v. 25. *In omnes, qui circumciſo ſunt præputio*) Quas hic gentes commemorat, hæ omnes circumcidebantur: id quod ignorantes quidam, hunc locum, quem bene transtulerat vetus (vt et multos alios) deprauarunt, non auctorem ſequentes, ſed trahentes: videlicet Iudæos magiſtros ſuos, cæci cæcos, ſecuti, qui arbitrantur ſolos Iudæos circumcidi: quum non ſolum Aegyptii præter Iudæos circumciderentur, ſed et Aethiopes, et Colchi, et Macrones, et Syri, vt docet in Euterpe Herodotus.

CAP. X. v. 11. *Coſi gli di rede*) Ieremias hebraice ſcribens, hunc verſum ſcripſit chaldaice, vt Chaldæos ipſorum lingua adloqueretur. Id ego imitari conatus, eumdem ſcripſi italice. Eſt autem hæc eorum verborum notio: Qui dii cælum et terram non fecerunt, ii ex terra et locis cælo ſubiectis tollentur.

CAP. XI. v. 15. *Quid meo dilecto eſt in templo meo, quum ea tot committat flagitia?*) In hebræo verbum Committat, et ſequentia, feminina ſunt, quum nomen Dilecto maſculinum ſit. Vocat enim dilectum, Iudæum: deinde feminino genere adloquitur Iudæam, quod idem eſt, et eodem nomine vtrumque dicitur hebraice, cuiusmodi mutationem enotauimus, Eſ. 15. Eſt autem in hac ſententia, multa in hebræo mutatio: nam Tot pluralis numeri eſt, et flagitia ſingularis, et faceſſant pluralis, et carnes ſingularis: et paullo poſt, *Cuius folia*, maſculini generis: et *Cuius rami*, feminini: id quod et alibi ſæpe animaduerti, ſed vbique indicare non eſt neceſſe.

Faceſſant a te ſacræ carnes, qui malefaciendo exſultes) Hoc eſt, fruſtra victimas immolas; nam eæ mihi non placent, quum a ſceleratis immolantur. Vide Eſ. 1.

CAP. XV. v. 13. *Veſtras copias et facultates*) In hebræo ſingularis numerus eſt pro plurali. Nam hæc de Ieremia non dici, apparet ex eo, quod dicitur de finibus, quaſi multos fines haberet Ieremias, quibus omnibus finibus paterent eius peccata: id quod non de Ieremia, ſed de Iudæis dicitur: qui quot oppida, tot habebant deos, vt ait idem Ieremias. Præterea ad extremam ſententiam pluralis eſt numerus. Adde quod cap. 17. eadem ponitur ſententia: vbi perſpicuum eſt, hæc in Iudæos dici. Itaque ego duos hos locos contuli, et ex vtroque alterum nonnihil iuui, quoniam videtur vterque nonnihil deprauatus. Quod enim hic legitur והעברתי id illic rectius videtur legi והעבדתיך facili mutatione litteræ daleth in res, propter figuræ ſimilitudinem. Eſt enim eadem ſententia, quæ c. 16. ponitur his verbis: *Exigam vos ex iſta terra, in terram et vobis et maioribus veſtris ignotam.* Conferantur diligenter hi duo loci.

CAP. XVI. v. 7. *Neque panis in luctu diſtribuetur*) לחם lego: vt

et vetus et græcus interpres legit, et ſententia oſtendit: et cum eo congruit, quod paullo poſt ſequitur, Sumendi cibi potionisque gratia.

C.XVII.v.15. *Atqui non ego te ſequens incommodare conor*) ברעה a רוע ductum, ſignificat incommodare, et capitur pro eo, quod eſt malum nuntiare, vt capit. 1. dicitur mitti Ieremias ad deſtruendum, cet. hoc eſt, ad nuntiandam ruinam; et ſæpe in Leuitico purgare aut polluere pro purum pollutumue pronuntiare. Eſt autem gemina ſententia: vt ſit idem, incommodare conari, et ſæuam diem auere.

CAP. XVIII. v.9. *Verbi gratia*) רגע græce ad verbum redditur αὐτίκα, τάχ' ἄν.

14. *Niuemne relinqui ſubdialis rupis Libani?*) Qui vult niuem, petat Libanum, qui perpetuo niualis eſt: qui vult aquam, petat iugem fontem, vnde gelida, hoc eſt, ex profundo oriens, manat aqua, nihil æſtum metuens. Ita qui ſibi bene eſſe vult, me petat, bonorum fontem viuum. At mei Iſraelitæ, omiſſo me, ſuffiunt falſis diis: quod perinde eſt, ac ſi quis omiſſo iugi fonte, pertuſas aridasque ciſternas adeat.

18. *Neque ſacerdoti lex*) Vt numquam ſacerdoti lex, aut ſapienti deeſt conſilium: ſic Ieremiæ, qui vates eſt, numquam deeſt, quod dicat. Eſt ergo compeſcenda eius loquacitas. Comparatio eſt ſic poſita, vt illa Virgilii:

Nec lacrimis crudelis amor, nec gramina riuis.
Nec cytiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ.

Hoc eſt, Vt gramina non ſaturantur riuis, cet. ſic amor non ſaturatur lacrimis.

CAP. XXII. v. 6. *Tu mihi Galaadus o Libani caput*) Adludit ad rationem nominis Galaadus, quæ poſita eſt in Gen. 31. vbi Galaadus dicitur tumulus teſtimonii. Eſt igitur hæc ſententia: O caput Libani, hoc eſt, o domus regis Iudææ: hoc eſt, Hieroſolyma Iudææ caput: tamquam ſi luæ (nam et ad extremum ſuperioris capitis ſiluam vocat Iudæam gentem) tu mihi Galaadus es, hoc eſt, tumulus teſtimonii: hoc eſt, te teſtor, vt apud Moſem teſtatur Laban Galaadum tumulum. Ita Galaadi nomine in adfirmando ac iureiurando vtitur, propter celebre illud Galaaditicum iusiurandum: quomodo Romani in connubiis ſolebant vti nomine Thalaſſii, quo ſponſus indicabatur.

CAP. XXVIII. v. 8. *Bellum aut malum*) Conſidera, num pro רעה ſit legendum רעב, hoc eſt, famem.

CAP. XXXI. v. 3. *Cui Ioua procul apparuit*) In hebræo pro לי videtur legendum לו, vt et ſententia oſtendit, et græcus interpres legit, qui vertit ὀφθήσεται αὐτῷ. Loquitur enim Deus, non populus: niſi forte eſt perſonæ mutatio, qualis eſt in Pſalmo 91. et ſic quoque conueniet cum re translatio mea.

15. *Auditur apud Ramam lamentabilis*) Rama erat oppidum in Beniamitarum finibus, vt habetur Ioſuæ 18. Plorat Rachel, hoc eſt, Beniamitides feminæ, a Rachele Beniaminis matre prognatæ. Itaque poſſet et ſic verti, Vox Rachelidarum ſuos natos deplorantium. Dicitur enim Rachel pro Rachelidibus, vt paullo poſt Ephraim pro Ephraimitis: qui loquendi modus apud Hebræos frequentiſſimus, etiam apud Latinos exſtat, qui nonnumquam Romulum pro Romano dicunt: vt Perſius, An Romule caues? Quod autem locum hunc citat Matthæus cap. 2. de occiſis ab Herode infantibus, ſciendum

Digitized by Google

dum eſt, vatum dicta ſæpe ſpectare longius, quam videa tur. Eſaias quum de Emmanuele et de Cyro loquitur, ad Chriſtum venit: de qua re ſcripſimus in eius cap. 7. et 8. et 9. Item quum de inferenda per Senacheribum calamitate ſcribit, eam ad Titum Veſpaſiani filium extendit: qua de re vide quæ ſcripſimus in Eſaiam, cap. 32. Itidem quod hic ſcribit Ieremias de Ephraimitarum calamitate, id extendendum eſt ad vſque Chriſti tempora: id quod ex eo patet, quod etiam et quæ paullo poſt hunc locum, et quæ capite ſuperiore de reuocandis captiuis dicit, plane ad Chriſtum referenda ſunt. Ex quo patet, quum vno calamitatis nomine comprehendat ea, quæ Iudæi paſſuri erant, donec reuocarentur: quumque reuocandi eſſent per Chriſtum, recte hunc locum adduxiſſe Matthæum de infantibus, qui primi propter Chriſtum occiſi ſunt.

22. *Ambibit femina marem*) Nouum et inſolitum eſt, vt marem ambiat in matrimonium femina, quum contra fieri ſoleat. Atqui ego tot Iſraelitas interficiam (inquit Ioua) vt præ paucitate virorum, ambiant feminæ viros, et tamen ex tanta paucitate erunt, qui euadant. Vide Eſ. 4. et deprehendes eamdem ſententiam.

CAP. XXXIII. v. 6. *Pacis fideique ornamentum aperiam*) יטרח legendum videtur, teth ſecunda littera, vt coronam et ornamentum ſignificet: cuiusmodi translatio eſt Pſalmo 5. alioquin friget, et cogitur ſententia.

CAP. XXXVII. v. 21. *Eique quotidie panis vnus dabatur*) ככר tortam vertit vetus: vere ille quidem, ſed parum latine. Significat enim hebræum verbum, rem ita conformatam, vt ſolent panes. Itaque ſi pecunia eſt, vocatur talentum: ſi alia res eſt, vocatur maſſa, vt apud Virgilium, Maſſam picis vrbe reportat. Aut gleba, vt Cæſar glebas picis appellat. Sed panis maſſam aut glebam dicere vix auſim. Itaque malui dicere vnum panem, quod idem eſt: ſignificat enim integrum panem, qui erat, vt videtur, eius magnitudinis, vt homini ſatis eſſet in diem. Galli ad verbum bene exprimunt: dicunt enim aliis in rebus, pain: vt, vn pain de miel ou de cire. In pane dicunt, vne miche de pain: id quod latine dici non poteſt.

CAP. XLVI. v. 20. *Quam inuadet ab aquilone impreſſio*) Videtur legiſſe Hieronymus באבה, qui vertit, Veniet ei: et græcus interpres, qui ἦλθον ἐπ' αὐτὴν: quæ lectio mihi videtur verior.

CAP. LI. v. 1. *Ego in Babylonem et incolas Lebcamai*) Hoc verbum ſignificat, cor infeſtorum meorum: qua voce Chaldæam terram innuit, tum ſignificatione (nam ea erat Deo contraria et infeſta) tum verbo: nam hæ litteræ, לבקמי, ſi alphabetum præpoſtere numeres, in eodem ſunt numero, in quo בשרים, ſi recte numeres: quod in hebræo eleganter dictum, in aliis linguis dici non poteſt. Itaque Græci verterunt χαλδαίους. Eiusmodi ænigmate dictum videtur et ſupra cap. 25. ששך, pro בבל. Hic animaduertendum eſt, ex qua Babylone velit Deus migrare nos: videlicet ex Lebcamai, hoc eſt, ex corde noſtro, quod eſt Deo contrarium. Sed hoc nemo intelliget, nedum præſtabit, niſi qui volet retrogredi (vt poſtulat huius verbi natura) hoc eſt, omnia et intelligere et facere contra quam facit caro.

CAP. LII. v. 15. *Reliquias hominum, qui in vrbe ſupererant*) Hunc locum redundantem emendaui ex 4. Reg. 24. Alioqui plebeii iidem et relicti et relegati viderentur. Et ſane caput hoc multis in locis diſcrepat ab illo.

IERE-

Digitized by Google

IEREMIAE LAMENTATIONES.

ADNOTATA.

CAP. III. v. 5. *Felle et fatigatione circumuallans*) Fatigatio cum felle non belle coniungitur. Vide num legendum ſit, ולענה, vt vel cum abſinthio coniungatur, duæ res amariſſimæ: vt ſit et paullo poſt hunc locum in zain, et Deut. 29.

19. *Miſeriæ et acerbitatis*) מרודי, legendum videtur, daleth penultima, qui facilis eſt lapſus, indiſcreta pæne litterarum ſimilitudine. Eſt enim gemina ſententia, eleganter compoſita. Alioqui quale eſſet, Memento meæ miſeriæ et rebellionis? quum ſit potius Deo obliuiſcenda rebellio, vt miſereatur.

CAP. IIII. v. 13. *Ob eius et vatum peccata*) Falſi vates et ſacerdotes fuerunt tantæ calamitatis auctores, qui Hieroſolymis effuderunt innocentum ſanguinem: hoc eſt, falſa vaticinati ſunt, quæ ſecutus populus, incidit in hæc mala. Ibant enim cæci (neque enim Deo adflati) per vicos vrbis, ita ſanguine illo, quem dixi, contaminati, vt eorum veſtes tangi non poſſent: quippe adeo ſanguine imbutæ, vt in eis nihil præter ſanguinem tangi poſſet: hoc eſt, erant magnæ cædis cauſſa. Repellebant autem alios a ſe, tamquam ſacri profanos (vide Eſa. 65.) et paſſim iurgabantur vaticinantes.

G. L. EXEMPLVM EPISTOLAE, QVAM IEREMIAS AD ABDVCENDOS BABYLONEM A BABYLONIAE REGE CAPTIVOS MISIT, VT EIS EXPONERET, QVAE A DEO IN MANDATIS HABEBAT.

IN EPISTOLAE EXEMPLVM ARGVMENTVM.

Peccatorum cumulus. Iudæorum captiuitas. Aſſyrii victores. Captiui abſoluendi. Babyloniorum ſimulacra cauenda. Miſera ſimulacrorum conditio. Idolorum exacta deſcriptio.

BARVCHVS.

IN TOTVM BARVCHVM ARGVMENTVM.

Coactum argentum pro templo Iouæ. Liber legendus. Veritas Dei

Dei ſempiterna, fœdus antiquum. Ad Iouam precationes ſupplices. Gigantes, Deus vnicus. Legis grauitas. Hieroſolymæ oratio. Conſolatio Hieroſolymitanorum.

EZECHIEL. *H.*

IN TOTVM EZECHIELEM ARGVMENTVM.

Ezechielis vaticinantis annus, viſum. Ad Iacobitas miſſus vates. Veri vates. Hieroſolymæ obſidio. Pili decidui. Iacobitarum idololatria. Impendentes calamitates. Viſorum deſcriptio. Captiuitas regis Sedeciæ. In pſeudouates Ioua. Incendenda Hieroſolyma. Aquilarum geminarum parabola. Leunculi et leo. Incenſi ſentes. Samariæ et Hieroſolymorum ſcelera. Lebes ferueus. Gentium euentus inimicorum Hieroſolymæ. Tyri excidium, et Sydonis. Aegypti calamitates. De Pharaone vatis querelæ. Paſtores improbi. Paſtor optimus. Idumæorum euerſio. Vaticinium de captiuorum liberatione. Rediuiua cadauera humana. Paſtor vnus æternus. Gogus, et Magogus cum copiis profligati. Fani noua deſcriptio. Aerarium templi. Ara, ſacrificia, ſacerdotes. Terræ Leuitis attribuendæ. E templo fontes emanantes. Diſtributus in tribus ager.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 5. *Forma quatuor animalium, quorum ea erat facies, vt hominis formam haberent.*) Atqui dicit, ea ſingula quaternos habere vultus. Sed corporis ſtatus et forma erat humana. Eſt autem intelligendum, in hoc capite multam eſſe generis mutationem apud Hebræos. Nam quod vertimus, Quorum ea erat facies: relatiuum illic femininum eſt, vt poſtulat nomen animantis. In ſequentibus masculinum, et rurſus femininum. Item numeri: nam quod de rotis vertimus, rotas quaſdam humi apud animalia ad quatuor eorum facies, relatiuum Eorum in hebræo ſingulare eſt, quum antecedens plurale ſit: et ad verbum ita legitur: Apud animalia ad quatuor eius facies, ſcilicet animalis, hoc eſt, animalium. Quamquam relatiuum hoc in hebræo eſt masculinum, quum animal ſit femininum. Sed et paullo poſt, vbi vertimus, Rotæ ſecundum ea attollebantur: Ea in hebræo eſt masculinum, quum tamen referat animalia. Ac quæ hic animalia dicuntur, eadem capite decimo animal vnius numero vocantur. Quod idem et de rota dico, quam hic vnam vocat, quo nomine ſignificat vnam rotarum quadrigam, vt continuo poſt apparet. Itaque nos per pluralem ſumus interpretati. Huiusmodi mutationem et Ier. 11. declarauimus.

9. *Erant eorum facies ea figura, vt illa quatuor haberent, dextera parte humanam leoninamque faciem, ſiniſtra bouinam et aquilinam*) His verbis intelligenda eſt dextera aut ſiniſtra pars, non vniuſcuiusque animalis, ſed vniuerſorum. Nam ſi in ſingulis hoc fieret, exempli gratia, vt primum animal habe-

haberet ab Auſtro (quæ dextera pars eſt) faciem hominis et leonis, a Septemtrione autem bouis et aquilæ: ſequeretur, vt nullam ab Oriente aut Occidente haberet: quod idem et in aliis fieret. Atqui ſecundum ea animalia rotæ incedebant: rotæ autem tendebant in quatuor ſuæ quadraturæ partes, vt eſt in capite decimó, vbi eadem res apparet: id eſt, in Orientem, Occidentem, Meridiem, et Septemtriones. Quod ſi animalia ad Orientem et Occidentem non haberent facies, ſequeretur, vt in has partes tendente quadriga, nullæ facies eſſent aduerſæ: quod falſum apparet ex his capitis primi verbis: *Ibant autem eorum ſingula prorſum tendentia*: hoc eſt, in anteriorem partem, obuerſa illuc facie, vt quamcumque in partem tenderent, haberet ſemper vnumquodque animal vnam faciem eo ſpectantem: vt ſi tenderent in ſeptemtrionem, aduerſa eſſet facies in primo bouis, in ſecundo aquilæ, in tertio bouis, in quarto aquilæ. Ita fiebat, vt quocumque tenderent, ſemper eſſent quatuor adſpectus aduerſi, et totidem aduerſi, totidemque dextri, et totidem ſiniſtri. Quod autem dicit, *Nec inter eundum conuertebantur:* et tamen paullo poſt ſequitur, *Currebant redibantque*: ſignificat, non circumflecti hanc quadrigam, vt ſolent aliæ, vt temo ſemper antecedat: ſed ita moueri, vt quæ facies ante fuerint anteriores, eo redeunte ſint poſteriores: vt ſi in orientem pergat, aduerſi ſint adſpectus bouis et aquilæ, aduerſi autem hominis et leonis. Sin autem in occidentem redeat, non id faciat circumflectendo, vt ſemper bos et aquila præcedant: ſed retro gradiatur, antecedente homine et leone, illis autem ſequentibus: vt ſi nauigii puppis et prora eadem forma ſiant, et ita nauigium ſine conuerſione agatur, vt quæ pars fuit eundo prora, eadem redeundo ſit puppis. Atque eadem eſt et rotarum ratio, vt in omnes ſimiliter partes ferantur, vt quæ pars earum eundo in orientem fuit anterior, eadem eundo in occidentem ſit poſterior; quod idem de ſeptemtrione et meridie intelligo. Quod ad electrum attinet, eſt in hebræo Hasmal: quod quia antiqui electrum interpretati ſunt, nos eos ſecuti ſumus, quum nihil de eo certius haberemus; nam in hebræo ſermone id verbum nihil, quod ſciatur, ſignificat: niſi forte litteras ordine præpoſtero colloces (ſunt autem in ſacris litteris talia quædam ænigmata, vt in Ierem. 51. docuimus) erit enim למשח, hoc eſt, vngendus, qui græce Chriſtus, hebr. Meſſias appellatur: vt ſit littera ל eodem modo poſita quo Ier. 3. et Ioann. 13. ἵνα, vbi ἵνα πληρωθῇ dictum eſt pro πληρωτέον aut πληρωθῆναι δεῖ. Qua de re lege quæ in 2. ad Corinthios octauo cap. ſcripſimus. Ita eſſet Hasmal vngendus, quomodo ſi latine pro vngendus dicas ſudnegnu: aut pro Ieſus Suſei. Iam occurrit aliud arcanum, vt enim ſi Hasmal hebraico more legas, nihil ſignificat: ſin græco aut latino, hoc eſt, præpoſtero ordine litterarum (nam nos ſcribimus a læua in dexteram, quam Hebræi a dextera ſcribant in læuam) ſignificat Meſſiam: ita ſi quæ de Chriſto in Hebræorum oraculis ſcripta ſunt, intelliges vt Iudæi Chriſtum crucifiges, tantum aberit vt cognoſcas. Sin vt Græci, hoc eſt Chriſtiani, qui ex extraneis potiſſimum nationibus adſciti ſunt: Chriſtum diſces, et ex Saulo Paulus fies. Item vt hoc nomen Hasmal in hebræo auctore, videlicet Ezechiele, ſcriptum, tamen non eſt hebraico more legendum, ſi ſententiam velis elicere: ita de Chriſto prodita ab Hebræis oracula, ſi Hebræorum more excutias, habebis meras litteras, et ſine mente ſonum; habent enim obuelatam faciem, quum hæc legunt. Sed hæc de Hasmal vt propoſita volo, ſic adfirmata nolo, ne incerta pro certis habeamus.

CAP. III. v. 3. *Iſtiſque viſceribus conficies*) Hebræum verbum ſignificat perficere et abſoluere, quod pro concoquendi verbo ponitur, vt apud Plinium ſæpe perfici cibus dicitur, pro confici, ſiue concoqui.

CAP. XIIII. v. 22. *Tamen ſuperſunt in ea, qui elapſi educantur*) Ceterum quidem nationum ſontes omnes punio, ſolis parcens inſontibus. At in Iſraelitas ſum clementior, id quod inde licet intelligi, quod quum ſint omnes Iſraelitæ nocentes, et ideo omnes interficiendi, ſi ſummo iure vti velim: tamen euadent nonnulli, mea videlicet clementia conſeruati: qui quum ad vos peruenerint; capietis inde conſolationem, et intelligetis, quod Hieroſolymam ita adfecerim, me merito feciſſe: quod autem nonnullos reliquos fecerim, feciſſe miſericorditer, quum eorum ſcelera aduerſionem mererentur Sodomitanæ ſimilem. Vide Amos nono, et Abdiam.

CAP. XV. v. 2. *Quid fiet ligno vitis ex omnibus ramoſis arboribus*) Ramoſas arbores vocat arbores, ſuperuacaneo adiectiuo, quod tamen in hebr. eſt ſubſtantiuum, ſed adiectiui loco poſitum: ſicuti ſæpe volucres aeriæ, et piſces marini ſiue aquatiles dicuntur, adiecto verbo non neceſſario. Item, quod interpretor, In arborum ſilua: eſt in hebræo, in arboribus ſiluæ: ſed ſilua ſignificat arborum multitudinem, ſiue ſilueſtrium, ſiue domeſticarum: ſicut Gen. 3. dicitur herba agri, pro agris terreſtribus, ſiue agreſtes ſint, ſiue domeſticæ. Nec refert, quod vitis magis frutex eſt, quam arbor: nam apud Hebræos etiam frutices appellantur arbores, omiſſa illa ſubtiliori partitione, quæ frutices medios facit inter herbas et arbores. Eſt autem hæc vatis ſententia: Vt vite (quæ alioqui ſtirps eſt vtiliſſima) nihil eſt inutilius, ſi eſt ſterilis: ita et Iſraelitis nihil eſt inanius, ſi recte factorum fructu carent. Idem dixit Chriſtus, cum ſale ſuos comparans.

CAP. XVI. v. 53. *Et in iis etiam tuos*) Meus, tuus, ſuus, noſter et veſter, hebraice dici non poſſunt, niſi coniunctis aliis, quemadmodum in Geneſ. 24. ſcripſimus. Vt ſi velis, quod latine dicitur, Meus pater et tuus, hebraice reddere, ita cogaris dicere, Meus pater, et tuus pater. Hac de cauſſa quum hoc in loco in hebræo ſermone captiuitatis nomen ſæpe iteretur, cogente linguæ natura, ego in latino, vbi non eſt ea neceſſitas, id nomen ſemel poſui, in ſequentibus ſatis habui pronomina ponere. Ac quod hic admoneo, id volo et alibi animaduerti: nam ſæpe occurrit. Ceterum quod de reuocandis Sodomæ captiuis dicit: ſciendum eſt, verbum hoc loco poſitum, non ſolum captiuitatem indicare, ſed etiam miſeriam: vt Iob. 24. et in gallico ſermone, vbi ductum a captiuitate vocabulum, miſeriam declarat, chetiuete. Iam quoniam Ezechiel de Samariæ et Hieroſolymæ captiuis loquitur, etiam in Sodoma, quam cum illis coniungit, eodem vtitur vocabulo, quamuis Sodomitani non fuerint captiui. Sed quid eſt, quod dicit ſe reſtituturum eas in priſtinum ſtatum? Nam ſi Sodoma et Samaria reſtituentur in priſtinum ſtatum, in malum ſtatum reſtituentur. Semper enim vitiis abundarunt, præſertim Samaria, cuius et primordium et progreſſus malus fuit. Ita fiet, vt ſi in priſtinum reponentur, perpetua fiat viciſſitudo et peccandi, et pœnas dandi. Quamobrem intelligendum eſt hoc loco tranſitum fieri a Sodoma illa ad aliam Sodomam: hoc eſt, ad gentes Sodomitarum ſimiles: quemadmodum capite vigeſimo fit tranſitus a ſimulacricolis Iſraelitis ad veros Iſraelitas, vt ſit hæc ſententia: Sodoma et Samaria, hoc eſt, gentes illarum ſimiles, reſtituentur in priſtinum ſtatum: hoc eſt, ſtabunt aliquando per Chriſtum, quum nunc iaceant in Satanæ tyrannide: quemadmodum ſteterit aliquando Sodoma et Samaria, quæ nunc iacent (loquitur autem de Sodomæ mutatione ex caſu in ſtatum) idemque tibi accidet

inter eas: vt quum tu te videbis reſtitutam, pudeat te tuorum ſcelerum adeo fœdorum; vt iis faciendis illas conſolata ſis: hoc eſt, effeceris vt minus nocentes apparerent, ſi tecum compararentur: quæ res ſolet eſſe ſolatio. Sed cuiuſmodi futura ſit ea reſtitutio, ſcietur ſuo tempore.

CAP. XVII. v. 6. *Inuaſit in luxuriantem vitem, ſtatura humilem*) Non pugnant hæc duo. Poteſt enim vitis luxuriare fertilitate ſoli, et tamen humilis eſſe: quippe recens pacta nec dum adulta. Eſt autem idem quod paullo poſt dicitur, Emiſit ſarmenta.

CAP. XIX. v. 3. *Vbi in leonem adoleuit*) אריה et כביר differunt, vt אדם et איש: hoc eſt, vt homo et vir. Atque vt idem homo et vir dici poteſt, ita vtrumque illorum de eodem leone dicitur, Iudicum 14. de qua re vide a nobis in eum locum animaduerſa. Sed in leone latina lingua minus habet multa vocabula, quam hebræa. Itaque intellige, adoleſcere in leonem ſic dici, quaſi tu dicas vitulum adoleſcere in taurum.

7. *Et eorum arces populatus eſt*) וידע legitur, hoc eſt, et cognouit. Sed quid eſt: cognouit arces? Alii vertunt, cognouit viduas. Sed non recte dicetur leo cognouiſſe viduas, cum pergendum ſit in eadem figura, nec leones hominum viduas cognoſcant. Deinde non cognoſcendi verbo vteretur, quod lenius eſt: ſed ſtuprandi aut violandi. Ego ſuſpicor legendum eſſe וירש, quod verbum leoninæ violentiæ conuenientiſſimum eſt. Nam et Græci verterunt ἐνέμετο, quod depopulari ſignificat, et idem erratum obrepſit etiam in Iudicum octauo, vbi eadem littera erratum eſt, poſita littera Ain pro Schin; de qua re lege quæ nos illic ſcripſimus.

10. *Tua mater tamquam vitis*) Eſt omnino in hac adlegoria talis numeri generiſque in hebræo ſermone confuſio, qualem et in primo capite indicauimus, et ſæpe alibi animaduertimus, ne ſit vbique declaranda. Eſt autem eadem ſententia, quæ prioris adlegoriæ. Tu mater Hieroſolyma ſimilis fuit vitis ob humoris copiam lætæ. Ea virgas habuit, hoc eſt homines, qui ſceptra tenuerunt, videlicet reges: qui quum ita creuiſſent, vt inter alios, tamquam inter palmites eæ quæ vocantur ſagittæ, exſtarent, ipſa Hieroſolyma diruta eſt: et ſi quid in ea excellebat, id periit regeſque interfecti ſunt. Nunc deſerta iacet, fuerunt eius reges cauſſa et principium eius calamitatis, nec iam in ea ſuperſunt.

CAP. XX. v. 5. *Promiſiſſemque ſtirpi Iacobææ domus*) In hebræo eſt, Manum ſuſtuliſſem: quoniam is in adfirmando et promittendo mos erat; quæ figura a verbo promittere non abhorret: eſt enim promittere, porro aut alte mittere. Et quia promiſſis, vt videtur, manibus pollicebantur homines, inualuit vſus, vt promittere manus, deinde detracto vocabulo, promittere dicerent pro polliceri, ſicut videmus et in aliis ſolere detrahi voces quaſdam: vt dicimus decies, pro eo quod eſt decies centena millia ſeſtertium: quomodo in ſacris litteris dicitur aliquando nomen pro Iouæ nomen: et traiicere pro per ignem traiicere. Hæc eo dico, vt animaduertantur linguarum naturæ, neu quis offendatur, ſi latine loquens, multa peregrina ad latinorum conſuetudinem traduco.

29. *Quodnam eſſet ſacellum, ad quod irent*) Reddit nominis rationem. Quoniam enim eos interrogauit, quodnam eſſet illud במיה, ad quod ibant, poſtea nomen obtinuit, vt quæ ibi fiebant ſacella, eo vocabulo dicerentur. Eſt autem Bamach, quaſi tu dicas excelſum, aut editum (quod latine templum dici poteſt) quoniam in editioribus locis fieri cœpta ſunt ſacella. Sed

F 2 poſtea

Digitized by Google

poſtea fiebant et in aliis locis: ita cap. 16. dicuntur fieri in omnibus vicis: vbi alio quidem, ſed eiuſdem notionis vocabulo nuncupantur.

CAP. XXI. v. 13. *Scilicet lætemur*) Obſcuriſſimus eſt totus hic locus vſque ad finem capitis. Iuſſus erat paullo ante Vates ingemiſcere, et gemendi rationem reddere. Mirum ni lætemur. Quæritis, o Iſraelitæ, cur ingemiſcam? quaſi vero gaudendi cauſſam habeamus, ac non dolendi, quum mei nati ſceptrum, omne lignum repudiet: hoc eſt, nullum inueniat lignum, ex quo fieri poſſit: hoc eſt, cum meo nato ſceptrum et imperium auferatur, vt poſtea declarabitur. Vocat autem ſuum natum, Iſraelitam: non quia ſit ipſe Vates pater Iſraelitarum, ſed eſt imitatio loquentis Dei, qui vocat Iſraelitas ſuos natos: qualis loquendi modus eſt et in Cantico, capite 7. et in gallico ſermone, et in italico, quum Monſieur et Monſeigneur, Miſſer et mon ſignor dicunt, hoc eſt, meus dominus, quamuis de alienis dominis loquantur: quemadmodum magiſtros vulgo magiſtros noſtros appellamus, quamuis nihil minus quam noſtros. Auferetur autem ſceptrum Iſraelitis acuto Dei gladio, quem tradet interfectori: hoc eſt, Deus id auferet per Babyloniæ regem, cui eius rei poteſtatem tradet: quæ res eſt digna, propter quam eiuletur, et femora pulſentur: quod fieri ſolebat etiam apud Græcos in rebus triſtibus: vt apud Homerum Achilles, viſo nauis incendio, Quum femorum planctu Patroclo talia fatur. Quæritur ex quo ligno ſceptrum fieri poſſit: eſt enim exploratio, quis poſſit eſſe rex Iſraelitarum. Nemo inuenitur: auſertur Iſraelitis regnum. Quamquam etiamſi ſceptrum non repudiaret, ſcilicet omne lignum, hoc eſt, ſi maneret rex aliquis: nihil tamen proficeret, neque malum impendens vitare poſſet.

28. *Tu vero o rei capitalis damnate*) Tu Sedecia, qui capitale crimen commiſiſti, cuius ſupplicii dies venit, poſtquam crimen peregiſti (nam ante perfectum crimen non ſoleo punire) detrahe cidarim: hoc eſt, regno priuaberis: *et quod eſt, non erit: et quod non eſt, erit:* fiet tanta rerum mutatio, vt humilia extollantur, et contra. Qui nunc regnant, priuabuntur regno: qui vero erit humilis, is regnabit, videlicet Chriſtus. Nam quod ad iſtam coronam attinet, eam ego ad nihilum redigam prorſus, (hoc enim ſignificat tertiatum verbum, eademque eſt ſententia, quæ ſupra declarata eſt, *ſceptrum omne lignum repudiat*) ſed id nondum fiet. Licet enim Babylonis rex vos ſeruitute premat, redibit tamen regnum poſt captiuitatem, vt non ſublatum, ſed interpellatum eſſe videatur: ne me putetis idem verbum ter ponentem, de hac interpellatione loqui. Sed id fiet, quum venerit is cuius erit iudicium, videlicet Chriſtus, de quo moriens Iacobus vaticinatur, Iudæis ſceptrum non deſore, donec veniat Soſpitator.

CAP. XXIIII. v. 7. *Nam eius ſanguis eſt in ea*) In hebræo eſt, In eius medio: ſed id ponitur pro In, vt alibi ſæpe; et cap. 26. vbi ad verbum legitur, Tyrum fore expandendis retibus in medio mari: quum Tyrus a medio mari abeſſet longisſime.

CAP. XXVI. v. 18. *Nunc pauent naues diem tuæ ruinæ*) אין volunt quidam eſſe pro אים inſulæ. Sed mihi placet vetus translatio, in qua eſt naues. Nam ſententia magis quadrat, et tam ex אני, quam אים potuit fieri אין.

21. *Te ita in nihilum redigam*) Et hic idem dico, melius vertiſſe veterem, qui in nihilum redigam te: et græcum, qui *ἀπώλειάν σε δώσω*, reddit: quam noſtros, qui Terrores. Ductum eſt enim בלהות a בלה, quod obſoleſcere et antiquari eſt: cuius ſignificatio huic loco eſt aptiſſima.

CAP. XXIX.

CAP. XXIX. v. 7. *Eorum tota latera perforaueris*) Latinus vertit, Diſſoluiſti: Græcus, συνέθλασας: vnde coniicio, eos non העמדת legiſſe, quæ lectio non quadrat: ſed הענקת, quod cauare et perforare eſt, atque huic loco aptiſſime conuenit.

CAP. XXXI. v. 3. *Vt habeat inter nubila cacumen*) Hunc locum bene vertit Græcus. Eſt enim eadem ſententia, quæ eſt Danielis quarto, vbi hæc arbor dicitur capite cælum tangere, vt ſit idem עבתים, quod עבים.

11. *Ego eum Deo gentium in manum tradam*) Deum gentium vocat Cyrum regem Perſarum, Aſſyrii regni euerſorem: quomodo Pſal. 45. Solomo vocatur Deus, ſiue diuus: et Ciceronem dicunt oratorum Deum: et Latini ſuos imperatores vocauere diuos, vt diuum Iulium, diuum Traianum. Quod autem ſequitur, *Vt poſtulat eius impietas:* loquitur, de homine. Deinde ramos nominans, loquitur de arbore, miſcendo rem comparatam cum ea, cum qua comparatur: quoniam principio allegoriæ vtrumque poſuit, ſcilicet Aſſyrium et cedrum. Sed in hebræo ſermone vtrumque eſt maſculini generis: quod quum latina lingua non ferat, mutaui genus: et vbi de arbore ſermo eſt, vſus ſum feminino: vbi autem de homine, maſculino.

CAP. XXXII. v. 18. *Deprime cum deſcendentibus in tartara*) Facere dicitur Vates more poetico, quod factum aut futurum nuntiat: vt in Geneſ. 48. declarauimus. Eſt autem in hac oratione ad finem capitis, crebra generis et numeri mutatio, qualem in Ierem. 11. et Eſ. 15. explicaui.

CAP. XXXIII. v. 31. *Faciunt ore ſuo cantica*) Ore bene loquuntur, et vt eſt in Eſaia, me labiis honorant: ſed eorum dicta ſunt cantica: hoc eſt, non ſentiunt idem quod loquuntur: ſicut qui cantica canunt, aliud ſæpe dicunt, aliud cogitant. Ita iſti ore bene loquentes, animo ſectantur auaritiam, et te tuaque dicta perinde habent, ac ſi carmen aliquod elegans et modulatum cantes, quod eos delectet, non moueat.

CAP. XXXVII. v. 5. *Ego in vos immittam ſpiritum, quo reuiuiſcatis*) Et alias declaraui, ſimplicia verba ſæpe eſſe per compoſita latine vertenda, quod compoſita non habeant Hebræi. Ita hic חיה eſt reuiuiſcere, vt interpretatus eſt antiquus interpres. Atque ita poſitum eſt verbum ζῆν, Matth. 9. et Ioann. 5. et 11. pro ἀναζῆν, hebræo more: ſicut בנה pro reficere et inſtaurare ponitur. Atque huiuſmodi verborum ſignificatio ex ſententiæ tenore perſpicitur.

CAP. XXXIIX. v. 2. *Compone faciem tuam ad Gog, terram Magog*) Ioſephus Antiquitatum lib. 1. cap. 7. tradit, a Magoge conditos eſſe Magogas, quos Græci Scythas appellent: a Meſcho Meſchinios, qui Cappadoces appellentur: a Thobelo Thobelos, qui Iberi: a Phute Phutos, qui Libyes: a Gomaro Gomarenſes, qui Galatæ: a Thygrammia Thygrammanos, qui Phryges a Græcis nominentur. Addit alios: ſed ego eos tantum pono, qui ad hunc locum faciant, et de quibus dubitari poſſit. Iam quæ nomina ponit, ea ſunt ad græcam deflexa linguam. Sic enim in hebræo leguntur: Magog, Meſech, Thubal, Phut, Gomer, Thogorma. Et in ceteris quidem eum ſequor, niſi quod nomine Magog, propter huius oraculi nobilitatem, hebræo vtor: tantum Meſchum aliter interpretor. Nam quum Cappadoces Geneſis 2. Caphthorim appellentur, et quod hic legitur Meſech, græcus et latinus interpretes Moſoch dixerint: probabilius eſt, Moſchos ſignificari, quum et nomen conueniat, et id cum Iberis, tum hic, tum capite 27. coniungatur, quæ vtraque gens eſt in regione Themiſcyra. Nam hos Iberos, non Hiſpanos, hoc loco intelligi volo: ſunt enim alii Iberi in Hiſpania. Sed

 quale

quale ſit hoc de Gog et Magog oraculum, ego neſcio: hæc quidem nondum eueniſſe ſuſpicor. Qua de re lege diligenter Eſ. 17, 26. 56. et 57. et Ezech. 37. cet. et Apocal. 20. Adde, ſi placet, Sibyllæ librum tertium, in quo hæc omnia abunde tractantur.

CAP. XL. v. 5. *Circumdabat autem murus templum*) Sequitur nunc templi ab Ezechiele viſi prolixa deſcriptio, quæ, quia perobſcura eſt, eam, quantum licebit, declarare tentabimus. Igitur hoc templum muro cingebatur quadrato, qui patebat quaquauerſus quingentos cubitos: quod totum ſpatium erat ſacrum. Erat autem templum in monte collocatum, ita vt quacunque parte adiretur, adſcendendum eſſet. Eius partes ſunt nouem, eæque omnes quadratæ, centenos cubitos longæ, et totidem latæ: videlicet ædes ipſa, et circum eam octo atria, a ſingulis cæli regionibus bina: quorum ea quæ ſunt ædi coniuncta, vocantur interiora, reliqua quattuor ſunt exteriora. Per exteriora aditus eſt ad interiora, et porro ad ædem. Atque hæc nouem membra in alia item membra diuiduntur, vt in deſcriptione videre licet. Hæc autem particulatim deſcribuntur ab Ezechiele, quo ordine ei ab angelo oſtenſa ſunt: quo fit, vt ſit obſcurior.

Vir ipſe habens in manu decempedam) In hebræo eſt, menſoriam cannam, hoc eſt perticam: cuius longitudinem deſcribit, videlicet ſex cubitorum, ſcilicet ſacrorum: hoc enim declarat, dum dicit, eos cubitos aliis eſſe maiores vno palmo. Ego cannam menſoriam propterea non appellaui, quod decempedæ nomen eſt huius rei proprium. Eſt et Carcaſſonæ in Aquitania quædam menſura octo palmorum, quam gallice cannam appellant, vt hebraiſmi adfinitatem agnoſcas.

Menſus eſt ædificii craſſitudinem) Aedificium dicit pro muro, quod ædificium ſepit. Hic murus ſex cubitorum craſſitudinem habet, pari altitudine.

6. *Ad portam obuerſam ad orientem*) Portam vocat totum ædificium, quod erat in ingreſſu, quod habebat circumdantem murum, et duas ianuas, et ſex cellas, cum appendicibus.

19. *Latitudinem menſus eſt a fronte inferioris ianuæ, ante interius atrium foris centum cubitis*) Inferiorem ianuam vocat, priorem ianuam interioris atrii: nam ab ea per gradus in atrium interius erat adſcenſus, quo fit vt dicatur inferior. Hinc apparet, quod poſtea docetur de gradibus, eos non eſſe extra ſui muri craſſitudinem: alioqui non poſſet inferior dici ianua, ſi eſſet ſupra gradus collocata. Deinde ipſi interiorum atriorum gradus partem occuparent longitudinis exteriorum atriorum. Neque non animaduertendum eſt, eumdem murum duobus atriis interiectum, non ſeruire vtrique atrio: ſed duos ibi eſſe muros, alterum alterius atrii: ſi enim vnus eſſet, non conſtaret neque atriis centenorum, neque vniuerſo ſacri ſpatio quingentorum cubitorum longitudo ac latitudo. Igitur *latitudinem menſus eſt a fronte inferioris ianuæ, quæ eſt ante interius atrium; centum cubitis, foris,* idque fecit *tum ad orientem tum ad ſeptemtrionem:* hoc eſt, et in orientali et ſeptemtrionali atrio: vt intelligamus hic atria duo deſcribi, quæ ſint eiuſdem generis.

20. *Item portæ quæ erat ſeptemtrioni ad atrium exterius obuerſa*, cet.) Hoc eſt, portam interioris atrii ſeptemtrionalis, quæ foras ad exterius atrium ſeptemtrionale ſpectabat, eadem ratione metatus eſt, qua portam exterioris atrii orientalis, quam modo deſcripſit: et porro ſeptemtrionalis, cuius ſimul mentionem fecit. Atque ad eam interiorem portam ſeptemtrionalis atrii ſeptem gradibus adſcendebatur, ante quos erant appendices portæ. Quum pateant enim gradus in limine decem cubitos, quæ portæ eſt latitu-

do,

do, et appendicum frontes inter ſe octo cubitos diſtent, quæ veſtibuli latitudo eſt, fit vt appendicum proiecturæ, quæ ſunt ſingulorum cubitorum hinc atque hinc, reſpondeant vtrimque vltimo graduum cubito. *Erat autem porta interioris atrii regione portæ alterius*: hoc eſt, exterioris atrii: diſtabantque altera ab altera, hoc eſt, initium portæ interioris atrii, ab initio portæ exterioris atrii, centum cubitos. Quod ſequitur de meridiana porta, ea eſt ceterarum ſimilis. Quod autem dicuntur ei circumiectæ acceſſiones, ea ſunt cœnacula, quæ portæ acceſſiones appellantur, quod ei adduntur extrinſecus, quæ erant etiam in aliis atriis exterioribus, vt capite quadrageſimo ſecundo declarabimus, vbi hunc locum exponemus. Quæ ſequuntur, ex ſuperioribus conſpicua ſunt. De ſacerdotum cœnaculis quod dicit, id declarabimus in capite 42. Ipſum porro templum ita collocatum erat, vt eius vniuerſum ſpatium eſſet quadratum, patens centenos in longum et in latum cubitos. Ipſius templi longitudo erat ab oriente ad occidentem. Cella, hoc eſt ea pars templi, quæ eſt ante penetrale, erat longa quadraginta cubitos, lata viginti. Ei ad occidentem adiacebat ſacrarium, longum viginti cubitos, pari latitudine. Cellam et ſacrarium ambibant dextera ſiniſtraque ſinguli ordines tabulatorum, latitudine quaternum cubitorum: quæ porro tabulata ambibantur vtrimque vacuo loco, quinos cubitos lato: quem vacuum locum cingebat murus ſenos cubitos craſſus. Ita fiebat hæc latitudo cubitorum quinquaginta. At latus autem ſeptemtrionale erat ædis veſtibulum viginti cubitorum longitudine, quæ veſtibuli longitudo erat ſecundum ædis latitudinem. Ita ædis latitudo, aucta veſtibuli longitudine, fiebat cubitorum ſeptuaginta: quod non eſſet, niſi veſtibulum eſſet a ſeptemtrione. A meridie pro veſtibulo erat locus vacuus, tanta latitudine, quanta erat veſtibuli longitudo, videlicet cubitorum viginti: quibus ſi addas muri craſſitudinem, quæ eſt vtrimque, ſuperiore ipſius muri parte, quinque cubitorum, fiet totius templi latitudo centum cubitorum. Longitudo ita erat, vt cella eſſet longa quadraginta cubitos, ſacrarium viginti. Ab occidente, et ab oriente erat ſpatium quatuor cubitorum, in quo in oriente erat porta: poſt id ſpatium erat vacuus locus, cubitorum quinque. Adde vtrimque ædis murum ſex cubitos craſſum: deinde templi murum, quinque, ſcilicet in faſtigio, propter contracturam: nam quod muro detrahitur, id templo attribuitur Ita fit longitudo centum cubitorum. Iam veniamus ad vatis interpretationem.

48. *Veſtibulum quinis vtrimque cubitis dimenſus eſt*) Hoc eſt, veſtibuli limen vtrimque erat craſſum quinque cubitos. Quum autem murus templi, et murus ædis, ſint a fundamento craſſi ſenos cubitos, detrahuntur liminibus ſinguli cubiti, qui tribuantur appendicibus transuerſis, quarum appendicum ſpatium non tribuatur veſtibulo: alioquin veſtibulum eſſet longitudinis vigintiduorum cubitorum. *Ianua vtraque parte*, hoc eſt, et interior et exterior: *lata trinos cubitos*. *Veſtibuli longitudine viginti cubitorum, latitudine decem*, quamquam in hebræo legitur vndecim. Sed non eſſet latitudo dimidia longitudinis, quod tamen fit in omnibus veſtibulis. Adde, quod hic impar numerus non admodum ceteris dimenſionibus reſponderet. Has ob cauſſas hoc loco ſecutus ſum græcum exemplar, vbi eſt δέκα.

49. *Ad quod decem gradibus adſcendebatur*: hi ſunt in liminis exterioris craſſitudine. Lego autem hic non אשר, ſed עשר: nam et ita legit græcus, et ſententia aliter non conſtat: quamquam latinus vertit, octo. *Ad appendices.* Appendices enim dextra ac ſiniſtra erant in tecto muri proiecturæ ſingulorum cubitorum: id quod ex eo intelligitur, quod de limine dictum eſt, vt ſint longitudinis appendices paris proiecturæ cum latitudinis,

hoc eſt, cum transuerſis liminum appendicibus: id quod in atrii figura oſtendimus fieri. *Hinc vna, et inde altera erat columna.* Vtrum eæ columnæ eſſent in initio, an in fine veſtibuli, non addit: Itaque nos earum locum non ſignauimus. Nam et 4. Reg. 7. vbi ſunt huiusmodi columnæ, eæ dicuntur eſſe in pronao, ſiue templi veſtibulo: ſed quo loco, non exprimitur: quamquam a Ioſepho dicuntur ad antas collocatæ, id quod videtur ita eſſe, quemadmodum in Moſis tabernaculo duæ in ingreſſu angulares columnæ reſpondent aſſeribus, vnde et antarum nata videtur ratio. Quod attinet ad craſſitudinem muri veſtibuli, non facit eius mentionem Ezechiel: ſed quum omnes alii huius extructionis muri ſint craſſitudine ſex cubitorum, eamdem huic tribuimus.

CAP. XLI. v. 1. *Appendices dimenſus eſt vtraque parte in latitudinem ſenum cubitorum)* Cellæ appendices vocat tabulata, de quibus paullo poſt diſputabimus. Earum infima erant latitudinis quaternum cubitorum, ſumma ſenum. Quatenus autem ſumma ſunt, vocantur appendices. Volo autem hoc loco appendices intelligi, non ſolum eam ſtructuræ partem, quæ extra fundamenti ſpatium proiicitur, quomodo alias poni ſolet: nam hac ratione eſſent appendices hæ tantum ſingulorum vtrimque cubitorum: ſed totum ipſum cœnaculum, quod habet appendicem. Hoc eſt, quod dicit appendices latas eſſe ſenos cubitos, quaſi hoc dicat intelligendum eſſe de ſuprema parte. Itaque addit: *Quæ latitudo erat operimenti:* hoc eſt, ſummæ partis, quæ cetera operiebat; אהל enim non ſolum tabernaculum ſignificat, ſed etiam operimentum Exod. 26. et Pſal. 132.

2. *Oſtii latitudo decem cubitorum)* A veſtibulo per vacuum locum venitur ad oſtium cellæ ad orientem. Nam quo minus cellæ oſtium ſit e regione veſtibuli, facit tabulatorum ratio, quæ poſtea declarabitur. Erat igitur oſtii latitudo decem cubitorum. *Humeri* autem, id eſt, portæ latera, quæ de cellæ latitudine dextra ſiniſtraque ſupererant, *ea erant quinum cubitorum*, cellæ longitudo quadraginta cubitorum, latitudo viginti.

4. *Penetralis longitudinem viginti cubitis, latitudinem totidem terminauit)* Quam ſpiſſum eſſet ſeptum, quod a cella penetrale diuidit, non addit: ſed hoc intelligendum eſt, id ſeptum in penetralis longitudine numerari, ſicut fit apud Moſem in tabernaculo. Alioqui eſſet cellæ et penetralis longitudo plusquam ſexaginta cubitorum: cui repugnat et tota hæc templi deſcriptio, et Solomoni, cuius eadem et longitudo traditur, et latitudo, 3. Reg. 6. *Aedis parietem ſex cubitis menſus eſt*, ſcilicet in craſſitudinem.

5. *Tabulata autem:* Tabulata vocat cœnacula trium contabulationum, quæ in Solomonis templo vocantur ædiculæ. *Vndique per ædis ambitum:* hoc eſt, hinc atque hinc: non enim poterant vndique eſſe, alioqui nullus eſſet portæ locus.

6. *Et ea trina alia aliis impoſita, idque tricies:* hoc eſt, triginta manſiones (vt ita dicam) trinarum contignationum: quæ quum ſingula quatuor occupent cubitos, et ſit cellæ et penetralis longitudo ſexaginta cubitorum, ſit vt ſint vtrimque quindena, atque ita hanc longitudinem expleant: nam quindecies quatuor efficiunt ſexaginta. *Quæ prodibant ad ædis parietem ipſis tabulatis vndique circumiectum;* hoc eſt, habebant proiecturas, quibus porrigebantur ad ædis parietem, videlicet media dimidio cubito, ſuprema tantumdem. *Ita vt eſſent ipſa inter ſeſe continua*, vt apparet ex numero: explent enim totam longitudinem. *Nec ædis parietem attingerent:* intercedebat enim vacuus locus.

7. Quanto

7. *Quanto autem tabulata erant altiora, tanto erant et latiora:* ſcilicet in meridiem et in ſeptemtrionem: nam in ortum et occaſum appendicibus creſcere non poterant, quum infima parte inter ſe contingerent. *Et maioris circuitus:* nam quo latius quidque eſt, eo latiorem habet ambitum: *Quod ædis ambitus quanto altior erat, tanto patebat latius:* hoc eſt, ædis murus ita contrahebatur intrinſecus, vt quum in fundamento eſſet cubitorum ſex, in faſtigio eſſet quinque: quæ retractio faciebat, vt ædes ſumma parte eſſet tanto latior, quantus erat tabulatorum proceſſus. *Atque ita infima adſcenſum ad ſumma habebant per media.* Hoc ex 3. Reg. 6. patet, vbi dicuntur eſſe ab imis cochleæ, quæ ad media tabulata ferant, a quibus ſit adſcenſus ad ſumma.

8. *Quumque domus altitudinem*, cet.) Hoc eſt, ab imo quidem tabulata erant quaternos lata cubitos: ſed quum eorum faſtigium contemplarer, animaduertebam, ſi ab extimis appendicibus demitteretur perpendiculum, et quod ſpatium eſſet inter infimum perpendiculum, et infima tabulata, tribueretur tabulatorum fundamento, id ſpatium eſſe vtrimque vnius cubiti: ita eſſe tabulatorum fundamenta ſenum cubitorum.

9. *Parietis autem, qui erat extra tabulata*, hoc eſt, parietis ædis: *craſſitudo erat quinque cubitorum*, ſcilicet in faſtigio: nam a ſolo erat ſex cubitorum. Hinc apparet, tabulatorum proiecturam eſſe partim intrinſecus: nam ſi tota eſſet extrinſecus, quum ſit duorum cubitorum plus procederent proiecturæ, quam recederet ædis paries. *Quod ædis ſpatium vacabat inter tabulata.* Hic legitur בירת pro בין, vt etſ res et græcus interpres oſtendit: ſicut et Prouerb. 8. et Iob. 8. vt illic ibi etiam vertit vetus. Inter tabulata ſpatium, eſt cella et ſacrarium. Id ſpatium eſt viginti cubitorum, quo ſpatio diſtant tabulata: ſcilicet meridiana a ſeptemtrionalibus. Intelligenda eſt autem hæc intercapedo ab imis tabulatis: nam ſumma minus diſtant, propter appendicum procurſum.

11. *Oſtia tabulatorum erant in vacante loco*, qui erat inter tabulata et ædis parietem. *Spectantia altera Septemtrionem*, ſcilicet ſeptemtrionalia. *Locus per circuitum vacans erat latitudinis quinque cubitorum.* An is locus etiam penetrale ambiret ab Occidente, non addit: ſed hoc ex tota deſcriptione intelligendum eſt. An autem ea quoque parte eſſent tabulata, non docet. Quod ſi tabulatorum numerum ſpectes, quum eſſent tantum triginta, nullum eorum a laterum longitudine ſupererat. Sed quia hæc tabulata ad rationem fiunt aſſerum tabernaculi, quod Moſes conſtruxit, (circumdant enim ædem, vt et illi) et erant illic etiam ab Occidente aſſeres, videntur et in hoc templo fuiſſe ab Occidente tabulata, quamuis inter triginta non numerentur: quamquam hoc adfirmare non auſim.

12. *Ita ædificium ipſum*) Aedificium vocat templum, cuius conſtructionem oſtendit, *In fronte conſepti collocatum.* A meridie locus erat latus viginti cubitos, longus nonaginta, nullo ædificio occupatus: quem Vates hebraice a ſeparando nominat, quod eſſet a toto ædificii corpore ſeparatus. Nos conſeptum interpretamur. Secundum id conſeptum erat ædificium, hoc eſt templum, patens in latitudinem occidentali parte ſeptuaginta cubitos: nam veſtibuli longitudo in ædificii latitudine ponitur. In longitudinem nonaginta, cui numero ſi addas muri craſſitudinem quinum vtrimque cubitorum, ſcilicet in faſtigio, ſit longitudo cubitorum centum.

13. *Item conſepti et ædificii, vna cum eius parietibus, longitudinem centum cubitis. Itemque latitudinem frontis templi, vna cum conſepti parte orien-*

orientali, centum cubitis. Menſus eſt et ædificii longitudinem in fronte conſepti poſt ædificium collocati: intrabatur enim a Septemtrione. Hinc fit, vt conſeptum quod eſt a meridie, dicatur eſſe poſt templum. *Vna cum eius vtrobique acceſſionibus:* hoc eſt, muri craſſitudine, quæ ad nonaginta cubitos accedebat: *centum cubitis.*

16. *Additamentaque circum trinis illis inerant:* hoc eſt, appendices cellarum, quas ſupra oſtendit in atriorum veſtibulis: quæ additamenta erant e regione liminum, hoc eſt, ſpectabant limina exteriorum oſtiorum, vt ſupra demoſtrauimus. *Erant vndique ligno obducta:* interiora erant lapidea, tectorium ligneum. *Solo feneſtris adæquato.* Feneſtræ inferiorum cellarum, quæ erant in atriis, erant ita depreſſæ, vt earum infima pars æque librata eſſet ſolo: hoc eſt, non eſſet altior, quam ſolum. *Feneſtrisque tectis,* ſcilicet appendicum proiecturæ: quæ quum vno cubito inferiores cellas excederent, tegebant infra ſe poſitas feneſtras: hoc eſt, vltra eas procedebant. *Idque menſuris,* cet. hæc tota, quam commemoro: exſtructio templi, facta ad menſuram eſt, vt docui. *Erat extrinſecus coaſſatio:* hoc eſt, erat veſtibuli frons obducta ligno, vt ſupra dictum eſt.

CAP. XLII. Sequitur locus valde confuſus, et multo impeditiſſimus, in quo quæ cap. 40. breuiter de cœnaculis atriorum dixerat, ea repetit, et cœnaculorum ſitum et rationem pluribus explicat. Memineris autem, eamdem eſſe omnium atriorum deſcriptionem: ſed hic interiora deſcribi, quoniam exteriorum in cap. 40. facta mentio eſt.

1. *Eduxit me in atrium exterius, qua via erat ſeptemtrionalis: et ad cœnacula duxit, quæ erant contra conſeptum, contraque ædificium)* Conſeptum hoc intelligo duas loci partes, quæ ad Septemtrionem intra templi murum ad dexteram ſiniſtramque veſtibuli vacabant: ædificium autem, ipſum templum eſt. Contra eum locum patebat atrium interius in longitudinem centum cubitos: in latitudinem quinquaginta, quoniam reliqua quinquaginta erant occupata conſtructione portæ.

2. *Contra viginti interioris atrii, contraque pauimentum exterioris atrii)* Cœnacula erant in interiore atrio, inter ſpatium viginti cubitorum ipſius interioris atrii, (fingamus enim hanc figuram eſſe interioris atrii, quæ ante fuit exterioris, vt omnia in eadem figura appareant: quoniam eſt eadem omnium atriorum ratio) et pauimentum exterioris atrii, in quo pauimento erant cœnacula, ſcilicet triginta, vt capite quadrageſimo dictum eſt.

3. *Quæ quidem cœnacula proceſſus habebant altera alterorum proceſſibus oppoſitos)* Proceſſus vocat eas cœnaculorum partes, quæ alias excedebant: quæ partes alteræ alteris, hoc eſt, dextræ ſiniſtris, in vtroque portæ latere reſpondent.

4. *Ante cœnacula erat ambulatio decem cubitorum latitudine: tendens ad interius atrium, et via vnius cubiti,* ſcilicet latitudinis, *habebantque oſtia ad Septemtrionem,* ſcilicet quibus adirentur ab exteriore atrio: quæ quam lata forent, non addit. Videntur fuiſſe trium cubitorum, quoniam tanta ſunt oſtia veſtibuli ædis.

5. *Erant autem ſuprema cœnacula contractiora)* Hoc quid ſit, continuo declarat: *quippe quæ excederentur,* cet. Infima cœnacula erant latiora, media anguſtiora, et ſuprema item mediis anguſtiora.

6. *Erant enim trium contignationum, non columnata)* Nam vbi in atriis ſuper columnas exſtruuntur cœnacula, ea ad lineam exſtruuntur: vt ſuo fundamento, hoc eſt columnis, innitantur. At hæc columnas non habebant, itaque ſuprema a ſolo recedebant infra quam media atque infima: hoc

hoc eſt, erant contractiora, et remotiora a terra, quæ erant ante cœnacula, quam inferiora, ad perpendiculum.

7. *Quod ſeptum)* Huius ſepti craſſitudinem non tradit: ſed ea colligenda eſt ex tota deſcriptione, ſicut et cœnaculorum latitudo. Igitur cap. 40. tradit in exteriore atrio orientali, et item ſeptemtrionali, eſſe cœnacula et pauimentum factum per atrii circuitum, quæ cœnacula, ad pauimentum eſſent triginta, idque pauimentum eſſe a latere portarum, ſecundum ipſarum longitudinem. Et paullo poſt de meridiana porta loquens, dicit ei circumiectas acceſſiones in longitudinem quinquaginta cubitorum, in latitudinem quinque: acceſſiones vocans cœnacula, quod idem in omnibus atriis intelligi debet. Si ſunt igitur cœnacula triginta, eaque ſecundum portæ longitudinem, longa quinquaginta cubitos, neceſſe eſt ea in quatuor verſus eſſe digeſta, vtrinque binos: nam duobus verſibus longius occuparent ſpatium: deinde ſupereſſet in atrio locus, qui Vatis deſcriptione non occuparetur. Sed quum in binos ordines digerantur, fit vt ſit impar numerus. Itaque quum quindecim ad latus vnum ponantur, neceſſe eſt in vno ordine eſſe octo, in altero ſeptem: nec enim vnum in duos ordines diuidi poteſt. Vt autem vnus ordo ſit longus quinquaginta cubitos (nam hæc longitudo tribuitur eis) tribuenda erunt in longitudinem ſingulis cubita ſex (ſicut portarum cellis) quæ in eo ordine qui habet octo cœnacula, efficiunt 48. Cui numero addentur duo cubiti, vnus itineris, alter ſepti ante procurrens cœnaculum reflexi, vt ſeptum quoque ad longitudinem acceſſionis portæ pertineat. Latitudo autem quanta ſit, quærendum eſt: atque in faſtigio quidem eſſe quinque cubitorum, patet ex ſecundo loco, quem paullo ante ex cap. 40. citaui. Sed imorum cœnaculorum quanta ſit latitudo (nam latiora eſſe ſupremis, oſtendit Vates) ſic inueniemus. Veſtibuli latitudo vna cum cellis eſt cubitorum 24. (nam quod ei 25. tribuuntur, hoc fit propter cellarum tectum, quod murum ſcandit) muri vtrinque ſenum, ambulationum item vtrimque denum cubitorum: viæ, quæ quatuor ſunt, habent ſingulos cubitos: muri atrii ſenos: quorum omnium ſumma eſt ſeptuaginta duo. Supereſt ad complendum centum cubitos, vt ſinguli cœnaculorum ordines habeant in latitudine ſex cubitos, ita efficientur nonagintaſex. Deſunt quatuor, qui totidem viarum ſeptis tribuentur. Sed cur potius longiores ordines portis appoſuerim, quam breuiores, cauſſæ ſunt duæ: vna, quod in illo ſecundo loco, quem ſupra ex capite quadrageſimo adduxi, dicuntur acceſſiones portæ circumiectæ longitudinis cubitorum quinquaginta: quod non fieret, ſi hic eſſet breuior ordo. Altera, quod in eodem capite dicuntur eſſe duo cœnacula extra ianuam interiorem, quorum ſeptemtrionale ſpectet auſtrum, auſtrale ſeptemtrionem. Quod ſi hæc cœnacula ſunt extra portam interiorem, oportet hic maiorem eſſe ordinem. Sunt autem hæc de cœnaculis orientalis atrii intelligenda: alioqui non conueniret deſcriptio. Itaque locum hunc in capite quadrageſimo in hebræo deprauatum, nonnihil ex græco emendaui. Quod enim eſt שרים, hoc eſt cantorum: legit græcus שנים, hoc eſt duo: rectius, vt puto: vt patet ex cœnaculorum vſu, quæ mox non cantoribus, ſed ſacerdotibus tribuuntur. Et pro אשר, legit אחר: et pro פניהם, legit פניה, relatiuo ſingulari generis feminini, quum illud maſculinum ſit, et diſcrepet in genere a nomine לשכה. Et pro הקדים, legit הדרום, vt opponatur ſeptemtrioni: vt mox angeli declarat oratio. Quod ſi hæc cœnacula vis in ſeptemtrionali atrio intelligi, neceſſe erit, quæ hic de meridiana et ſeptemtrionali parte dicuntur,

cuntur, ea de orientali et occidentali dici. *Quod ſeptum autem foris erat*, hoc eſt, extra cœnacula: *ſecundum cœnacula*, ſcilicet in longitudinem: *verſus exterius atrium. Id erat longitudine cubitorum quinquaginta* vtrobique: tantum enim procedebat extra portam, quanta erat muri ad exterius atrium craſſitudo.

8. *Nam cœnaculorum exterioris atrii longitudo erat cubitorum quinquaginta*) Hinc perſpicuum eſt, eum loqui de interiore atrio, et id comparare cum exteriore, cuius ſit eadem ratio. *Quum ſecundum cellæ faciem eſſent centum cubiti.* Vocat autem hic cellam, ipſum templum. *Infra illa vero cœnacula erat aditus ab oriente.* Iam loquitur de cœnaculis orientalis ab exteriore atrii interioris, ad quæ erat aditus, per quem adirentur ab exteriore atrio. Dicit autem, *infra cœnacula*: quoniam is aditus erat in exterioris atrii muro: quod declarat, dum dicit, *In latitudine ſepti atrii*, ſeptum vocans murum. Aditus erat inferiori ſolo quam ipſa cœnacula, vtpote per quem adirentur ab exteriori atrio, quod erat inferius interiore: vt patet in portis, vbi docet, ab exteriore atrio adſcendi ad interius per gradus.

10. *Quæ cœnacula ad conſepti, ædificiique frontem*) nam eorum longitudo ſiniſtrorum, tendebat ad conſeptum: dextrorum autem, ad ædificium, hoc eſt, verſus templi veſtibulum, quod eſt pars ædificii.

11. *Et ante ea iter eadem forma, qua erant cœnacula verſus ſeptemtrionem*) Hinc apparet, eum iam de orientalibus loqui, quæ cum ſeptemtrionalibus comparet. Vocat autem hic iter, quod ante vocauerat ambulationem. *Et oſtiis quæ tum illis ſimilia erant*, ſcilicet ſeptemtrionalibus: *tum oſtiis cœnaculorum quæ erant meridiem verſus*: hinc apparet, eadem fuiſſe et in atrio meridiano.

12. *Ita vt oſtium eſſet in itineris capite*) nam ibi caput eſt itineris. *Et iter eſſet ante accommodatum ſeptum verſus orientem.* In atrio orientali vergit hoc iter ab occidente in orientem.

16. *Menſus eſt regionem orientalem decempeda, quingentis decempedalibus cubitis*) Ad verbum legitur, quingentis decempedarum, ſcilicet cubitis. Non enim vertendum eſt, quingentis decempedis: nam totum templi ſpatium repugnat: et græcus interpres, alioqui non bonus, tamen hoc loco bene reddidit, πήχεις πεντακοσίους; eſt enim oratio, in qua taceatur cubiti nomen, quoniam ſumma ſit totius ſuperioris dimenſionis, in qua quum omnia ſint metata cubitis, hic tacentur: et additur, decempedales eſſe cubitos, hoc eſt eius menſuræ, quæ ſuperius eſt poſita. Atque ita taceri menſuræ nomen, apparet etiam ex fine huius capitis, vbi dicitur longitudo et latitudo eſſe quingentorum, nec additur, cubitorum: quod tamen ibi latinus recte addidit vetus interpres. Quod autem dicitur, eam regionem menſus in ambitum, non ita capiendum eſt, quaſi ea vna regio ambiat: ſed quod eſt pars ambitus fani, quod hic per circuitum metitur.

20. *Ad disiungendum ſacrum a prophano*) Atqui paullo ante dixit, interiora atria, in quibus verſaturi eſſent ſacerdotes, eſſe ſacra, quaſi reliqua ſacra non eſſent. Sed hoc ſciendum eſt, totum quidem locum quingentorum cubitorum muro circumſeptum, eſſe ſacrum: ſed ita, vt intima quæque ſint maxime ſacra: quo fit, vt cum eis collata exteriora, vocentur profana, quum interiora non niſi conſecratis ſacerdotibus ſint peruia. Igitur hic locus quingentos in longitudinem, et totidem in latitudinem cubitos porrectus erat, templo ita collocato, vt a quatuor cæli regionibus haberet bina ordine atria: quæ quum eſſent paris cum ipſo menſuræ, videlicet centenum

tenum cubitorum, fit, vt ſi ab oriente duo, ab occidente totidem ponas, ipſo inter ea collocato, ſint quingenta cubita.

CAP. XLVI. v. 22. *Erant in ſingulis atriorum angulis ſingula atriola*) Quod verto atriola in hebræo eſt numeri ſingularis, ſed pro plurali ponitur: quomodo cap. 1. rota dicitur pro quatuor compoſitis rotis. Et Exod. 27. lucerna pro lucernis. Ponuntur enim apud Hebræos ſæpe deriuata pro primitiuis: vt ſit atriolum hic poſitum pro atriatura, vt ita loquar: quod quia latine dici non poteſt, vtendum eſt plurali. Erant autem קטרות, quod verbum a ſuffiendo ductum, fumoſa, h. e. fumo denigrata ſignificat, quoniam in eis erant culinæ. Quod autem verto manſiones, in hebræo eſt טור, quod alias ordinem aut verbum ſignificat: ſed paullo poſt eadem dicuntur טירות, quod verbum videtur manſiones ſignificare, aut cubicula ſuper culinas poſita. Græci verterunt exedras.

CAP. XLVIII. In hoc capite eſt totius regionis diſtributio, quæ in tredecim partes diuiſa, ſingulas earum pari longitudine et latitudine, videlicet vicenum quinum millium habeat quadratas. Eſt autem ſingularum longitudo ab ortu ad occaſum. Sed totius regionis longitudo eſt a ſeptemtrionibus ad meridiem, trecentorum vigintiquinque millium, quum latitudo ſit tantum vigintiquinque millium, quanta eſt ſingularum partium longitudo. Media pars tota vocatur exceptitium, quod ab aliis excepta eſt. Ea porro diuiditur in partes tres, quarum vna ſecundum Iudæam tribum poſita, patet in longitudinem vigintiquinque millia, in latitudinem decem. In eius medio eſt templum, atque hæc tota pars Sadocianis ſacerdotibus eſt tributa. Altera pars eſt eiuſdem magnitudinis, tributa Leuitis ædis adminiſtris, ad viginti cœnaculorum poſſeſſionem, vt ſcribitur cap. 45. hoc eſt, quæ ſit poſſeſſio Leuitarum, qui degant in viginti cœnaculis. Supereſt ſpatium latum quinque millia, longum vigintiquinque, is locus eſt profanus vrbis. Cuius in medio eſt vrbs quadrata, patens cubitorum quatuor millia quingentos, cui ſuperſunt de quinque millium latitudine quingenti, qui pomœriis tribuuntur, vtrimque ducenti quinquageni, et totidem ad ortum et occaſum. Reſtant de longitudine ad ortum decem millia, ad occaſum totidem, quæ tribuuntur colonis vrbis. Atque hoc totum vocatur exceptitium: cuius pars vrbi tributa, eſt profana, reliquæ ſacræ. In vtraque princeps habet poſſeſſionem: in ſacra ſecundum Iudææ latus, in Leuitarum Sadocianorum parte longam vigintiquinque millia. In profana autem in vrbis poſſeſſione, ſecundum Beniamitidis latus, quæ principalis poſſeſſio eſt inter Iudæos et Beniamiticos fines. Sed quanta ſit eius principalis poſſeſſionis latitudo, non addit auctor. Eſt autem animaduertendum, Iouæ exceptitium non eſſe in totius regionis medio. Nam a ſeptemtrione ſunt ſeptem tribus, quum a meridie ſint tantum quinque.

DANIEL.

IN TOTVM DANIELEM ARGVMENTVM.

Nabuchodonoſor in Hieroſolymam. Fani direptio. Regium inſomnium Daniel explanans. Aureus coloſſus adorandus. Tres in fornacem projecti.

iecti. In brutum rex mutatus. Conuiuium regale. Ad leones proiectus Daniel. Animalia quatuor viſa vati. Viſum Danielis. Huius ægrotatio, ſupplicatio. Daniel Baltaſar. Venturi principes ac reges. In Suſannam ſenatores. Cyrus Aſtyagis in regno heres. Belus in Babylonia ſimulacrum. Babylonius Draco.

ADNOTATA.

CAP. III. v. 15. *Quodſi tamen adhuc protinus*) Imperfecta ſententia eſt, qualis eſt Lucæ decimo tertio. Et ſiquidem fructum ediderit: ſin minus, poſtea exſcindes eam. Plena foret ſententia hoc pacto: Si adhuc coloſſum veneramini, bene eſt: ſin minus, cet.

93. *Quorum quartus formam habet Deo nati ſimilem*) Deo natus, ponitur pro Deo, aut diuino: ſicut homine natus, pro homine; de quo nos alibi: vt ſit, forma ſimilis Deo nati, forma auguſtior humana forma, diuini generis, aut diuinæ ſimilis: quomodo 2. Reg. 28. dicebat illa ſaga Saulo, videre ſe adſcendentes ex terra deos: hoc eſt, auguſtam quamdam, et diuinæ ſimilem perſonam.

CAP. IIII. v. 17. *Hæc res decreto vigilum, cet.*) Ad verbum ſic: Ex decreto vigilum res, ex pronuntiatione ſanctorum rogatio: quæ ſententia eſt gemina. Nam idem eſt vigil et ſanctus: vt ſupra dictum eſt, Quidam vigil et ſanctus, de eodem. Item decretum et pronuntiatio, idem eſt: item res et rogatio, idem. Vocat enim rogationem legem perferendam, quomodo et Latini loquuntur: quoniam priusquam perferretur lex, rogabantur quorum erat ſancire legem, vtrum eam vellent admittere, cuius rogationis formula erat huiuscemodi: Velitis, iubeatis, vt Marco Tullio Ciceroni aqua et igni interdictum ſit. Huiusmodi rogatio perlata eſt inter deliberantes de Nabuchodonoſore angelos: Velitis iubeatis, vt Nabuchodonoſor, cet. non quod velim hanc formulam ad diuina transferre: ſed vt intelligatur, quum hic fiat decreti et rogationis angelorum mentio, ſignificari, inter eos fuiſſe de Nabuchodonoſore deliberatum. Cuiusmodi deliberationem videbis 3. Reg. 22. vbi inter Iouam et angelos conſultatur de Achabo in fraudem pelliciendo. Sed hæc humano more dicuntur.

CAP. VI. v. 5. *Si nulla aliu in re, ſaltem in eius Dei religione criminentur*) Animaduerte eorum naturam, qui pios perſequuntur. Quum mores reprehendere nequeunt, religionem reprehendunt: et eos bonis quidem moribus eſſe confitentur, ſed errare in doctrina; quaſi vero non proficiſcantur a doctrina mores: aut quaſi fieri poſſit, vt impia ſit doctrina, quæ pios mores pariat.

CAP. XI. v. 15. *Facietque vt mulierem, cet.*) Antiochus Magnus filiam ſuam Cleopatram Ptolemæo Epiphani nuptum locabit, vt ea corrupta patri regnum Aegypti conciliet. Sed ea id non præſtabit: nec patri, ſed viro ſtudebit. Deinde ille Antiochus, multis debellatis, Ptolemæum Alexandriæ obſidebit. Verum rector, hoc eſt, populus Romanus, Antiochum ab obſidione cohibebit, et ita Antiochi in Romanos contumeliam (erat enim turpe Romanis, Ptolemæum, qui ab eis opem petierat, obſideri) coercebit, vt Antiochus deinceps idem non faciat. Antiocho ſuccedet Seleucus Philopator, Seleuco Antiochus Epiphanes. Quæ ſequuntur, ego non intelligo. Videtur enim fieri tranſitus ab Antiocho ad neſcio quem ſpiritualem Antiochum: cuiusmodi tranſitiones ſolere fieri, ſcripſimus in Eſa. 9. Itaque et hæc et

ſepti-

Google

ſeptimum Danielis caput, et alia in Vatibus innumera omittimus, ne cæci cæcos.

O S E A.

IN TOTVM OSEAM ARGVMENTVM.

Oſea vates Oziæ temporibus. Meretrix vatis vxor. Iezrael filius ex meretrice. Iſraelitæ ſine rege. Ad Iſraelitas vates. Ephraimitarum et Iſraelitarum ſcelera. In Iudæos ventura calamitates. Scortator Iſraelita, vitis inutilis. Collata in Iſraelitas Iouæ beneficia. Baalis cultores Ephraimitæ. Immolati homines. In Samariam vates. Sapiens vaticinium intelligens.

ADNOTATA.

CAP. V. v. 9. *Oſtendente me, an ſit in Iſraelitarum tribubus fidelitas*) Ad verbum legitur, In Iſraelitarum tribubus oſtendente me fidelitatem. Eſt enim verbum id reddendum per participium: id quod ſolet fieri, quum verbum cum antecedente verbo nulla coniunctione copulatur: vt paullo ante hunc locum, vbi ita vertimus, Ibunt quæſitum Ionam, nec inuenient, quippe declinantem eos: ita legitur, ſi reddas ad verbum, Nec inuenient, declinauit eos: hoc eſt, eo declinante eos. Eſt autem huius loci ſenſus hic: Oſtendam non eſſe in Iſraelitarum tribubus fidelitatem, dum eos tamquam perfidos vlciſcar. Huiuſmodi loquendi modus eſt, et Pſalm. 69. vbi ſic ad verbum legitur: Deus tu noſti meam veſaniam, ſiue vitium: hoc eſt, Tu noſti an ſim in vitio, ſcis me eſſe extra vitium: nam in eo Pſalmo defendit Dauid ſuam innocentiam.

CAP. VI. v. 11. *Tu quoque Iudæe, compara tibi meſſem, cet.*) Hoc eſt, Vos quoque Iudæi peccaturi eſtis, et ita pœnam vobis conflaturi, quæ ſit veſtri peccati meſſis atque fructus: quam pœnam vobis irrogabo tum, quum meos captiuos reuocabo, ſcilicet bonos. Nam vos qui improbi eſtis, meam pacem non conſequemini, ſed ſoli mei: hoc eſt, boni: de qua re vide, quæ in Eſa 57. ſcripſimus. Quod autem dicit, Compara tibi meſſem: imperatiuo vtitur pro futuro: vt Chriſtus, quum dicit, Implete menſuram maiorum veſtrorum: ſicut alibi docuimus. De meſſe autem quæ pœnam ſignificet, vide cap. 8. et 10.

CAP. VII. v. 8. *Ephraimita panis eſt depſtitius, non inuerſus*) Depſtitius panis eſt, qui in foco ex tempore coqui ſolet: qui niſi inuertatur, comburitur, ea parte qua focum attingit: nec enim coquitur æqualiter, vt in furno. Sic Ephraimitæ vruntur et atteruntur ab hoſtibus.

CAP. VIII. v. 12. *Scripſerim ei*) Scripſi equidem de aris in lege: ſed non magis obediunt, quam ſi non ipſis ſcripſiſſem.

13. *Libandarum mihi*) Eorum ſacrificia Iouæ non placent, quia ei non obediunt.

CAP. IX. v. 4. *Eorum daps*) Non erunt in Iudæa, vt poſſint Iouæ dapem facere Hieroſolymis, ſuæ ſalutis gratia.

5. Quid

5. *Quid facietis ſolemni die*) Extorres eritis, nec poteritis Iouæ ſolemnia Hieroſolymæ celebrare.

8. *Apud Deum meum vates*) Qui ſe profitetur eſſe vatem, et cum Deo meo habere commercium.

13. *Ad interfectorem*) In Aegyptum, vbi interficiantur.

CAP. X. v. 9. *Vbi ſteterunt illi non attingendi, cet.*) Hoc eſt, Vbi Iſraelitæ adfuerunt eo animo, vt Beniamitas punirent, nec ipſi bello cladem vllam acciperent: quippe cauſſæ æquitate freti, et bellum contra impios gerentes. Et Beniamitas quidem ego puniui: ſed ita puniui, vt idem paſſi ſint et reliqui Iſraelitici populi, quorum plurimi in eodem bello ceciderunt, id quod feci, quoniam ambo erant nocentes, et ſuo vtrique crimine conſtricti. Nam Iſraelitæ, qui illos tam cupide puniebant, ne ipſi quidem erant inſontes.

11. *Equitans in Ephraimita*) Et Iſraelitas et Iudæos perdomabo.

CAP. XII. v. 1. *Iudæo adhuc dominante cum Deo*) Quum Iudæi adhuc Deum colant, ideoque imperium retineant.

2. *Portatur*) ſcilicet ab Ephraimitis, Aegyptiorum auxilium petentibus.

5. *Et ibi cum eo collocutus*) עמנו poſitum eſt pro עמו, interpoſita littera nun: vt fit in ממנו, et in fine Pſalmi quinti, תעטרנו pro תעטרו: nam ita poſtulat hæc hiſtoria: et Græci verterunt πρὸς αὐτοὺς, plurali vtentes pro ſingulari, ſed eadem perſona.

6. *Ioua Deus armipotens erat*) Iouam in memoria habebat, colebatque: vos quoque illius religionem debetis imitari, ſi vultis eamdem cum illo felicitatem conſequi.

9. *Te in tabernaculis collocabo*) Ex poſterioribus intelligenda ſunt antecedentia. Ego te captiuum reddam: deinde reuocabo, et domum reducam lætum, vt fieri ſolet diebus feſtis.

CAP. XIII. v. 2. *Qui hominem immolauerint*) Tantum tribuunt ſuis fictis vitulis, vt ad eorum oſcula eos demum admittant, qui ſuos filios immolant.

13. *In anguſtia natorum*) In dolore, qualis eſt parientis, quum fetus eſt in vteri faucibus.

CAP. XIIII. v. 3. *Accipe bonum*) Bonas grataſque victimas: hoc eſt, gratiarum actionem: quam tibi nos pro tauris libabimus.

I O E L.

IN TOTVM IOELEM ARGVMENTVM.

Ad ſeniores vates, eiulatum petens, calamitates vbique, vbique eiulatus, locuſtæ. Populi ſcelera, conſolatio poſt ærumnas. In hoſtes populi adflicti Ioua. Ex Sione veritas. Electorum æterna beatitas.

ADNOTATIO.

CAP. I. v. 6. *Potens et innumerabilis gens*) Gentem vocat locuſtas: vt Prouerb.

uerb. 30. formicarum et cuniculorum populi vocantur. Hoc pacto loquitur et de apibus Maro Georg. 4.

Magnanimosque duces, totiusque ex ordine gentis
Mores et ſtudia, et populos, et prœlia dicam.

AMOSVS.

IN TOTVM AMOSVM ARGVMENTVM.

Amoſus pecuarius. Dumaſcenorum peccata, Gazæorum, Tyriorum, Idumæorum, Ammonitarum. Incendendi Rabbæ muri. In Iudæos. In Israelitas. Baſanicæ buculæ in Samariæ monte. Impiorum pertinacia. Quærendus Ioua. Plangor et eiulatus vbique. Locuſtæ a Ioua fictæ. Ad Amoſum Ioua cum regula. Aeſtiua corbis. In Iacobeos Ioua. Diuina omnipotentia.

ADNOTATA.

CAP. IIII. v. 12. *Compone te in occurſum Dei tui*) Poſtquam pœnis non ſis melior, videris cum Deo certare velle. Vide igitur, vt te ad congrediendum pares cum eo qui eſt, cet.

CAP. V. v. 25. *Num mihi victimas*) Quod vos annis quadraginta defendi, non id feci propter veſtra ſacrificia, quippe quum nulla adhuc faceretis: ne forte putetis nunc profutura, quæ tum non profuerunt.

CAP. VI. v. 3. *A ſe triſte tempus amouent*) Voluptati indulgent, et iniuſti ſunt.

12. *Num per rupes*) Tam abſurde facitis, quam ſi quis rupes bubus aret, cet.

ABDIAS.

IN TOTVM ABDIAM ARGVMENTVM.

Ad Idumæam vates. In eius proceres ac ſapientes. In omnes gentes Iouæ ira. In Sione ſalus. Iacobei conſolandi. In Eſainos diſcrimen et ærumnæ. Iouæ regnum in Sione.

ADNOTATIO.

CAP. I. v. 16. *Vt enim potaueritis in meo ſacro monte, cet*) Vt vos extranei, deleta Hieroſolyma, lætati fueritis, et in Sione præ lætitia conuiuati: ita gentes viciſſim potabuntur, hoc eſt, delebuntur: ita vt de eis, ſicut de Hieroſolyma, potari poſſit: et ita abſorbebuntur, vt ne veſtigium quidem

ſuperſit, nec vllus earum euadet. At ex Sione, erunt qui euadant. Significat autem ſe reliquas gentes ob ipſarum peccata deleturum: ſed Iſraelitas dumtaxat puniturum, non etiam deleturum: quam ſententiam in Amoſi 9. declaratam inuenies. Legitur autem hic ad verbum, Potabunt cunctas gentes: quod eſt per paſſiuum interpretandum, vt ſæpe accidit: qualia ſunt illa Chriſti: Numquid accendunt lucernam, cet. pro, Numquid accenditur lucerna? et, Non ponunt vinum nouum in veteribus vtribus: pro, non ponitur.

IONAS.

IN TOTVM IONAM ARGVMENTVM.

Ad Ionam Deus. Ad Niniuen vates miſſus. In Ciliciam fugiens. Tempeſtas. Ionæ ſomnus, proiectio. Nautarum vota. In piſce vatis mora, ad Iouam precatio. Reiectus vates a piſce. Concio ad Niniuitas. Horum dolor. Incenſus Ioua vates. Cucurbitula, vermis. In vatem Deus pro Niniue.

MICHAEAS.

IN TOTVM MICHAEAM ARGVMENTVM.

Samariæ ac Hieroſolymæ fata per Michæam lata. Iacobeorum Samaria peccatum. In eamdem ruina prædicta. In auaros. In iudices iniquos, et populi principes. Ex Sione lex Dei. Captiuitas Hebræorum futura Babylone, liberatio, gaudia inſequentia. Bethlehemæ vaticinium de venturo Duce. Ad Iſraelitas Deus clementiſſimus, de collatis beneficiis in ingratos.

ADNOTATA.

CAP. II. v. 4. *Perditi ſumus*) Periimus (inquit populus, aut quiuis ex populo) Deus aufert nobis, qui populus ſumus, agrum noſtrum, et poſſeſſiones; quas non modo non reddit nobis, verum etiam eas hoſtibus diuidit, tamquam a nobis alienatas, ne forte ſperemus, nos eſſe recuperaturos. Itaque non habebitis (inquit vates populo) qui vobis terram forte diuidat in Iſraelitarum ciuitate, vt olim diuiſit Ioſua: hoc eſt, perdetis veſtram patriam. Dicetis, hoc oraculum eſſe triſte, quo vobis calamitatem prænuntiem: aut non eſſe vaticinandum: aut non ita vaticinandum, vt vobis triſtia minemur, et probroſa. Quid ergo? vultis, vt vobis læta nuntiem? Non poſſum, niſi mentiri velim: Nam Deus triſtia minatur: nec ideo minatur, quaſi læta et fauſta promittere ac præſtare vel nequeat, vel nolit. Cur enim minus poſſit vobis eſſe bonus, quam Iacobo, a quo genus ducitis? Nec enim eſt contractus aut debilitatus eius ſpiritus, vt vobis conferre non poſſit, quod

potuit

potuit illi: neque rurſum mutata eſt eius bonitas, vt nunc nolit, quod tunc voluit, atque ita et debilis ſit, et inconſtans. Quid igitur obſtat, inquietis, quo minus læta promittat? Ille vero læta promittit, ſed probis, vt paullo poſt dicetur. Sed vobis quo minus læta promittat, facit improbitas veſtra: qui quum antea eius populus fueritis, nunc facti eſtis eius hoſtes (hoc enim ſignificat, ſurgere in hoſtem: vt ſi dicas, fruticem ſurgere in arborem, hoc eſt, arboreſcere) quippe qui viatores diſſpolietis, eiſque veſtes honeſtas detrahatis, nihil tale metuentibus, ſed a bello ſecure redeuntibus. Qui enim hoſtem euaſerunt, nihil iam timent: at vos eis hoſtes eſtis. Nec ſolum foris tales eſtis, ſed etiam domi in eum ſexum, cui maxime parci oportebat: videlicet in mulieres, quas per vim ex ſuis caris domibus eiicitis, fenore et aliis iniquitatibus oppreſſas. Quin etiam earum natos ſpoliatis: et veſtitu, quo erant a me donati atque ornati, priuatis: ita vt crudelitate iſta oppreſſi, numquam poſſint ex miſeria ac egeſtate emergere. Iſta ſcelera, quibus polluta terra eſt, in cauſſa ſunt, vt ego vobis exſilium, diramque calamitatem denuntiem. Scio hæc vobis non placere, vtpote qui læta poſtuletis. Itaque ſi quis ventoſus et vanus homo eſſet, qui mentiretur, et vobis multum vini promitteret, huic quamuis mentienti crederetis potius quam vera dicenti: hoc ſolo nomine, quod læta prædiceret. Ego quoque bona prædicam, ſed bonis futura. Memineritis enim, quod ſupra dixi, mea dicta bona eſſe recte gradientibus: ne forte improbi ſperent, hanc, quam iam dicturus ſum, felicitatem. Prædicam autem non de vino, ſed de re omnium maxima, quæ eſt huiusmodi. Poſtquam vos in exſilium (vt ſupra minatus ſum) relegauero, inde vos reducam, qui ſupereritis: et tamquam generoſas oues Hieroſolymis, quaſi in caula, collocabo, tanto numero, vt vix poſſit eius inire ratio, præ hominum multitudine. Dux autem veſter erit Meſſias, rex veſter, qui irrumpet, hoſteſque vincet: atque ita viam vobis ad beatum regnum pateſaciet, ibi deinceps libere futuris, præſide Meſſia rege, et capite veſtro, in quo capite erit Ioua ipſius pater: quoniam et in filio pater, et in patre filius eſt. Atque hæc bonis probiſque promitto.

CAP. III. v. 6. Nam malis quidem calamitatem, falſiſque vatibus cæcitatem et oraculorum vacuitatem denuntio.

CAP. V. v. 1. *Iam impreſſionem facies in hoſtes, tu puella Sion, in quam nunc fit impreſſio*) Hoc eſt, Iſraelitæ (qui ſunt Chriſtiani) vincent Gogum et Magogum (de quibus vide Ezech. et Apocal.) qui nos Iſraelitas obſidebunt, a quibus Iſraelitis fuerit Iſraelitarum iudex Chriſtus verberatus, et in crucem actus: quo tamen duce vincentur illi. Naſcetur autem is Bethlehemæ, ſed erit eius ortus ab æternis temporibus. Hoc loco ſignificat Michæas Meſſiam, quod ad humanitatem attinet, naſciturum Bethlehemæ: quod ad diuinitatem autem, non eſſe naſciturum, quippe qui ſit ſempiternus.

3. *Itaque dedet eos*) Cauſſam reddit eius quod ante dictum eſt, de verberato Chriſto. Quoniam Chriſtum, inquit, repudiauerint ac interfecerint Iudæi, deſeret eos, donec mater Eccleſia (ſic enim vocatur et Apoc. 12.) Chriſtum pariat: hoc eſt, donec Chriſtus reliquis gentibus prædicetur. Atque ita peracto gentium tempore, reliqui Chriſti fratres, hoc eſt Iudæi redeant ad Iſraelitas, hoc eſt, ad Chriſtianos, qui veri ſunt Iſraelitæ, hoc eſt, fiant Chriſtiani: id quod fiet, quum Chriſtus creuerit ad extrema terrarum: hoc eſt, quum fuerit Chriſti diſciplina toto orbe publicata. Eſt autem eadem ſententia Lucæ 21, his verbis: Conculcabitur autem Hieroſolyma

ma a gentibus, donec compleantur tempora gentium: quod idem docet et Paulus ad Rom. 11.

5. *Erit autem is*) videlicet Meſſias, pax: hoc eſt, tuebitur nos, ſi nos hoſtis inuaſerit. Vocat enim Aſſyrium, quemuis hoſtem: vt eſt illud Maronis: Alter erit tum Typhis, et altera, quæ vehat Argo Delectos heroas:

NAHVMVS.

IN TOTVM NAHVMVM ARGVMENTVM.

Iouanum ingenium ex æmulatione, vltione, ira, miſericordia, potentia. Imminens internecio. Contra ſimulacra. Iudææ pax. Pro Iudæis Deus. Vrbs ſanguinaria. Calamitates illi imminentes. Niniuis ruina.

ADNOTATA.

CAP. II. v. 5. *Recordatur ſuorum nobilium*) Niniuæ rex, audito hoſtium aduentu, iubet nobilibus ſuis, vt properent in muros, ad propugnandum: quod quamuis velociſſime faciant, tamen offendunt iam paratas ab hoſte machinas, et vrbs ſtatim capitur, hoſtibus per fluminum hoſtia ingreſſis.

CAP. III. v. 14. *Vade per lutum*) Abibis in exſilium, et ibi ſeruies in figulina.

16. *Explicabunt ſe bruchi*) Abibunt tui, vt ſolent auolare bruchi.

HABACVCVS.

IN TOTVM HABACVCVM ARGVMENTVM.

Ad Iouam Habacucus de flagitiis mortalium impunitis. Chaldæi formidabiles. Ad vatem Deus. Vrbs conſtructa ſanguine. Contra idololatriam vatis precatio ad Iouam.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 7. *Orto ex ipſa eius iure*) Ea ſibi vindicauit imperium, nec ex alterius auctoritate pendet.

9. *Faciem habentes*) Omnia aduentu ſuo perurentes.

12. *Eum ad puniendum fundaſti*) Ideo tanta potentia Aſſyrium fulſiſti, vt eum glorioſe perdas.

CAP. II. v. 6. *Contra teipſum magnam, cet.*) Quæ congeris, non magis tibi proderunt quam cænum, quinimmo nocebunt.

11. *Lapis ex pariete occlamabit*) Excitabit Deum, ad ſumendum de te ſupplicium iniuriæ: quam tu facis iis, quibus ſua extorques, ad conſtruenda tua ædificia.

16. *Vomitu infamis*) Cogeris turpiter vomere, ac admittere quæ rapuiſti: dabisque pœnas crudelitatis, qua vſus es in Libanum, hoc eſt, in Iſraelitas:

litas: et homines quos terruiſti, tibi erunt pernitioſi: hoc eſt, propter eos dabis pœnas. Vocat homines, belluas: vt perſtet in tranſlatione: quoniam Iſraelitarum patriam vocauerat Libanum, Libaniam crudelitatem dicens.

SOPHONIAS.

IN TOTVM SOPHONIAM ARGVMENTVM.

Terra tota vaſtanda, cuncta animantes contra Iacobeos. In idolorum cultores. Gaza deſerta futura. Contra Palæſtinam Deus, Moabitas, Ammonitas. Perdendi populi, et purgandum hominum genus. Iſraelitæ iuſti futuri. Conſolatio pro Sione.

HAGGAEVS.

IN TOTVM HAGGAEVM ARGVMENTVM.

Ad Iudææ prætorem Haggæus. Pro Dei fano reſtituendo vates. Rurſus ad Zorobabelem Haggæus. Fanum illuſtrandum, celebrandum.

ZACHARIAS.

IN ZACHARIAM ARGVMENTVM.

Vatis ætas Dario regnante. Ad frugem bonam gentes inflammatæ. Homo viſus cum amuſſi. Dimenſa Hieroſolyma. Ad Satanem Ioua. Ad Zachariam angelus. Candelabri aurei viſum. Volumen volans. Epha exiens viſa. Quadrigæ quatuor. Quæ ſint Ioua grata opera. Mons iouanus Sion. Minax oraculum in Hadraci terram. In Tyrum, in Palæſtinos. Hieroſolyma confirmanda, illuſtranda. Argentei triginta ad figulum proiecti. Paſtor improbus excitandus a Deo. Contra Iſraelitas. Hi rurſus confirmandi, ornandi. Simulacra perdenda vbique. Cedendus paſtor Iouanus. Hieroſolymæ ruina miſeranda, pro eadem in hoſtes vltio. Hieroſolyma frequentanda per gentes omnes.

ADNOTATA.

CAP. XI. v. 17. *Heu paſtorem ſtultum*) האויל videtur legendum, vt paullo ante, non האליל.

CAP. XIIII. v. 5. *Comitantibus eum ſanctis*) In hebræo eſt, Comitantibus te. Sed melius legiſſe videtur vetus.

6. *Non erit cara dies aut concretio*) Nulla erit diei noctisque viciſſitudo; quæ efficit, vt dies poſt noctem ſit carior.

7. *Veſpertino tempore erit lux*) Hoc eſt, quum nunc veſpera et nox eſt. Vide Sibyllæ lib. 2. ad finem prioris partis de bonorum præmiis.

18. *Illi vero clade adficientur*) Aegyptiis non vt ceteris minatur pluuiæ penuriam, quippe qua premi non poſſent: vtpote Nilo, non pluuia vtentes.

MALACHIAS.

IN MALACHIAM ARGVMENTVM.

Dilectus Iacobus, inuiſus Eſaus Ioua. Contra Idumaeos. Ad ſacerdotes improbos. Boni ſacerdotis munus, Ioua nuntius viam parans. Non mutabilis Ioua. Mortalium leuitas. Vates Elias mittendus ante magnum Ioua diem.

ADNOTATIO.

CAP. II. v. 15. *Quod ſi vnus fecit*) Abrahamus, qui vnus eſt parens veſter, vt ſupra dictum eſt, duxit quidem peregrinam in matrimonium Hagarem Aegyptiam: ſed id fecit inſtinctu Dei, nec ideo fuit in priorem vxorem perfidus.

ESDRAE LIB. IIII.

IN LIB. IIII. ESDRAE ARGVMENTVM.

Eſtra vatis progenies. Populi Iouani facinora. Ioua erga Iudaeos beneficia. Eſaias et Ieremias mittendi. Vatis cura et angor. Ad Esdram Vriel angelus. Mala mentis origo. Summa diei ſigna. Israelitarum ſeruitus. Vatis querela. Supplicii venturi ſigna. Beatitatis ratio. Viuentibus gratia via patens. Exclamatio ad parentem primum. Seruandorum paucitas. Ad Iouam Esdra precatio pro ſuis. Beati qui futuri. Ioua mundum inuiſens. Perpauci ſeruandi. Ad Iouam Esdra querela. Mulier Esdra viſa. Mulieris et Esdra colloquium. Aquila viſum in quiete. Orbis imperia. Ad aquilam leo. Viſorum explicationes. In mari viſa dormienti tempeſtas. Captiui Israelita in Aſſyriam. Ex rubo vox ad Esdram. Mundi ſenectus. Ad populum vates. Esdra dictata. Oracula minacia. In Babylonem, in Aſiam, Aegyptum, Syriam. Defendendi a calamitatibus pii.

ADMONITIO AD LECTOREM DE IIII. LIBRO ESDRAE.

Hic liber latine tantum exſtat, ſed ea dictione, vt ſuſpicer, primum ex hebraeo graecum, deinde ex graeco latinum eſſe factum, aut certe graece primum, ſed ab hebraizante ſcriptum, vt videmus in nouo Teſtamento fieri. Eum nos ex parum latino latiniorem (ne quem hic ſermonis diſſimilitudo offenderet, et ſimul vt alicubi eſſet clarior) fecimus, et cum ceteris vatibus, quippe vatem coniunximus, vt omnes in vno corpore habeantur. Vocat autem auctor ipſe hunc librum, ſecundum. Sed ne quid ſit in eo citando moleſtiae, quoniam quartus dici ſolet, quartus ſane vocetur.

ADNOTATA.

CAP. V. v. 41. *Sed ſi tu Domine iis adfuturus es*) Si eos ſeruabis, qui tum erunt, quum veniet vltimi iudicii dies, non videris ſeruaturus eos, qui ante perierint.

CAP. VI. v. 48. *Edidit que aqua ſtupida*) In latino eſt, Muta: ſed translatum videtur a κωφὸν, quod et ſurdum et mutum et ſtupidum ſignificat.

CAP.

CAP. VIII. v. 4. *Hauri ergo, o anima mea*) Si pauci ſeruandi ſunt, ego in paucis non ero, quippe non iuſtus. Itaque mihi in hac vita diſcendum eſt: nam de futura actum eſt.

6. *Niſi mihi permittas*) Niſi tu nos bonos reddas, non poteſt hominum quiſquam ſeruari, quum ſint omnes ſontes.

44. *Ei adſimitaris*) Comparas te cum homine agricola, qui homines ſeras, ſicut agricola ſemen.

46. *Alia in præſentia agenda ſunt*) Miſerebor quidem, vt tu poſtulas, ſed nondum tempus eſt. Et ſuo quidque tempore agendum eſt.

Cap. IX. v. 20. *Tunc enim quiſque*) Videtur hoc velle dicere, Tunc omnia parebant: vt ſit maſculinum pro neutro, ab hebræo Chol.

CAP. XI. v. 4. *Quod tamen cum eis quieſcebat*) Legitur, Sed et ipſa. Qui error ex eo videtur manare, quod in græco ſermone caput eſt feminini generis, κεφαλή.

C. XVI. v. 50. *Quomodo animata eſt*) Sic in latino legitur, Zelatur fornicaria mulierem idoneam. Sed videtur legendum, Zelatur fornicariam mulier idonea: vt vitium quod ſeſe exornat, comparetur cum meretrice fucata. Aut ſi vera eſt lectio, fefellit interpretem vel græcum vel latinum hebræus ſermo, in quo nullum eſt caſuum diſcrimen.

MACHABAEORVM LIBER I.

IN I. LIB. MACHABAEORVM ARGVMENTVM.

Magnus Alexander. Antiochus Hieroſolymæ vaſtator. Mattathiæ pietas conſtans obitusque. Iudas Apollonium necans. Cæſæ Gorgianæ copiæ. Profligatus Lyſias. Iudas contra finitimos. Antiochi exercitus pulſus. Ducis obitus. Demetrius rex. Alcinius proditor. Fœdus Iudæ ac Romanorum. Contra Hieroſolymam Demetrius. Iudæ mors. Ptolemæus in Alexandrum perfidus. Liberata Iudæa. Ionathanis et Romanorum fœdus. Antiochus a Triphone interfectus. Demetrius Perſarum captiuus. Cendebæus a Simonis filiis pulſus. A Ptolemæo Simon interfectus.

MACHABAEORVM LIB. II.

IN II. LIB. MACHABAEORVM ARGVMENTVM.

Iudæorum ad populares epiſtola. Antiochi letum. Ignis putei. Ionathan ad Iouam pro Iudæis. Hieroſolymitanorum a Ieremia inſtitutiones. Occultatum a Ieremia tabernaculum. Hieroſolymitana pecunia Apollonio indicata. Heliodorus a pecunia repulſus. In Oniam crimina. Pontifex Iaſon improbus. Menelai pontificis artes. Onias interfectus. Andronici finis. Iaſonis ſæuitia. Hieroſolymæ fanique vaſtatio. Antiochus in Iudæos crudelis. Eleazari pietas, et ſupplicium. Matris et filiorum ſeptem ob pietatem ſupplicia. In Iudæos Nicanoris expeditio. Iudæorum in Nicanorianos victoria. Antiochi tormina. Antiochus ad Iudæos blandus. Vrbis Hieroſolymæ reſtauratio. Machabæus a Ioua

deſenſus. Timothei fugientis mors. In Iudæos Lyſias. Equitis prodigium. Lyſiæ legati ad Iudæos de pace. Romanorum legati ad Iudæos de pace. Iudæorum ſubmerſio. Ioppitarum claſſis incenſa. Victi Arabes a Iuda. Iudæ cum Gorgia duellum. Menelai ſupplicium. In Antiochi copias Iudas. Accuſatus ab Alcimo Iudas. Nicanoris et Iudæorum pax. Iudæ ſomnium. Iudæ et Nicanoris congreſſus. Nicanoris nex.

IN NOVVM TESTAMENTVM.

Sciendum eſt, ita nouum fœdus græce ſcriptum eſſe, vt hebraica ſit dictio: quo fit, vt pleraque, quæ in hebræo ſermone eſſent facillima, eadem in græco iis qui hebraice non didicerint, non ſolum ſint obſcura, ſed etiam aliud interdum, quam quod vult auctor, ſignificare videantur. Hinc fit, vt multis verbis exponendæ ſint pleræque ſententiæ ad quas (ſi latino more latine dicerentur) nulla opus eſſet interpretatione. Adde, quod vt quæque gens ſuis moribus, ſic quæque lingua ſua delectatur loquendi conſuetudine: peregrinitatis inſolentiam refugit. Hæ duæ cauſſæ mihi et circa perſpicuitatem et circa latinitatem elaborandi, ſatis magnæ viſæ ſunt, quamobrem hoc opus ſic converterem, vt hebraiſmos euitarem.

EVANGELIVM AVCTORE MATTHAEO.

ARGVMENTVM COSMAE INDICOPOLITAE.

Veniamus iam etiam ad Euangeliſtas ac Apoſtolos, monſtremusque etiam ipſos concordantes cum veteribus ſcripturis, tantum duos iſtos ſtatus vitasque a Deo ordinatas monſtrare: Præſertim iſtam, in qua nunc agimus, et illam futuram, in quam omnes Chriſtiani perpetuo reſpiciunt. Monſtrabimus igitur compendio ſummam etiam primi Euangeliſtarum Matthæi, qui et ipſe de iisdem rebus diſſerit. Primus ſane omnium Euangelium conſcripſit: Dicitur autem Euangelium rerum bonarum ſalutariumque nuntium. Hic igitur Euangeliſta, quum eſſet Hieroſolymæ perſecutio tempore lapidati Stephani, quum et ipſe vellet ex vrbe diſcedere, petiiſſentque quidam fideles ſibi ab eo doctrinam conſcriptam de Chriſto tradi, conſenſit eis conſcribere conuerſationem Chriſti in carne, vt haberent propoſitam imaginem ſanctæ cæleſtisque vitæ, et diuinæ conuerſationis. Hunc igitur ſcopum ſibi proponens incipit ſuum opus hoc modo: Liber generationis Ieſu Chriſti, filii Dauid, filii Abraham.

Hoc volens dicere: Ad vos, o fideles, verba faciemus, de admirabili generatione et optima conuerſatione cæleſtique vita et nouo viuendi genere vobis hunc librum edo. Quandoquidem enim Dominus promiſſiones tradidit Dauidi et Abrahamo, fore vt per ſemen ipſorum omnes gentes benedicerentur, illudque ipſum eorum ſemen regnaturum in perpetuum, ego iam illius ipſius eorum ſeminis, per quod Deus mundum benedicit, et reſtaurat, cuique regnum æternum largitur, generationem natiuitatemque vobis expono.

Is igitur eſt et dux illius venturæ vitæ, et nouo eſt modo conceptus et natus, et in omni iuſtitia et ſanctitate inculpate verſatus. Sicut enim protoplaſtus Adamus, ex terra nondum ab homine culta aut ſemina-

minata, diuina potentia eductus eſt, ſic etiam hic ſecundæ vitæ dux ex hominibus, et (vt ita dicamus) ex virgine terra, mirabiliter ſine Viro, efficacia Spiritus ſancti eductus eſt: Et rurſus ſicut tunc mulier ex viro educta eſt, ita nunc viciſſim vir ex muliere. Et porro ſicut ille victus a diabolo mortem humano generi introduxit, ita hic rurſus vincens Satanam, mortem ex humano genere aboleuit, et contra immortalitatem et vitam numquam finiendam nobis adquiſiuit.

Hæc atque ſimilia quum ſibi propoſuiſſet dicere beatus Matthæus, compoſuit hoc ſuum ſcriptum, quomodo facta ſit admiranda conceptio de Spiritu ſancto, et quod progreſſus ætate, inculpate verſatus ſit tum in legali vitæ genere, tum in Euangelica doctrina, et quod omnem omnino iuſtitiam impleuerit. Quum etiam eſſet traditus tentatori, victor exſtitit, permanens ſemper inuictus, hoſtem humani generis extra foſſam proiecit.

Poſtea etiam a Iudæis captus et iniuſte ad mortem traditus ſuscepit et illam volens, vt iuſte noſtrum Chirographum debitorum conſcindens cruci adfigeret, et mortem pro omnibus debitam, tamquam hoſtiam rationalem dependeret, ſeipſum inculpatum Deo offerens. Deinceps triduanus mortuus reſurrexit, omnibus oſtendit mortis diſſolutionem, omnibusque certum gaudium nuntians, in poſterum ſublata mortis potentia.

Facit denique Matthæus mentionem etiam adſcenſionis reditusque Chriſti in cælum, non quidem in fine ſui operis, ſed in prioribus, nempe quum de Ioanne Baptiſta ita inquit. In illis autem diebus adfuit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto, ac dicens, pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum: Ac ſi diceret, domus cæleſtis iam vobis parata eſt, quandoquidem aduenit Chriſtus, vt eam nobis demonſtret.

Quin etiam in enumeratione beatitudinum et alibi in hoc opere mentionem facit regni cælorum, præſertim quum diſputat cum Phariſæis et Sadducæis de reſurrectione, dicens hoc modo: In reſurrectione neque ducunt, neque nubunt, ſed ſunt ſicut angeli Dei in cælis.

Hic igitur eſt ſcopus operis beati Matthæi Euangeliſtæ, qui quidem non veteris, ſed noui Teſtamenti præco eſt. Conſcripſit enim nobis, quando, et quomodo ſit natus ſecundæ illius vitæ ſtatusque princeps, nempe Dominus Ieſus Chriſtus, quomodo item in hac vita verſatus, et tandem quomodo mortuus, reſuſcitatus, et in cælum redierit. Vbi etiam eſt conuerſatio primi illius beatiſſimique ſtatus. Gloria vero ſit Deo ſoli, qui hæc nobis inde ab initio præparauit et prædnuntiauit, quique etiam impleuit et tandem perfectiſſimæ implebit, Amen.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 1. *Enumeratio generis.*) Hoc prima fronte non nemo iudicabit inſolens: clamabit malle ſe, *Liber generationis*; quippe adſuetus.

 Sed

Sed ſi quis latine doctus, hæc verba nunc primum legat, agnoſcet ille quidem verba latina, ſed ex quibus rem aut non intelliget, aut perperam intelliget. Nam his verbis hæc ſuberit ſententia: In hoc libro ſcribitur quomodo generatus ſit Ieſus: quæ non eſt Matthæi ſententia. Deinde ſi vis ſignificantem et perſpicuam eſſe orationem, Liber non declarat enumerationem, ſiue nomenclaturam aut liberarium, quod Hebræi vocant ספר, id quod interpretans hic auctor, vocat βίβλον; neque generatio eſt maiorum ſeries et genus, ſed latinis eſt gignendi actio, quam γενέσεως verbo non ſignificat Matthæus: declarat enim eam quam Græci γενεαλογίαν appellant. Vides hic non parum intereſſe, quibus quamuis totidem verbis quamque rem dicas. Item quod mox ſequitur, υἱοῦ δαβίδ, filium vertunt Dauidis. At verbum בן, vnde id dictum eſt, commune eſt et natorum et prognatorum: ſicuti ſæpe ſignificant Hebræi ſimplici vno verbo, quod nos multis compoſitis: ex quo ſit, vt in vertendo habenda ſit ſententiæ ratio. Item filius latine dici non ſolet pro eo qui per multos generis gradus ab aliquo ortus eſt. Item quod toties reperitur δὲ et ἐγέννησε, hebraicæ conſuetudinis eſt, quam nobis (quum ea nihil ad rem faciat) in latino ſermone retinere non eſt neceſſe. Item illud, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας, poſitum eſt pro αἰχμαλωσίας: vt ſæpe ſit in vetere teſtamento, ex גלות, quod exſilium eſt. Et illud, πᾶσαι αἱ γενεαὶ, pro τὸ πᾶν. Et μνηστευθείσης γὰρ, ſuperuacuum eſt γὰρ in latino ſermone. Item illud, υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ, pro οὗ καλέσεως τὸ ὄνομα. Item, τὸν λαὸν αὐτοῦ, ſuos. Denique innumerabiles ſunt huiuſmodi loci, quales hic aliquot breuiter perſtrinxi: non vt idem deinceps vbique faciam (nam id eſſet infinitum) ſed vt, quum tales paſſim deinceps occurrent, intelligatur, me, quod hic fecerim, idem illic potuiſſe, vt omnium rationem redderem: ſed partim propter prolixitatem noluiſſe, partim minus neceſſarium iudicaſſe.

19. *Nec in eam vellet exemplum edere*) Hoc eſt publice ſupplicium ſumere, quod fieri lex iubebat in adulteras. Quod ſi cum ea clam diuortium feciſſet, putaretur vitiata cœlebs. Nam ſponſalia (quæ fieri ſolent intra priuatos parietes) poterant celari. Ita vitaſſet Ioſephus Mariæ non infamiam (nam cœlibem comitaretur infamia ſtupri) ſed mortem. Malebat autem vir clemens, eam vitiatam cœlibem videri, quam vt adulteram capite plecti. De Eſaiæ autem loco qui hic adducitur, vide quæ Eſaiæ 7. et 9. ſcripſimus.

De nomine autem Ieſu, idem ſentio quod Andreas Oſiander (ſic tamen, vt adfirmare nolim) videlicet ductum eſſe a nomine Ioua, interpoſita littera ſin. Qua de re ne mihi plura ſcribenda ſint, vide Oſiandri Adnotationes in Harmoniam Euangelicam. Sed cur in hoc nomine interponatur littera ſin, quum multum diuque conſiderarem, neque cur hæc littera hic interpoſita foret viderem, quippe quum non ſit ſeruilis, hoc eſt, eius litterarum generis, quæ ſolent in deductis aliunde verbis ad primigenia adhiberi: cœpi cogitare, verbum hoc compoſitum eſſe oportere: tandemque Dei beneficio comperiſſe videor, quemadmodum Ieſus et Deus et homo eſt, ita nomen eius ex Dei et hominis nomine eſſe conflatum. Id autem didici ex Exod. cap. 15, 3. vbi dicitur איש מלחמה יהוה. Ioua iſch milchamah: hoc eſt, Ioua vir belli: vbi vir bellicoſus dici videtur, quoniam de Chriſto ſermo eſt, qui vir futurus erat.

Eſt

Eſt igitur Ieſus nomen compoſitum ex יהוה, et איש, interpoſita littera ש ex nomine איש: reliquis autem duabus reiectis, quippe quæ ſeruiles ſint, et addi adimique ſæpe ſoleant: vt ſit יהושוה, Ieſus idem quod Ioua vir, ſiue homo (nam hominem etiam ſignificat איש) vt intelligamus, Ieſum eſſe non Iouam (nam hoc de eius patre dicitur) ſed Iouam hominem: hoc eſt, corporatum Iouam, hominemque factum: id quod videntur Exod. 3, 14. illa verba prædicere Ero qui ero. Item, Ero miſit me ad vos: quaſi hoc diceret: Quidam, qui eſt ille quidem, ſed nondum eſt quod erit: eſt enim Deus, ſed futurus eſt etiam homo. Atque hoc eſt quod indicare videtur idem Ieſus nondum homo factus, Iacobo, Gen. 32, 29. quum nomen ſuum exquirere vetat, quippe quod ſit mirabile. Hoc enim de admirabilitate in græco et latino ſcriptum exſtat, non ſine cauſſa, quamuis in hebræo deſideretur. Sed idem etiam in hebræo eſt, Iud. 13, 18. Quid enim admirabilius eſt, quam eumdem et Iouam et hominem eſſe? Quod autem in hoc nomine, quæ pars hominem ſignificat, ea in medio verbo ponitur, quum id in aliis compoſitis fieri non ſoleat, in eo videtur arcana res latere. Significatur enim, ex Ioua factum hominem, et rurſus ex homine factum Iouam: quemadmodum vides nomen יהשוה a Iouæ nomine incipere, et in idem deſinere, interpoſito viri nomine. Et quoniam eſt hoc Ieſu nomen Seruatoris noſtri proprium, neque cum vllo mortalium commune, nos eos, qui græce Ieſus vocantur, maluimus Ioſuas appellare. Nec enim יהשוה, ſed יהושע dicuntur.

CAP. II. v. 16. *Quotquot erant infra bimatum*) Ad verbum legitur, A bimatu et infra: qui hebraiſmus eſt, qualis 1. Reg. 20, 21. 22. legitur his verbis: Si puero dixero, Sagittæ ſunt a te, et citra, cape eas, et veni, cet. Et mox: Sin ita adoleſcenti dixero, Sagittæ ſunt a te, et vltra, cet. vbi a te et citra nihil aliud eſt, quam citra te: et a te et vltra, quam vltra te. Item Leuit. 22, 27. Ab octauo die et vltra litabit: hoc eſt, quum octauum diem exceſſerit.

CAP. III. v. 1. *Iohannes Baptiſta*) Quod ſecundam ſyllabam in Ioannis nomine adſpiro, hoc facio, quoniam in hebræo nomine adſpiratur: quod ideo in græco non fit, quoniam non habent Græci adſpirationem, niſi in verborum principiis, excepta littera ῥ. Idem puta de Gehenna, Abrahamo, et multis aliis, in quibus tamen per me ſuo quisque vtatur arbitrio: nam video hæc in ſacris litteris paſſim mutari, vt Hieroſolymæ prima ſyllaba in græco adſpiretur, in hebræo non item: quod contra fit in Anna.

CAP. IIII. v. 1. *Vt tentaretur a diabolo*) Diabolus calumniator et criminator eſt. Nam διαβάλλειν non ſolum calumniari, ſed etiam criminari notat. Itaque in Apocal. 12, 10. vocatur κατήγορος, quod ſanctos apud Deum dies et noctes accuſet. Tentatorem autem quod verto, participium eſt ὁ πειράζων: ſed participiis vtuntur Hebræi pro deductis a verbo nominibus: vt Marc. 6, 14. Ἰωάννης ὁ βαπτίζων dicitur, qui alias βαπτιστὴς appellatur.

13. *Caphernaum profectus*) Quædam verba græcis non adſpirata latinis adſpirantur: vt Ἰώσηπος, Καλπούρνιος, quos Latini Ioſephum et Calphurnium dicunt: & τρόπαιον, trophæum. Huius generis ſunt Καπερναοὺμ et Κλεόπας, quæ vetus interpres recte Caphernaum et Cleopham dixit.

CAP.

CAP. V. v.11. *Vobis conuiciabuntur homines*) Quod apud Latinos fit in paucis verbis, vt perſonalibus actiuis vtantur pro imperſonalibus, aiunt, ferunt, perhibent, ſcilicet homines, pro fertur, perhibetur: id fit apud Hebræos in quibuslibet verbis, quæ quum actiua ſint, interpretanda ſunt per paſſiua, aut imperſonalia, aut eſt aliquid addendum. Tale eſt quod paullo poſt hunc locum ponitur, οὐδὲ καίουσι λύχνον; quod ſi ad verbum vertas, addendum erit, homines: Neque accendunt lucernam homines: aut per paſſiuum ſic: Neque accenditur, aut accendi ſolet lucerna. Talis eſt et hæc locutio, Vobis conuiciabantur: addendum eſt enim, homines, vt latinus ſermo poſtulat, et vetus interpres recte addidit: aut paſſiuo vtendum, Vobis fient conuicia.

19. *Minimus numerabitur*) Latine, Nullus dixeris, pro non dixeris, dicitur: ita hic, Minimus numerabitur, ſiue vocabitur, pro minime vocabitur, poſitum eſt. Vocari autem pro eſſe dicitur: vt quum dicit Eſaias, Meſſiam vocatum, ſiue nominatum iri admirabilem conſiliarium, Deum fortem, cet. ſignificat, eum non ſolum dicendum eſſe, ſed re ipſa fore. Itidem quum in Luca dicit angelus, Ieſum vocatum iri Dei filium, non ſolum de nomine, ſed etiam de re loquitur. Eſt igitur hæc ſententia: Nullo loco habebitur, ſiue nullum locum habebit in regno cæleſti. Nec longe aliter loquitur Cicero, quum dicit, Inter viuos numerari, pro viuum eſſe, in oratione pro Sexto Roſcio.

20. *Niſi iuſtitia Scribis et Phariſæis excellueritis*) Attende lector diligenter hanc ſententiam, vt ſequentes intelligas. Docet hoc loco Ieſus, vbi ſita ſit vera virtus et iuſtitia, videlicet in parendo legi. Sed quid ſit vere parere legi, oſtendit. Vetabat lex occidere et adulterare, cet. Scribæ et Phariſæi non occidebant, non adulterabant, itaque videbantur eſſe iuſti: quoniam legi parere, iuſtitia eſt. At Chriſtus negat eos legi parere. Non eſt enim ſatis, re ipſa non occidere, niſi animum habeas ab homicidio alienum. Quum ſit enim animus tanto corpore excellentior, vt ab animo nominentur homines (ſiquidem נפש Hebræi pro homine dicunt, et Latini animas: quale eſt illud: Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primum, Inque domos ſuperum ſcandere cura fuit) is vere homicida eſt, qui homicidam habet animum. Atqui, qui ſine cauſſa alteri iraſcitur, aut conuiciatur, huius animus eſt homicida. Nam qui ſine cauſſa et ratione poteſt iraſci, idem ſine cauſſa et maledicere, et pulſare, et occidere poteſt. Neque enim longius abeſt maledictum ab ira, aut pulſatio a maledicto, aut cædes a pulſatione, quam iniuſta ira a ratione: vt qui rationem ira opprimat, idem facile ad conuicia cædemque impellatur. Nam vbi ſemel rationis limites transieris, nullus eſt peccandi modus. Dicet aliquis: At lex non tam ſeuera eſt, nec enim iram aut conuicium capite ſanxit. Credo. Commiſit enim ſupplicii irrogationem magiſtratibus, qui quum homines ſint, facinora, non voluntatem, et illata damna, non cogitata puniunt: nec enim poſſunt hominum animos conuincere duorum aut trium hominum teſtimonio, ſine quo quemquam punire non licet. Itaque vt ſis tutus a magiſtratu, ſatis eſt hominem non occidere, etiamſi animus tuus ſit homicida. Hac quidem ratione iuſti ſunt Phariſæi. Quod ſi Chriſti regnum terreſtre foret, non haberet quod aliud doceret: ſed quum ſit id regnum cæleſte, iudex erit cæleſtis, teſtimonia cæleſtia, cæleſte iudicium, in quo nullus ignorantiæ locus erit. Ibi non ſolum corpus homicida (vt fit apud homines, apud quos corporeum regnum eſt) ſed etiam animus homicida punietur. Itaque ſi vis æter-

Digitized by Google

æternam vitare pœnam, non in ſpeciem, ſed vere et ex animo obediendum legi eſt, conſcio et teſte Deo, qui facinoris cupiditatem pro facinore habet atque punit. Hæc eſt Chriſti ſententia, ex qua perſpicuum fit, non eum hoc dicere, qui ſine cauſſa ſuccenſeant, debere a magiſtratu puniri: nam id fieri iuberet; quod fieri non poſſet. Sed hoc docet, eum qui ſine cauſſa iraſcitur, eſſe animo homicidam, et cæleſti Chriſti cælitumque iudicio atque conſenſu damnatum iri, et æternas in ignis gehenna pœnas daturum. Ac quod hic de homicidio diximus, idem deinceps de adulterio et ceteris intellige. Quod autem dicit, *Fratri ſuo:* fratrem vocat, quemuis hominem: quoniam omnes ab eodem Adamo, generis humani parente prognati, fratres ſumus. Et quamquam frater pro altero dici latine non ſolet apud veteres, tamen id nunc licere puto, et hoc in conſuetudinem, vt et alia quædam, vocandum: ne dum in ſermone ſumus religioſiores, in re parum ſimus religioſi. *Gehenna* ſignificat Hinnomi vallem, de qua Ieremias 7, 31. Ea ponitur pro æterno ſupplicio etiam apud Sibyllam, his verbis:

- - - Suppliciumque,
Ignis inexſtincti iuſſi perferre gehennæ.

22. *Raca*) quod nos balatronem vertimus, conuicii verbum eſt, a רק deductum, quod proprie vacuum ſignificat: et translatum ad alia, ſignificat nequam. Græci eodem nomine vocant ῥάκος: Latini balatronem, nebulonem: Galli belitre, coquin, babovin.

25. *Compone cum aduerſario tuo*) Quum ad cæleſte regnum viam doceat Chriſtus, et ante hunc locum locutus ſit de offerendis Deo, non homini, muneribus: non hic ſuos inſtruit, quo pacto ſe debeant in humanis controuerſiis gerere: ſed docet, quod prudenter faciunt in humanis controuerſiis, idem in diuino negotio faciendum. Quemadmodum malunt prudentes homines cum aduerſario decidere, quam ad iudicem venire: quoniam aduerſarius poteſt agere mitius, iudex autem eſt ſeueriſſimus, et ſummo iure agit: ita præſtat, ſi quem offendiſti, aut ſi odio ab aliquo diſſides, cum eo componere, et inimicitias mature, dum in huius vitæ curſu licet, deponere, quam in ſeuerum Dei iudicium incurrere, in quo ſera futura ſit pœnitentia: Quod autem imperatiuo vtitur, ſimilitudinem breuiorem facit, et elegantiorem: qualis eſt illa, Aut facite arborem bonam, et eius fructus bonos, cet. Nec enim iubet arborem fieri bonam: ſed docet, vt arbor bona malum, aut mala bonum fructum ferre nequit, ſic nec probum hominem improbe, nec improbum probe agere. Item illa purga prius interiora poculi. Item illa de accubando in inferiore parte menſæ in conuiuiis. Nec aliter loquuntur Latini, quum dicunt, Noli irritare crabrones. Nec enim de crabronibus præcipiunt: ſed perinde eſt ac ſi dicant, Vt crabrones irritare periculoſum eſt, ita hominem illum laceſſere, aut aliquid tale. Huius generis eſt illud, Ne date rem ſacram canibus.

37. *Quod præter hæc eſt, id a malo eſt*) Malum vocat diabolum: vt 1. Ioan. 3, 8. quum dixiſſet, Qui peccatum committit, a diabolo eſt: paullo poſt eius rei exemplum adducens, dicit: Non vt Cainus, qui quum a malo eſſet, fratrem ſuum occidit.

39. *Non eſſe reſiſtendum iniuriæ*) רע, quod hic πονηρὸν vocat, apud Hebræos ſæpe ſignificat iniuriam, vt et apud Græcos κακὸν, vt apparet in verbo μνησικακεῖν hoc eſt, iniuriæ memorem eſſe. Atque ita transferre maluimus, quam malum, ne quis eſſet ambiguitati locus. Nam malum eſt peſtis, malum fames, frigus, feræ, peccatum, et talia multa: quibus reſiſtere

non

Digitized by Google

non vetat Ieſus, ſed iniuriis, quales commemorat. Quod ſi locum hunc voles intelligere, lege 1. Corinth. 13.

43. *Proximum tuum amato*) רעה modo proximum aut amicum, modo quemuis alium ſignificat. Itaque quum præcipitur vt ames רעך, ambiguus eſt apud Hebræos ſermo, vtrum amicum, an omnes, amare iubearis: quæ ambiguitas, ſi latine interpreteris Alterum, nulla eſt. Sed vt eſſet ambiguitati locus, hic nobis Proximum dicendum fuit, vt etiam Luc. 20. Igitur quum in Dei præcepto verbum id ſignificet alterum, hoc eſt, quemuis hominem: erant qui in altera notione acciperent, et ſe amicos amare iuberi interpretarentur: ex quo conſentaneum eſſe videbatur, odio contra habendos inimicos. Igitur magiſter hoc loco, vt errorem illum tollat, docet, eo præcepto iuberi vt amentur omnes, etiam inimici cuiusque: vt intelligatur illic רעה non amicum, ſed alterum ſignificare, quicumque ſit.

CAP. VI. v. 5. *Amant in collegiis eſſe*) ἑστῶτες. Verbum hoc non ſemper ſtare ſignificat, ſed aliquando eſſe, aut adeſſe: ſicut hebraice עמד, vt ponitur Matth. 16, 28. et Ioann. 12, 29. Atque ita ponitur Luc. 19, 8. σταθεὶς δὲ Ζακχαῖος, εἶπε πρὸς τὸν κύριον: nec enim ſignificat illic ſtatum corporis. Hoc pacto intelligendum eſt hic de Deum precantibus ſimulatoribus. Nec enim docet, quo corporis ſtatu precarentur: et credibile eſt, eos in genua potius, quam ſtantes orare, vt Actor. 20, 36. Idem dico de verbo καθίζεσθαι, quod non ſemper ſedere, ſed aliquando manere, eſt, vt Lucæ vltimo verſ. 49.

7. *Ne garrite vt extranei*) Hebræi, omnes non hebræos vocant gentes: hoc eſt extraneas gentes, ſiue alienigenas: Latini Græcique barbaros. Itaque quæ גוים ἔθνη dicuntur, latine duobus vocabulis dici poſſunt exteræ gentes: quale eſt illud, Vt ſint hominibus conſpicui: hoc eſt, aliis hominibus. Inde ἐθνικοί, exteri aut barbari.

10. *Fiat voluntas tua*) Hoc eſt, Fiat quod tu vis. Eſt enim apud Latinos quoque vſitatus hic loquendi modus. Itaque et Quintilianus, Facere voluntatem dixit: et Cicero, Conſeruare voluntatem: hoc eſt, id facere quod quis voluerit. Et idem Cicero, Chaldæorum promiſſa conſequi: hoc eſt res promiſſas, et propoſitum adſequi: hoc eſt, id quod tibi propoſueris. Quale eſt illud Maronis: - - - Sua nunc promiſſa repoſci. Sic ſæpe γραφαὶ pro τὰ γεγραμμένα, et ἐλπὶς pro τὸ ἐλπιζόμενον et ῥῆμα ſiue λόγος pro τὸ λεγόμενον.

11. *Victum noſtrum alimentarium*) ἐπιούσιον, alii מחר apud Hebræos, hoc eſt, craſtinum: alii תמידי, hoc eſt continuum, legi teſtantur: quæ varietas indicare videtur, Hebræos non ita in ſua lingua legiſſe (conſtaret enim ſibi lectio) ſed ex græco alios aliter in hebræum transtuliſſe: vt appareat, etiam apud eos, ſicut et apud nos, de huius verbi notione dubitari: ἐπιούσιος, vt ab ἐπιούσῃ ducatur, nec verbi ratio patitur, nec ſententia. Nam nec huiusmodi nomina a femininis participiis deducuntur: et ſi victum craſtinum hic petendum Chriſtus doceret, pugnantia doceret, quum paullo poſt vetet in craſtinum eſſe ſollicitos: ἐπιούσιος igitur dicitur παρὰ τῆς οὐσίας. Nec refert, quod non ἐπούσιος, ſicut ἐπουράνιος dicitur: nec enim ſemper amittit præpoſitio ἐπὶ vltimam litteram in compoſitione, vt videre licet in ἐπίορκος, ἐπίουρος, et multis aliis. Eſt autem οὐσία in ſacris

Digitized by Google

cris litteris, idem quod τὰ ὑπάρχοντα, aut βίος, hoc eſt facultates, aut victus: vt apparet Lucæ 15, 13. Hinc ἄρτος ἐπιούσιος eſt, quod ad victum pertinet. Vetus interpres in Matthæo quotidianum interpretatus eſt, in Luca ſuperſubſtantialem. Quod ſi ſubſtantialem reddidiſſet (nam ἐπὶ non vbique in huiuſmodi vocibus eſt ſuper: eſt enim idem ἐπουράνιος, quod οὐράνιος: ſicut latine inalpinus, idem eſt qui alpinus) parum latine ille quidem, ſed et vere et plane ſententiam reddidiſſet, ſiquidem ſubſtantiam interpretere non ὑπόστασιν, ſed οὐσίαν, quod tum faciendum eſt, quum οὐσία facultates ſignificat.

13. *Ne nos in tentationem inducito*) πειρασμὸς aliquando periculum ſignificat, vt Luc. 22, 40. et Timoth. 6, 9. aliquando tentationem, et ad malum ſollicitationem, vt hoc loco, et alibi ſæpe. Atque in hac notione latine dici poſſe tentationem deprehendet, qui hoc diligenter conſiderauerit: vt a Cicerone tentationes morborum dicuntur, quum morbus nos tentat et inuadit. Inde tentator dicitur diabolus, qui hoc loco Malus appellatur.

16. *Qui vultus ſuos deformant*) כי quod hic, vt paullo ante, eſt γὰρ, ſæpe relatiuum eſt; ἀφανίζειν autem, quod deformare interpretor, ſignificat aliquid ad nihilum redigere, et corrumpere, ita vt nuſquam appareat: vnde ἀφανίζεσθαι, perire; vt Actorum 13, 41. et euaneſcere, Iacob. 4, 14. Itaque ἀφανίζειν τὸ πρόσωπον, eſt vultum ſqualore deformare: quod gallice ſignificanter exprimitur, quum dicitur aliquis habere le viſage deffaict, vultum infectum: hoc eſt ſqualidum, et macie deformem.

CAP. VIII. v. 12. *Quum interea regii*) In græco eſt, filii regni: vt et capite nono, filii thalami, pro iis, qui nuptias agunt: de quo hebraiſmo vide quæ ſcripſimus in Geneſ. cap. 49. in Ioſepho. Nec diſſimile eſt, quod Chriſtus paullo poſt ſe vocat hominis filium, hoc eſt hominem: nam eodem modo ſæpe nominatur Ezechiel. Sed quia nominatim ſic vocari ſolet Chriſtus, et poſſent hoc loco offendi multi, nolui mutare.

CAP. IX. v. 16. *Neque vero quiſquam adhibet rudis panni pittacium, cet.*) Si rudis et nondum detriti panni particulam veteri tritæque adſuas, vt laceram veſtis partem reſarcias, ea particula quam veſti addideris, erit rigidior quam veſtis: itaque adſuta non diu hærebit: ſed vſu agitata diuelletur, et eam veſtis partem auferet, cui per ſuturam adhærebit. Ita fiet, vt quam vis obſtruere rupturam, eam imperitia reddas maiorem. Quod dicit autem τὸ πλήρωμα αὐτοῦ, nominatiui caſus eſt τὸ πλήρωμα, idem ſignificans cum illo ante poſito ἐπίβλημα, vt ſit veſtimenti ſupplementum, particula adhibita ad id ſupplendum ac reſarciendum, quod eſt vetuſtate conſumtum. Vocat autem veterem veſtem, tritam: ſicut contra Lucæ quinto nouam vocat, non tritam, quomodo vulgo loquimur. De vtribus quod dicit, loquitur ad Syriæ conſuetudinem, vbi vinum conditur in vtres. Nam in noſtris finibus vinum nouum in vetera dolia condi, nec abſurdum eſt, et vulgo fit. His autem duabus de veſte et vino ſimilitudinibus ſignificat, quod ante docuerat de nuptias agentibus: ſcilicet tam ineptum eſſe, diſcipulos ipſo adhuc præſente ieiunare (quæ triſtitiæ res eſt, quum magis lætari debeant) quam ſi quis ita veſtem reſarciat, vt dicit, aut vinum nouum in veteres vtres recondat. Quemadmodum prouerbio dicimus, in lente vnguentum: quo rem ſignificamus abſurdam.

27. *Miſerere noſtri, Dauidide*) Scio durum viſum iri hoc patronymicum. Sed certe eo proprie exprimitur, qui hebraico more dicitur Dauide natus

Qui

Qua de re vide quæ ſcripſimus principio animaduerſionum in Pſalmos. Neque tamen mihi interdictum puto, quo minus modo Dauididem, modo Dauide prognatum aut ortum, aut Dauidis filium interpreter. In verbis enim debemus eſſe faciles, dum res ipſa intelligatur. Et quidem ſtatim initio Matthæi, Ieſum Dauididem et Abrahamidem vocaſſem, niſi metuiſſem, ne vocabulorum nouitas lectorem in ipſo ſtatim limine offenderet.

38. *Vt operarios emittat in meſſem ſuam)* ἐκβάλλειν non ſemper eiicere aut extrudere ſignificat, ſed etiam emittere, aut depromere: vt Ioann. 10, 4 ὅταν τὰ ἴδια πρόβατα ἐκβάλῃ: et Matth. 12. 5. ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά. Nec enim vel ille oues ex caula, vel hic bona ex cordis ſui repoſitorio extrudit, ſed emittit atque promit: hoc eſt, προφέρει, vt eſt apud Lucam.

CAP. X. v. 5. *Dimiſit Ieſus, eis ita præcipiens)* Et hoc bene ab antiquo interprete verſum erat: nec refert, quod παραγγείλας præteriti temporis eſt. Nam huiuſmodi præterita ſæpe per præſentia reddenda ſunt: quale eſt illud, ἀποκριθεὶς εἶπεν, reſpondens dixit, aut reſpondit, et dixit: nec enim prius reſpondit, quam dixit: quin ea reſponſio, ipſa dictio eſt: vt ſit ἀποκριθεὶς pro ἀποκρινόμενος. Similiter quod hic dicitur ἀπέστειλεν παραγγείλας, idem eſt quod ἀπέστειλεν παραγγέλλων, dimiſit præcipiens, aut dimiſit et præcepit. Nam ea miſſio, ipſa præceptio eſt, quum iubet eos ire ad perditas oues Iſraeliticas. Iiſdem enim verbis et mittit et præcipit. Hoc moneo, ne quis miretur, non ſemper verbi tempus reſpondere. Sæpe enim tempus pro tempore ponitur: vt ἔρχεται et ἐρχόμενος, pro venturus eſt: et, ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει, Diſcipulus ille non eſt moriturus: et alia innumera: qualia ſunt etiam illa apud Latinos: Tityre, dum redeo: id eſt, donec redeam: et, Quid agimus? pro quid agemus? Item, Non cœno domi: pro, non ſum cœnaturus. Quod idem moneo etiam de propria verborum ſignificatione, ſicubi forte minus proprie reddere videmur: vt quum ἐκεῖνος pro αὐτὸς, et ὅτι pro γὰρ ponuntur, et alia huiuſmodi multa.

5. *Neue in vllam Samaritanorum vrbem)* εἰς πόλιν μὴ εἰσέλθητε pro εἰς μηδεμίαν πόλιν εἰσέλθητε, hebraiſmus eſt: qualis et ille Ioann. 19, 36. ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται ἀπ᾽ αὐτοῦ, Nullum eius os confringetis. Eodem modo loquuntur Galli, Il n' y a ame, non eſt anima: pro, nulla eſt anima, hoc eſt homo. N'entrez en ville de Samarie: pro, en aucune ville.

12. *Salueat hæc domus)* שלום, quod hic εἰρήνη dicitur, verbum eſt ſalutantis, quod etiamnum retinent Turcæ. Salutantes enim dicunt Schalamalech, quod eſt שלום לך, pax tibi, hoc eſt ſalue. Et ſane pacis et ſalutis vocabula cognatæ ſunt ſignificationis. Nam et qui in pace eſt, ſaluus eſt: et qui ſaluus non eſt, pace caret. Nec enim bellum voco id ſolum, quod vulgo hoc nomine notum eſt: ſed qui ægrotat, dolet, eſurit, huic cum morbo, dolore, fame bellum eſt: neque poteſt (quamuis abſint homines) dici pace frui, cui cum tam moleſtis hoſtibus confligendum ſit. Itaque apud Liuium ſæpe pacem deum expoſcere dicuntur, qui a diis ſalutem, et omnium rerum proſperitatem poſtulant. Sed in ſalutationibus ſaluere, et ſalus, aptiora et apertiora verba ſunt, deducto inde etiam ſalutandi verbo. Itaque Gabriel Mariam ſalutans, quod eſt hebraice *Pax* tibi, dixit χαῖρε, hoc eſt ſalue, aut aue. Quod autem dicit, *Siquidem erit digna domus,*

domus, eueniat ei veſtra ſalus: imperatiuo vtitur pro futuro, in hanc ſententiam, Si ſalute digni erunt, eueniet eis veſtra ſalus, hoc eſt felicitas, quam eis optabitis ſalutando. Sin minus, non magis eis proderit veſtra ſalutatio, quam ſi non ſalutauiſſetis.

39. *Animam ſuam qui inuenerit, perdet*) εὑρίσκειν et reperire et parere, ſiue quærere ac comparare eſt. Sed neque hic parere aut comparare animam ſuam recte dici poteſt (dicendum enim eſſet, ſeruare animam ſuam, aut vitæ ſuæ conſulere) et propter perdendi verbum, fuit vtendum verbo, quod contrariæ notionis eſſet. Gallice pulchre exprimi poteſt hoc, verbis gaigner et perdre.

41. *Qui vatem nomine vatis accipit*) Idem quod ante dixit: Qui miſſum accipit, tantum meretur, quantum ſi mittentem acciperet. Qui vatem aliquem nomine vatis alterius, hoc eſt, quoniam a vate miſſus eſt, accipit, is mercedem vatis adipiſcetur: hoc eſt, idem præmium habebit, quod haberet, ſi vatem illum, a quo is miſſus eſt, accepiſſet. Verbi gratia, Qui Eliſæum vatem nomine Eliæ vatis accipit, eamdem habebit mercedem, quam ſi ipſum Eliam accepiſſet. Dicit autem mercedem vatis breuius, et ideo obſcurius, pro mercedem ob acceptum vatem. Sicut cap. 12, 31. eſt, βλασφημία πνεύματος, pro, κατὰ τοῦ πνεύματος.

CAP. XI. v. 6. *Felix eſt, qui in me non offenderit*) σκανδαλίζεσθαι aliquando lædi eſt: vt ad Romanos 14, 21. ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει ἢ σκανδαλίζεται: eſt enim illic idem fere προσκόπτειν et σκανδαλίζεσθαι, hoc eſt lædi, et detrimentum accipere, quod Latini offendere dicunt. Eſt igitur hæc Ieſu ſententia: Ego ſum lapis, in quem offenditur: Beatus eſt, qui ita ſe gerit, vt ego ei ſim vtilis, non detrimentoſus.

16. *Perinde eſt, ac quum manentes in foris pueri*) ὁμοία ἐστὶ παιδαρίοις, ſimilis eſt pueris, ſcilicet clamantibus. Atqui non erat clamantibus pueris ſimilis Iudæa natio, ſed audire nolentibus. Chriſtus autem et Ioannes Baptiſta erant clamantibus pueris ſimiles. Itaque ſic intelligendus, et ſic interpretandus eſt hic locus, vt intelligamus ſimiliter accidere in Iudæis, atque accidit in eo quod pueri vulgari cantilena cantant: hoc eſt, Iudæos nec facilitate Chriſti, nec ſeueritate Baptiſtæ moueri, quemadmodum canunt illi pueri, ſuos æquales nec læto carmine ad ſaltandum, nec nænia ad plangendum excitari. Idem dico de multis aliis locis, vt quum Matth. 13, 24. dicitur cæleſtę regnum ſimile eſſe homini ſerenti. Non enim ſatori ſimile eſt, ſed ſationi. Itaque tota res, non vnum verbum, confertur.

19. *Eſtque ſuis aliena ſapientia*) Epiphonema, et ante dictorum concluſio. Iſraelitæ, ad quos proprie pertinebat Euangelium, id repudiant. Eamdem ſententiam poſuit ſupra, quum dixit, regios in imas detrudendos tenebras: regios vocans Iudæos, quorum erat regnum: δεδικαίωται autem ſignificat liberum eſſe, et nihil rei habere cum aliquo: vt ad Romanos 6, 7. ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, Qui mortuus eſt, abſolutus eſt a peccato: quod ante verſ. 6. dixerat, ἵνα καταργηθῇ τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ μηκέτι δουλεύειν ἡμᾶς τῇ ἁμαρτίᾳ, Vt aboleatur peccati corpus, ne amplius peccato ſeruiatis: vt idem ſit δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, et οὐκ ἔτι δουλεύει τῇ ἁμαρτίᾳ, et κατήργηται αὐτῷ ἡ ἁμαρτία, aut κατήργηται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας: ſicut ad Rom. 7, 3. de vxore, ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός: hoc eſt, δεδικαίωται, ſi

mortuus vir fuerit, ea liberata eſt a lege viri: hoc eſt ὁ νόμος τοῦ ἀνδρός ἐστιν αὐτῇ ἀργός, Viri lex eſt ei otioſa, nihilque ad eam pertinet. Igitur ἡ σοφία δεδικαίωται, hoc eſt, κατήργηται, ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, hoc eſt, αὐτοῖς ἐστιν ἀργός, nihil ad eos pertinet, ab eis repudiatur, tanquam aliena. Quod autem addit Lucas, hac eadem de re loquens πάντων, omnibus, non ita accipiendum eſt, quaſi omnes Iudæi Chriſtum repudiarent, ſed fere omnes. Quemadmodum quum dicit Chriſtus Ioannem nec comeſſe, nec bibere, non ſignificat nihil omnino comeſſe, ſed fere nihil: hoc eſt, parciſſimi eſſe cibi. Neque vero me latet, alios ſic hunc locum exponere, vt dicant ſapientiam a ſuis δικαιοῦσθαι, hoc eſt, approbari atque admitti: ſed neque aduerſatiua coniunctio præponitur, neque eſt ὑπό, ſed ἀπὸ τῶν τέκνων.

CAP. XII. v. 7. *Pietatem malo quam ſacrificium*) חסד apud Oſeam plus eſt, quam quod hic ponitur ἔλεος. Deinde quod hic eſt καὶ οὐ, illic eſt quidem ולא ſed quod pro מן ponitur: nam hæc præpoſitio in altero ſententiæ membro ponitur, quod idem tamen ſignificat. Sic enim in Oſea legitur ad verbum: Pietatem volo, et non ſacrificium: et Dei cognitionem, quam victimas; vbi volo pro malo poſitum eſt, vt apud Homerum:

Βούλομ᾽ ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

καὶ οὐ autem, ſiue καὶ μή, pro μᾶλλον ἤ, dicunt etiam auctores profani: vt Iſocrates ad Nicoclem, ἐλλείπειν αἱροῦ, καὶ μὴ πλεονάζειν: hoc eſt, Parum malis, quam nimium facere. Sic enim loquuntur Latini, vt Cicero: Valere malis, quam diues eſſe: ὑγιαίνειν αἱροῦ, καὶ μὴ πλουτεῖν.

31. *Omne peccatum ac maledictum*, cet.) Quid ſit peccatum in ſpiritum ſanctum, ex hoc loco apparet. Qui enim diuinis operibus, et ſacri ſpiritus numine factis, adeoque claris et perſpicuis, vt contradici non poſſit, tamen contradicit et reſiſtit, nec ſibi perſuaderi patitur, id quod refelli non poteſt: is eſt pertinax, durus, indocilis, cui nulla re poſſit vmquam perſuaderi. Is in pertinacia ſemper manet, nec vmquam fit melior, ideoque numquam ei venia datur. Tales fuerunt Scribæ et Phariſæi. Hoc eſt peccare in ſpiritum ſanctum. In hominem autem, hoc eſt, in Chriſtum vt hominem, peccare dicuntur, qui in eo nondum ſpiritualia vident opera. Talis erat Paulus nondum Chriſtianus: peccabat in hominem Ieſum. At idem ſi agnitum perſecutus eſſet, numquam ei venia data fuiſſet. Hic illud obiiciet aliquis: Quoties ingemuerit nocens, non amplius recordabor. Eſt ita. Sed numquam niſi ſero et clauſa porta ingemiſcunt, qui tales ſunt: de quibus ſcriptum eſt ad Hebræos 6, 4. et 1. Ioannis 5, 16. vbi hoc peccatum letale dicitur. Hoc optime intelligi poteſt, ſi diligenter conſideres illud ex Eſ. 6, 10. oraculum: Stupefac iſtorum animos, eorumque et aures obfirma, et oculos hebeta, ne oculis videant, et auribus audiant, et animis intelligant, et ita mutati ſanentur. Quaſi hoc dicat: Quoniam adeo pertinaces ſunt, et improbi, volo eos punire. Sed tanta eſt mea clementia, vt quamuis ſint ſceleratiſſimi, tamen ſi mores corrigant, veniamque petant, daturus ſim. Ne igitur veniam orent, volo vt in pertinacia permaneant, vt eos puniam. Quod autem dicit: Nec in hoc ſæculo, nec in futuro: ſcio quoſdam ita exponere, vt putent nihil aliud eſſe, quam quod apud Marcum eadem de re ſcriptum eſt, Numquam. Sed non Matthæus hac in re per Marcum, ſed

con-

contra Marcus, qui breuius, per Matthæum, qui copioſius ſcripſit, eſt explicandus: vt quod apud Marcum eſt Numquam, id ſignificet, Nec in hoc ſæculo, nec in futuro. Sed quid ſit id futurum ſæculum, ego ignoro. Poteſt enim dubitari, vtrum de noſtro hoc ſæculo loquatur, quod tum erat futurum, et quod Paulus vocat vltimum tempus, dum dicit, vltimo tempore futuros homines peſſimos: an de æterna vita, quæ ſæculum hoc ſequetur.

33. *Aut facite arborem bonam*) Facere pro adfirmare ponitur: vt Ioan. 8, 53. Quem tu te facis? Eſt igitur hæc ſententia: hoc pro certo habete, neceſſe eſſe, quæ arbor ſit bona, eius fructum eſſe bonum: et qui fructus ſit malus, eum arboris eſſe malæ. Atqui iſta veſtra verba malus fructus eſt, ex quo conſequens eſt, vos ſtirpem eſſe malam.

CAP. XIII. v. 21. *Statim deſciſcit*) σκανδαλίζεσθαι eſt aliquando deſerere, deſciſcere, aut deficere. Itaque pro eo ponitur apud Lucam capite 8,13. ἀφίστασθαι.

CAP. XV. v. 5. *Si quis ſuo patri matriue dixerit*) Iudæi ſacerdotes pelliciebant homines ad conferenda in templum donaria, idque non Dei, ſed ſua cauſſa, quoniam ea ad ipſos redibant. Ac ne quis filius ideo minus conferret, quod ſua in parentum alimoniam (vt præceptum erat) vellet impendere, illi eam religionem praua legis interpretatione ſic eleuabant: Demonſtra patri tuo, id quod tu in templum confers, ei eſſe profuturum apud Deum: nec eſſe neceſſe, vt eam pecuniam in eum impendas, quum tam eum honores libando pro te, et pro ipſo, quam ſi alioquin in eum inſumeres. Etiamſi non aliter parentes honores, non tamen contra legem feceris.

CAP. XIIX. v. 6. *Quiſquis vero vel minimo horum mihi fidem habentium incommodauerit*) Ad verbum, Vnum paruorum horum: de quo hebraiſmo volo hic adducere exempla. Matthæi quinto talis hebraiſmus eſt, in ſuperlatiuo gradu, *Qui fecerit contra vnum præceptorum horum minimorum:* hoc eſt, contra vel minimum horum: nec enim erant illa minima præcepta, ne in ſpeciem quidem. Et Prouerb. 26. in poſitiuo: *Sapientior ſibi videtur piger, quam ſeptem reſpondentes prudenter:* hoc eſt, ſibi videtur ſepties, hoc eſt, longe ſapientior. Et Matth. 10. *Multis paſſeribus antecellitis vos:* hoc eſt, multo antecellitis paſſeribus. Et paullo poſt in eodem capite: *Qui bibere dedit vni paruorum horum:* hoc eſt, vel minimo horum. Itemque cap. 25. Quod autem eſt, *In maris æquor*, idem ſignificantia verba duo poſita ſunt: vt Geneſis 14. vbi cæli liquidum pro cælo poſitum eſt, vt ſit maris æquor pro mari poſitum. Malui autem maris æquor latina conſuetudine dicere, quam alieno a latinis loquendi more maris pelagus, vt eſt in græco.

CAP. XIX. v. 24. *Facilius eſſe rudentem*) κάμηλος et camelum animal, et nauticum funem declarat, qui rudens appellatur: quod græcum nomen paullum, vt fit, immutatum, manet adhuc in gallica lingua, in qua vocatur Cable: quamquam tum per iota ſecundam ſyllabam ſcribi, vult Phauorinus. Sed ſiue κάμηλος ſcribi debet, ſiue illud vtrumque declarat, non eſt dubium, quin in ea notione accipi debeat, quæ ſit ſententiæ conuenientior, ne Chriſtum cogamus hic ineptiſſima ſimilitudine vti, quum ea poſſit eſſe aptiſſima, et ceterarum, quibus vti ſolet, ſimillima. Nec eſt quod quiſquam dicat, Ieſum alicubi abſurdis vti ſimilibus: quale eſt de illo qui trabem habeat in oculo. Nam illud abſurdum eſſe qui dicit, abſurde dicit: nec intelligit, aliud eſſe abſurditatem, aliud immenſam exaggerationem, quam Græci vocant hyperbolen. Abſurde nec Chriſtus, nec quiſquam bene loquens locutus eſt. Sed hyperbolis et alii vtuntur, et Chriſtus

illic vſus eſt aptiſſime. Nam ſi feſtuca creſcat, fiet trabs. At filum (etenim per foramen acus ſolet filum traiici) quantumuis creſcat, numquam camelus fiet: at rudens fiet.

CAP. XX. v. 23. *Non eſt meum dare, niſi quibus id paratum eſt a patre meo)* ἀλλὰ dictum eſt pro εἰ μὴ, niſi: vt Marc. 9. οὐκ ἔτι εἶδον, ἀλλὰ τὸν ἰησοῦν, μόνον: Iam nullum viderunt, niſi Ieſum. Atque eodem modo ponitur, 2. Corinth. 2. etiam interprete vetere ita transferente.

CAP. XXI. v. 9. *Hoſanna Dauidi ae)* Hoſanna ſignificat, ſerua age: eſtque cantionis genus, quæ ſub feſtum tabernaculorum cani ſolebat, in qua ſubinde repetebatur Hoſanna: ſicut in Gallia circa Chriſti natalitia canuntur vulgo de Chriſto nato carmina, in quibus ſubinde repetitur Noel. Sed de Hoſanna vide Andream Oſiandrum, in Harmonia.

CAP. XXII. v. 36. *Quodnam præceptum eſt in lege maximum?)* μέγας dictum eſt pro μέγιστος, vt ad Hebr. 24. ἀρχιερέα μέγαν, pontificem maximum: et Lucæ 9. ὁ μικρότερος ἐν πᾶσιν ὑμῖν ὑπάρχων, οὗτος ἔσται μέγας Nam idem Matth. 23. dicitur μείζων, hoc eſt, μέγιστος. Sic hoc loco dicitur hoc præceptum eſſe magnum, ſcilicet præ ceteris: hoc eſt, omnium maximum, vt etiam paullo poſt vertit vetus interpres latinus. Alioquin abſurdum eſſet, hoc dici magnum, quaſi alia parua forent. Eſt autem hebraiſmus, qualis et alibi ſæpe occurrit, et Geneſis ſexto, vbi ſic ad verbum legitur: Noa vir iuſtus erat, integer in ſuo ſæculo: hoc eſt, ſui ſæculi integerrimus.

CAP. XXIII. v. 5. *Vtuntur autem latis)* Græce eſt, dilatant: quale eſt illud Leuit. 11. vbi dicuntur beſtiæ diuidere vngulas, hoc eſt, diuiſas habere: et latine, Fregit crus: pro, Crus ei fractum eſt.

CAP. XXIIII. v. 45. *Quod ſi quis eſt fidelis ſeruus)* τίς non ſemper interrogantis eſt: vt Iacob. 1. τίς σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν, δειξάτω: Si quis inter vos ſapiens eſt, atque prudens, oſtendat, cet. ſicut hebræum eſt, quod ſæpe ſine interrogatione ponitur: vt in fine Pſalm. 107. vbi ſic ad verbum eſt: Quis ſapiens hæc obſeruabit: id quod citra interrogationem intelligendum eſt: ſicut et in gallico ſermone, vbi Qui eſt ſage, et interrogantis, et non interrogantis eſſe poteſt.

46. *Offenderit ſuum officium facientem)* Vt latine æquum et par, pro eo quod iuſtum eſt, et fieri debet, ponuntur: ſic hebraice aduerbium כן hoc eſt, ſic, aliquando ſignificat officium: vt 4. Reg. 17. Deſignarunt Iſraelitæ res אשר לא כן, quæ non ſic, hoc eſt nefarias, et quæ fieri non debebant. In hac notione poſuit hoc loco Matthæus οὕτως: vt et Paulus Philip. 4. οὕτως στήκετε ἐν κυρίῳ, Perſiſtite, vt fieri debet, in Domino.

CAP. XXVI. v. 18. *Vt in vrbem irent ad quemdam)* In græco, μιμητικὴ, hoc eſt directa eſt oratio, *Ite in vrbem ad quemdam:* quæ latine eſt, διηγητικῶς, hoc eſt, oblique et ex auctoris perſona interpretanda. Nec enim dicebat Chriſtus, *Ite ad quemdam:* ſed eum nominabat. In gallica quidem lingua liceret directe loqui, Allez vous en a un tel, ſed idem latina loquendi conſuetudo non patitur. Atque ex hoc quidem loco, vt et ex aliis multis, perſpicuum fit, ſacros auctores non ſemper totidem, iiſdemue verbis eorum, de quibus narrant, dicta referre: ſed ita narrare, vt nos ſolemus, quum eamdem rem ſi bis aut ter referamus, ſæpe totidem adhibeamus genera dicendi, neque tamen ideo falſum dicamus. Exempla ex innumeris adducam pauca. Exodi cap. 20. præcepta Dei ſcripta ſunt, ipſius Dei digi-

digito exarata: et tamen eadem Deuter. 5. ita repetuntur, vt quædam non re, ſed verbis, paullo aliter dicantur. Atqui et res eſt maximi momenti, et ſemel a Deo pronuntiata, et bis ab eodem Deo ſcripta verbis hebraicis, et ab eodem Moſe eadem lingua relata. Alterum exemplum erit paullo poſt hunc, qui nobis eſt in manibus, Matthæi locum, vbi ſic legitur: *Hic eſt enim ſanguis meus noui fœderis, pro multis effundendus ad veniam peccatorum.* At idem Lucæ 22. paullo aliter dicitur: *Hoc poculum eſt nouum fœdus in ſanguine meo, pro vobis effundendum.* Atqui non hæc alio atque alio modo pronuntiauit Chriſtus, ſed ſemel et vno modo. Idem dico de precatione Dominica. Ex quibus planum fit, non eſſe verba ſemper nimis tenuiter ad calculos reuocanda.

61. *Et triduo inſtaurare*) οἰκοδομεῖν pro ἀνοικοδομεῖν poſitum eſt, ſicut fieri ſolet in בנה. Eſt enim hoc verbum ex eorum genere, quæ ſæpe ſimplicia pro compoſitis ponuntur: quoniam compoſitis carent Hebræi: qua de re ſcripſimus in Pſal. 62.

CAP. XXVII. v. 3. *Tum Iudas videns eum eſſe damnatum*) Hoc eſt a pontificibus dignum morte iudicatum, mortique deſtinatum. Sic enim ponitur damnandi verbum, Marc. 10. *Homine natus*, inquit, *tradetur pontificibus atque ſcribis, qui eum morte damnabunt, extraneisque tradent.* Itemque Marc. 14. Atque hoc pacto Verris condemnator dicitur a Tacito, Cicero, non quod eum condemnarit, ſed quod accuſarit, ac damnandum eſſe pronuntiarit.

43. *Si ei fauet*) θέλει, ab חפץ, ex Pſal. 22. quod fauere, et alicuius ſtudioſum ac cupidum eſſe ſignificat.

EVANGELIVM AVCTORE MARCO.

IN TOTVM MARCVM ARGVMENTVM COSMAE INDICOPOLITAE.

Hic ſecundus Euangeliſta Marcus, Petro ei Romæ mandante, conſcripſit Euangelium, incipiens ſuam Euangelicam narrationem a Baptiſmate: qui eſt typus reſurrectionis ex mortuis, per quam ad immortalem et immutabilem vitam regeneramur. Poſt quod principium etiam ipſe narrat tum tentationes ac victoriam, tum et Iudæorum inſidias, inuaſionemque aut captiuitatem, mortemque, tum denique etiam reſurrectionem: atque ita ſuam hiſtoriam abſoluit. Meminit ipſe quoque de Ioanne Baptiſta, prædicante, appropinquare regnum cælorum: Quæ omnia concorditer cum beato Matthæo pronuntiat: vnus enim ſcopus eſt totius ſacræ ſcripturæ, nempe Chriſtus. Hic igitur quoque noui Teſtamenti præco exſiſtens, eadem cum præcedente nobis deſcripſit, ab hiſtoria Baptiſmi ordiens: quod Baptiſma eſt typus reſurrectionis ex mortuis: dico autem nouæ et cæleſtis conuerſationis. Præterea expoſuit, quo modo ſit baptiſatus, in terris verſatus, inter-

fe[illegible], reſuſcitatus, et denique in cælum regreſſus: vbi ſecundæ futuræque vitæ locus ac politia eſt. Gloria autem ſit Deo, qui iſta omnia nobis inde ab initio præparauit, prænuntiauit, et denique impleuit, Amen.

ADNOTATA.

CAP. VI. v. 39. *Diſcumbere cateruatim*) συμπόσια συμπόσια, conuiuia conuiuia, hebraiſmus eſt: pro, in ſingula conuiuia distributos: ſed ita, vt conuiuium ſignificet conuiuas, ſiue conuiuarum claſſem: ſicut latine ciuitas pro ciuibus, et iuuentus pro iuuenibus dicitur. Quum igitur neque latine conuiuiatim, neque ſignificanter in conuiuia diſtributos dici poſſit (nam aliud ſignificari videretur) malui cateruatim interpretari: quo verbo quamuis illud plene non exprimatur (poſſunt enim cateruatim ad aliud, quam ad capiendum cibum, collocari) tamen quoniam hic ponitur diſcumbendi verbum, quo epularum accubatio ſignificatur, quo fit vt de ſententia dubitari non poſſit, putaui ita mihi vertere licere. Quod idem dico de πρασιαὶ πρασιαί: ſunt enim πρασιαί hortorum puluini, ſiue areæ: quæ verba quum hic latine non ſatis apte poni poſſint, malui claſſes, latius patente verbo, dicere.

CAP. XII. v. 42. *Duos teruncios contulit*) Quod hic, et Lucæ 12. λεπτὸν dicitur, id Matth. 5. quadrans. Quadrantem autem eumdem eſſe quem teruncium, docet Budæus.

CAP. XIIII. v. 3. *Spicatæ nardi*) Quod ſcribit Eraſmus, fieri poſſe, vt Marcus vulgari more loquens, latinam vocem corrupte poſuerit, piſticam appellans, pro ſpicata: id mihi veriſimile videtur, et cum vetere interprete congruit, qui (vt eſt in nonnullis exemplaribus) vertit, nardi ſpicati. Atque idem dico de eodem verbo apud Ioannem 11. Idemque videmus et in libra fieri, quam ibidem Ioannes (vt et ceteri Græci) litteram appellat, ſimili verbi mutatione, ſiue a libra littra, ſiue contra dicitur: et in penula, quam Paulus 2. Timoth. 4. φαινόλην appellat. Cetera quæ de πιστικῆς dicuntur, mihi videntur abſurda, ſiue a loco dictam putes, ſiue a fide. Nam nec vllus, quod ſciamus, locus, qui ſit a nardo nobilitatus, ita dictus eſt: et a fide non πιστικὴ, ſed πιστὸς appellaretur. Illud obiter dicam, veterem interpretem, quod a Marco dictum eſt feminino genere, id neutro dixiſſe ſpicati, data opera, vt opinor, vt eamdem in latino ſermone (in quo etiam nardum neutro genere dicitur) verborum ambiguitatem retineret, quæ eſt in græco, in quo πολυτελοῦς, et ad νάρδου, et ad μύρου referri poteſt. Nos de induſtria ambiguitatem vitauimus, quod omnino pretium putamus vnguenti, non nardi, appellari. Quod niſi vocabulum ſpicatæ adderetur, liceret ita vertere: Alabaſtrum vnguenti nardini pretioſi: ita nulla foret ambiguitas.

EVANGELIVM AVCTORE LVCA.

ARGVMENTVM IN TOTVM LVCAM COSMAE INDICOPLEVSTI.

Hic tertius Euangeliſta Lucas, quum vidiſſet multos adgreſſos eſſe con-

conſcriptionem Euangelii, et interim ex ſuo corde multa confixiſſe, ipſe quoque promtius ad ſuum beatum Theophilum conſcribit librum, certo confirmans, ſe eorum figmenta ſecutum non eſſe, neque abductum ab illis veriſſimis, quæ prius didicerat: ideo inquit, vt cognoſcas certo ſoliditatem eorum, de quibus prius es inſtitutus. Narrat igitur ei hiſtoriam, incipiendo a natiuitate Ioannis, docens quod etiam præcurſoris generatio plane admirabilis fuerit: deinde exponit natiuitatem Domini Ieſu Chriſti, ſecundum carnem, narrans, et ipſam admirabiliter plane factam eſſe, vt et Matthæus prius fecerat. Deinde retrograde eius progenitores recenſet vsque ad Dauidem et Abrahamum, et denique vsque ad Adamum, et Deum ipſum, quum vlteriorem nullum reperiret, vtpote ad creatorem omnium, qui ſecundum ſacrum doctorem Moſen omnia fecit et protoplaſtum ipſum. Poſtea ſimilia aliis narrat de baptiſmo aliisque, ac denique de morte ipſa, ac reſurrectione. Poſtremo loco reditum Chriſti in cælos tum in Euangelio, tum et in Actis adnuntiat.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 15. *Nec vinum, nec temetum bibet*) Sicera eſt omne vinum factitium: quale eſt quod fit ex frumentis, piris, malis punicis, cornis, meſpilis, ſorbis, moris, nucleis pineis, cet. itemque ex herbis, aſparago, cunila, origano, et multis aliis. Nos proprium verbum non habentes, temetum vertimus, a quo temulenti dicuntur: ſicut ſicera Hebræis a verbo deductum eſt, quod temulentum fieri ſignificat. Quod ſi temetum idem ſignificat quod vinum, etiam illa omnia Latinis vina dicuntur: et ſicera Pſalm. 69. pro vino quouis ponitur, vt nihil fere inter hanc vocem et hebræam intereſſe videatur.

16. *Domino ipſorum Deo reconciliabit*) Dominum Iouam dicit, hoc eſt Ieſum: (de cuius nomine vide in Matth. 1.) Nam id de eo dici, apparet ex eo quod ſequitur, *Eumque antecedet.* Quem enim antecedet Ioannes? Eum nimirum, de quo angelus ante locutus eſt: videlicet Iſraelitarum Deum, qui Chriſtus eſt: nec enim patrem Deum anteceſſit.

28. *Salue accepta*) Scilicet Deo: eſt enim idem quod paullo poſt declaratur, εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ, Inueniſti gratiam apud Deum: hoc eſt, accepta grataque Deo es, eumque habes propitium, qui hebraiſmus frequenter occurrit in veteri fœdere.

64. *Aperto protinus eius ore, ſolutaque lingua*) In græco non eſt Soluta: ſed id facile intelligitur: nec enim aperitur lingua, et ad loquendum quod eſt ori aperiri, id eſt linguæ ſolui. Quod ſi quis neget vinctam fuiſſe linguam, negabo et ego clauſum fuiſſe os: alioquin cibum capere non potuiſſet. Verum clauſum dicitur, quod non magis loquebatur, quam ſi clauſum fuiſſet: quod idem de lingua dicendum eſt.

75. *Eum coram pie iuſteque colamus*) In græco eſt, Cum pietate et iuſtitia: more Hebræorum, qui huiuſmodi aduerbiis carentes, vtuntur nominibus. Ceterum ὁσιότητα et ἁγιότητα, ſiue ἁγιοσύνην, ſolent noſtri eodem ſanctitatis nomine interpretari, quum non ſint eadem. Nam ὁσιότης ea

eſt, quæ hebraice dicitur חסידה: quæ ſi homini tribuitur, pietas eſt: ſin Deo, clementia: quamquam et in Deo latine pietas dici poteſt: vt apud Virgilium, *Di, ſi qua eſt cælo pietas, quæ talia curet.* Ea alio verbo ἔλεος et in Deo et in homine dici ſolet. Itaque nos et hoc in loco, et aliis multis, non tam græci verbi, quam hebraici naturam interpretantes, pietatem reddimus: ἅγιον vero hebraice קדש eſt: quod verbum modo ſanctum, modo ſacrum ſignificat.

CAP. II. v. 14. *Et in terra pax, erga homines beneuolentia*) Pax, vt alibi declarauimus, omnes felicitatis numeros complectitur. εὐδοκία autem (quam nos beneuolentiam interpretamur) ea eſt, quæ hebraice רצון appellatur, ſignificatque ſtudium, fauorem, cupiditatem, beneuolentiam, quæ alias χάρις appellari ſolet: a verbo εὐδοκεῖν, bene velle, aut acceptum gratumque habere, et alicuius cupidum ac ſtudioſum eſſe, eique fauere. Quod autem dicit, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, idem eſt quod εἰς ἀνθρώπους, erga homines. Nam ἐν pro εἰς ſæpe ſcribunt auctores ſacri: et εὐδοκεῖν vtroque modo ponitur: nam et εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου; et ἐν ᾧ εὐδόκησα: illud Matth. 12. hoc 3. et 17. Itaque tam poteſt dici εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις, nomini eadem tribuendo quæ verbo, quam latine domum reditio dicitur, ſicut domum redire. Eſt igitur hæc huius loci ſententia: Eſto pax in terris, quæ pax eſt Dei erga homines amor, ſtudium, atque fauor: hoc eſt, quæ felicitas eſt Dei muneris ac liberalitatis. Lege diligenter primum caput ad Epheſios, et inuenies totam hanc ſententiam copioſiſſime explicatam.

22. *Tulerunt eum Hieroſolymam*) ἀνήγαγον pro ἀνήνεγκαν poſitum eſt: ſicut contra ἐνέγκειν ſiue φέρειν pro ἄγειν ſæpe ponitur in ſacris litteris. Itaque locum hunc bene vertit vetus interpres. Nam adducendi quidem verbum ponimus in eo qui pedibus eat: id quod de Chriſto ea ætate dici non poteſt.

23. *Erat tum*) ἰδοὺ & ἴδε non ſemper en aut ecce ſignificat, ſed ſæpe temporis eſt: vt Marc. 4. ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων: hoc eſt, Aliquando profectus eſt ſator. Nonnumquam demonſtrantis eſt, vt ſit idem quod ſcito, aut ſcitote: vt Luc. 1. καὶ ἰδοὺ ἔσῃ σιωπῶν, Scito te fore mutum. Aliquando idem eſt quod μέλλω, futurum tempus ſignificans: vt Matth. 11. ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου, Ego miſſurus ſum angelum meum. Eſt et quum, Luc. 15. ἰδοὺ τοσαῦτα ἔτη δουλεύω σοι, cet. Quum tot annos tibi ſeruiam. Item, quum tamen, 2. Cor. 6. ἀποθνήσκοντες, καὶ ἰδοὺ ζῶμεν, Perinde ac morientes, quum tamen viuamus. Atque hæ tot huius vocis notiones non ſunt græcæ vocis ἰδοὺ propriæ, ſed hebraicæ הן, ſiue הנה, quæ præter ea quæ diximus, ſignificat eſto ſane, aut finge, pone ita eſſe, Pſal. 78. et Exod. 3. ſcilicet, Eſa. 58. Interea, Ezech. 9. Si, aut quid ſi? Ezech. 15. Iam, Luc. 13.

34. *Scito hunc multorum vel caſui, cet.*) Chriſtus improbis pernicioſus eſt, eorum culpa: probis ſalutaris. Eſt item quoddam quaſi vexillum populis expoſitum, ad quod confugiant, ſi ſalui eſſe velint. Sed id vexillum oppugnabunt multi, verumque negabunt eſſe. Tu quoque Maria graues dolores perferes, dum hic in crucem agetur: quod dum fiet, apparebit qualiſquisque mente ſit, nam ſecundis rebus multos ſectatores habebit, ſed re-

bus

bus aduerſis paucos: ex quo apparebit, paucorum ſinceram eſſe mentem, amicos enim aduerſa declarant.

CAP. VI. v. 40. *Præclare cum quoque agitur*) κατηρτισμένος conditum et bene compoſitum ſignificat, ita vt nihil ei deſit. Hoc loco idem ſignificat, quod in eadem ſententia Matth. 10. dictum eſt, ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, Satis eſt diſcipulo, boni conſulere debet, et nihil amplius poſtulare, ſed bene ſecum agi putare. Eſt autem in græco curta ſententia: quæ plena foret, ſi εἰ ἔσται interponeretur, hoc pacto, κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται, εἰ ἔσται ὡς, cet. Atque ita legiſſe videtur vetus interpres, qui vertit: *Perfectus omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* Nec fuit difficile alterum ἔσται excidere. Sed vt ita non legerit, ſic quoque manet eadem ſententia.

CAP. VII. v. 11. *Accidit poſtridie*) ἐν τῇ ἑξῆς verius legi puto, quam ἐν τῷ ἑξῆς, vt eſt in quibuſdam exemplaribus. Nam cap. 9. illud plene habetur, ἐν τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ.

CAP. IX. v. 51. *Eius adſumtionis dies*) Dies, quum temporis ſpatium ſignificat, latine ſingulari numero dicitur, hebraice plurali. Hac de cauſſa, quod hic plurali numero dixit Lucas τὰς ἡμέρας, ego per ſingularem reddidi: quod et alibi feci.

CAP. X. v. 9. *Ad eos diuinum regnum veniſſe*) ἐγγίζειν in præterito ſignificat aliquando veniſſe, vt Lament. 4. Itaque quod eſt hic ἤγγικε, idem eſt cap. 11. ἔφθασε, hoc modo: ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ: et cap. 12. ἐγγίζειν accedere eſt.

CAP. XII. v. 3. *Quidquid in tenebris dixeritis*) εἴπατε præteritum indicatiui, pro futuro coniunctiui, more Hebræorum, qui coniunctiuo carent, et pro eo vtuntur indicatiuo: vt in Geneſ. 4. indicauimus.

20. *Quæ vero paraſti, cuius erunt?*) τίνι ἔσται, hebraiſmus eſt, pro τίνος ἔσται, למה יהיו. Nam apud Hebræos littera ל non ſolum datiui, ſed etiam genitiui articulus eſt.

29. *Neue pendete*) μετεωρίζεσθαι eſt ſublimem eſſe, vt ſunt nubes, et volantes aues. Iam quæ ſunt in ſublimi, ea nullo firmo ſolo et fundamento nixa, nutant et agitantur: hinc fit, vt id verbum dubitare, et incertum atque anxium eſſe ſignificet: quo ſenſu Latini pendere proprie dicunt. In eadem notione dixit Demoſthenes ἄνω καθῆσθαι, in oratione de corona.

50. *Vehementer angor*) πῶς a מה non ſemper interrogantis eſt, (vt etiam alibi de מי et הלא docuimus) ſed etiam ſine interrogatione augentis, vt latine quam: vt Prouerb. 16. מה טוב, multo melius: et alibi ſæpe. Atque eodem modo vtuntur πῶς, etiam auctores profani.

57. *Cur ex vobis ipſis non iudicatis ex æquo?*) Cur non voſipſos imitamini, et quam in humanis litibus adhibetis prudentiam, eadem in diuinis vtimini? Soletis cum aduerſario potius componere, quam ad iudicem venire, qui ſeuerius ſit iudicaturus. Quum igitur videre poſſitis ex his quæ fiunt, inſtare Dei iudicium, cur non reditis ad frugem, dum licet? Nam ad iudicem quum ventum erit, ſera erit pœnitentia. Quod autem dicit, Da operam: non præcipit, quomodo ſit in litibus agendum: nam ea in re ſatis ſapiunt homines. Sicut quum Matth. 23. dicit: Phariſæe cæce, purga prius interiora poculi et ſcutellæ, vt eorum exteriora quoque pura ſint: non docet, quomodo lauanda ſint pocula, nam id ſatis ſciebant illi: ſed perinde eſt ac ſi dicat, vt qui calicem exterius, non interius purgat, inepte facit: ita

vos præpoſtere facitis, qui in paruis religioſi, in magnis eſtis diſſoluti. Sic hoc loco Chriſtus docet, quod fit in litibus, id faciendum eſſe in regni cæleſtis negotio: ſed id per imperatiuum breuius docet.

CAP. XIII. v. 9. *Si forte fructum edat: ſin minus*) Græce eſt ad verbum, Et ſi quidem fructum ediderit, ſin minus: eadem prorſus, ſed curta ſententia; ſic tamen, vt in ea facile aliquid tacitum intelligas, Recte eſt, aut (vt Cato loquitur) optime eſt. Talis eſt apud Platonem libro de Legibus nono, καὶ ἐὰν μέν σοι δρῶντι ταῦτα λωφᾷ τι τὸ νόσημα· εἰ δὲ μή, καλλίω θάνατον σκεψάμενος, ἀπαλλάττου τοῦ βίου. Et ſi quidem tibi hæc facienti nonnihil mitigabitur morbus: ſin minus, elige meliorem mortem, et ex vita diſcede. Sed de hoc loquendi modo plura ſcripſit Budæus in Pandect.

25. *Poſtquam intrauerit paterſamilias*) In græco eſt ἐγέρθῃ, ſurrexit: ſed parum quadrat: non enim de iacente, aut dormiente patrefamilias loquitur, ſed de eo qui foris intrat. Deinde, qui ſurrexit, non claudit fores, ſed potius aperit, quum eæ ante cubatum claudi ſoleant. His de cauſſis veterem ſecutus ſum interpretem, qui vertit intrauerit, vnde legiſſe videtur εἰσέλθῃ.

CAP. XIIII. v. 14. *Reddetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum*) Vt ambulatio, cœnatio, geſtatio, non actionem ſemper ſignificant, ſed locum vbi ambuletur, cœnetur, cet. ſic hoc loco (vt et alibi) reſurrectio non reſurgendi actionem declarat, ſed eum vitæ ſtatum, qui futurus eſt, quum reſurrexerint boni.

CAP. XV. v. 22. *Proferte priorem ſtolam*) τὴν στολὴν τὴν πρώτην. Articulus oſtendit, eum non de quauis ſtola loqui, ſed de certa: vt paullo poſt, τὸν μόσχον τὸν σιτευτόν, de certo vitulo loquitur. Sed articuli vis illa latine exprimi non poteſt, et tamen intelligitur: vt quum dicimus, Ait poeta, φησὶν ὁ ποιητής: non de quouis loquimur, ſed de certo et celeberrimo, ſcilicet Marone: et tamen non neceſſe eſt dicere, Ait ille poeta: nam id minus eſſet, et de alio poſſet intelligi. Itidem quum dicebant Vrbem antiqui, Romam dicebant (τὴν πόλιν) nec tamen addebant illam: nam id quiddam aliud eſſet. Sed quæ linguæ articulos habent, hoc melius exprimunt.

CAP. XVI. v. 8. *Homines lucis*) Durum fortaſſe videbitur: qualia ſunt et illa, Spiritus debilitatis, ſpiritus conſolationis, ſed et Latini ſic loquuntur, vt quum Amorem vocant deum pacis. Item quum dicunt hominem trium litterarum, et hominem paucorum, υἱὸς autem pro hominibus dici, alibi docuimus.

CAP. XIIX. v. 5. *Ne me adſidue ventitans obtundat*) εἰς τέλος eſt לנצח. ὑπωπιάζειν eſt ſuggillare: ſed non ad famam et ignominiam refertur, (quum ille homines non reuereretur, ideoque nullam famæ rationem haberet, id quod verbo ἐντρέπεσθαι ſignificatur) ſed ad illud, Ne mihi negotium faceſſat, ne adſiduitate et improbitate ſua me quaſi feriens obtundat.

7. *Et tam erit in eos difficilis*) μακροθυμῶν legitur: μακροθυμεῖ legit Chryſoſtomus: μακροθυμήσει legiſſe videtur interpres vetus, qui vertit, patientiam habebit. Atque hæc lectio magis conuenit verbo ποιήσει, vt coniunctio καὶ futurum verbum cum futuro coniungat. Quamquam vtrum legas, manet eadem ſententia. Eſt autem μακροθυμεῖν, patien-

patientem et tolerantem eſſe, vt ſit hæc ſententia: Eritne nam patiens Deus, tam durus et inexorabilis, vt ſe potius ſuorum precibus obtundi patiatur, quam eos cito vlciſcatur?

30. *Sæpe conduplicata*) πολλαπλασίονα, multecupla, vt ita dicam. Itaque ſi interpretere, Multo plura, non ſatis verbi vim exprimes. Qui enim pro centum conſequitur centum ſeptuaginta, is multo plura conſequitur, nec tamen πολλαπλασίονα. Itaque dixit Matthæus, ἑκατονταπλασίονα.

CAP. XIX. v. 2. *Quidam vir, qui nomine Zachæus vocabatur*) Quod dicturus ſum, id notius putaſſem, quam vt memorandum eſſet: niſi vidiſſem in eo quosdam labi, qui putent Zachæum non fuiſſe Iſraelitam: opinor, quoniam publicanus erat, quaſi vero non et Matthæus publicanus eſſet. Certe Iudæum fuiſſe Zachæum, multa ſunt quæ fateri cogant: primum, quod eius nomen hebræum eſt. Deinde, quod contra Ieſum non eo fremunt Iudæi, quod ad Romanum aut Barbarum, ſed quod ad famoſum diuertiſſet: non prætermiſſuri profecto, ſi Zachæus non Iudæus fuiſſet. Tertio, quod ſe dicit Zachæus reddere quadruplum: id quod ex Moſe didicerat, tametſi et Romanus idem in Iudæa diſcere potuiſſet: ſed illud vero propius eſt. Quarto, quod eum dicit Ieſus Abrahamidem, ſiue Abrahamo prognatum eſſe. Id enim ſignificat υἱὸς ἀβραάμ, id quod de Zachæo, non de domo dicitur; nam hoc durum, et contra loquendi conſuetudinem eſſet. Nec obeſt, quod perſonæ ſit mutatio: eſt enim oratio oblique reddenda, id quod indicat vox ὅτι: quæ etiamſi abeſſet, tamen non eſſet abſurdum, perſonam mutari, quum Chriſtus non ſolum Zachæum adloquatur, ſed etiam alios qui aderant: id quod apparet ex eo quod ſequitur, *Illis autem hæc audientibus*; et ſolet alioquin ſæpe perſonæ fieri mutatio. Nec placet, quod Abrahamidem ideo vocari putant, quod Chriſto fidem haberet: nam id eſſet inſolentius obſcuriusque dictum, quam vt eo tempore ab illo poſſet intelligi. Sed Abrahamidem vocat hominem Iudæum: cui ideo ſalus adlata ſit, quod eſſet Abrahamo (cui ſalus promiſſa fuerat) prognatus. Quemadmodum Lucæ 13. dicit Chriſtus, ſanandam fuiſſe illam feminam incuruam, quæ Abrahamo prognata foret. Itaque bene hunc locum vetus reddiderat interpres.

CAP. XXII. v. 25. *Quique eis imperant, gubernatores appellantur*) גדו בים, qui in ſacris litteris εὐεργέται dici ſolent, ſunt duces, gubernatores, principes. Itaque idem eſt, οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν εὐεργέται καλοῦνται, ac ſi iisdem prioris membri verbis vſus eſſet hoc pacto, οἱ κυριεύοντες τῶν ἐθνῶν βασιλεῖς καλοῦνται. Eſt autem hæc ſententia: Inter gentes vt quisque plurimum opibus valet, ita maxime rex eſt, et potentiſſimus quisque facillime principis nomen obtinet.

26. *Perinde ſit ac minimus*) νεώτερος opponit μείζων, a צעיר, quod non ætatis, ſed rei eſt: et tamen ideo ætatis eſſe poteſt, quod ætas magnitudinem addit.

36. *At nunc qui crumenam habet, adhibeat*) His verbis inſtare aduerſa et pericula oſtendit, ad quæ ſolent crumenæ et gladii adhiberi. Hoc pacto loquitur Ieremias cap. 9. Videte vt euocandas præficas, ſapientesque arceſſendas curetis, quæ næniam de nobis editum propere veniant. Non enim iubet Vates præficas arceſſi: ſed luctum inſtare docet, ad quem

quem ſolent adhiberi præficæ. Quod autem dicit Chriſtus, duos gladios eſſe ſatis, ſic loquitur, vt ſi quis pater dicat emendam eſſe domum: et filius ignarus, ad eam rem dicat habere ſe duos teruncios: tum pater reſpondeat, Satis eſt: hoc eſt, ſcilicet duobus terunciis poteſt emi domus; nec eſt quod quisquam hanc interpretationem reiiciat, quaſi aliena ſit a Chriſto Ironia; nam et alibi eadem figura vtitur, vt Matth. 26. et Marc. 14. Dormite iam et requieſcite; et Marci 7. probe Dei præceptum antiquatis.

CAP. XXIII. v. 54. *Erat autem ea dies præparatio, qua ſabbatum illuceſcebat*) Quid ſit illuceſcere ſabbatum, itemque alia multa ſuper hoc et ſequenti capite, vide Oſiandrum.

EVANGELIVM AVCTORE IOANNE.

IN TOTVM IOANNEM ARGVMENTVM COSMAE INDICOPLEVSTI.

Hic Theologus Ioannes, princeps Euangeliſtarum, qui præ omnibus dilectus eſt a Chriſto, qui in eius pectore recubuit: qui denique inde, tamquam ex perpetuo fonte, myſteria Dei hauſit. Huic igitur in Epheſo agenti, exhibiti ſunt a fidelibus reliquorum trium Euangeliſtarum libri: quos quum perlegiſſet, vere quidem illos eſſe conſcriptos reſpondit, ſed tamen quædam eſſe omiſſa, quæ neceſſe ſit ſimul recenſere. Exoratus igitur a fidelibus, edidit et ipſe ſuum opus, quod aliquo modo eſt quaſi ſupplementum prætermiſſorum: vt ſunt de nuptiis in Cana, de Nicodemo, de Samaritana, de Regio, de cæco nato, de Lazaro, de Iudæ indignatione ob eam quæ inunxerat Dominum unguento, de accedentibus Græcis, de lotione pedum, et de documentis interſertis, de paracleto: et præſertim de diuinitate Chriſti luculenter prædicans, id ceu fundamentum ſui operis præpoſuit. Quæ quidem omnia ab aliis prætermiſſa fuerant. Incipiens igitur a diuinitate Chriſti, mox etiam ad eius humanitatem peruenit, progrediendo ac narrando, quæ etiam alii dixerant, videlicet baptiſmum, colaphos, mortem et reſurrectionem. Poſtquam addit, quæ poſt reſurrectionem Dominus fecerit, vt quomodo per clauſum oſtium introiuerit, quomodo oſtenderit pedes, manus ac latus perfoſſum, quomodo cum Apoſtolis ederit ac biberit, quomodo cum eis ambulauerit, quomodo item eorum oculos tenuerit ne eum agnoſcerent: quum voluit denſum, adſuit denſum, rurſusque remittebatur. Qua item profunda eruditione dixerit Mariæ: Ne me attigeris, docens per hæc, quod immortalium commoratio non congruat cum mortalibus, ſed immortalium commoratio ſit potius in cælis. Ideo etiam ei præcipit, vt abeat et dicat diſcipulis, quod adſcendam

in

in cælos, quo et vos peruenturi ſitis. Hæc omnia quum perfeciſſet, etiam ipſe abſoluit ſuum opus, eumdem ſcopum cum aliis Euangeliſtis babens: vt nempe doceat, quod ex hac vita oporteat cupide reſpicere in illam venturam beatitudinem. Ad quem ſcopum tota vetus ſimul et noua Scriptura reſpicit.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 14. *Gratiæ veritatiſque plenus*) Hoc a fine ſententiæ hic perſpicuitatis cauſſa transtuli, id quod et in vetere et in nouo fœdere ſæpe faciendum eſſe deprehendi; vt Ioan. 17. Illuſtra me tu pater gloria, qua præditus eram, antequam mundus eſſet apud te. Sic enim ad verbum legitur: et videtur Apud te, ad Mundum referri, quum ſit coniungendum cum Præditus eram, et eo tranſferendum, Qua apud te præditus eram. Item Apocal. 13. Quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ agni mactati ab orbe condito: vbi Ab orbe condito referendum videtur ad, Scripta non ſunt, non ad Mactati. Talem figuram reperies et Geneſ. 25. de Ismaelis morte.

Eiuſque ſplendorem) δόξα hebraice כבר dicitur, quod verbum non ſolum gloriam, ſed etiam ſplendorem declarat. Atque ita poſitum eſt verbum δόξα quum alibi, tum Luc. 2. et Act. 22. Latine ſplendorem dicere (quum hoc verbum vtramque rem Latinis indicet) et aliis locis licet, et in hoc huiuſque ſimilibus neceſſe eſt. Loquitur enim de illo Chriſti ſplendore, quem ipſe huius libri auctor vna cum aliis vidit in Chriſti transfiguratione.

Vt vnigenæ a patre ſplendorem) Vt, non ſemper ſimilitudinis eſt: vt ſi dicas, Obiurgaui filium meum, vt pater: hoc eſt, vt me decet, et pro mea auctoritate, qui ſim pater. Sic hoc loco dicitur ſplendor vt vnigenæ, hoc eſt, vnico Dei filio dignus.

16. *Et gratiam pro gratia*) Hoc eſt, aliam gratiam pro alia: quale eſt illud Iob. 1. Pellem pro pelle, ſcilicet aliam pro ſua: et clauum clauo, ſcilicet alium alio: et Legitque virum vir, cet. Gratiam autem vocat beneficium, vt etiam latine dicitur: et eſt hæc ſententia: Quod a Moſe lata lex eſt, id diuini beneficii fuit. Pro eo beneficio (quoniam alioquin nobis vſui eſſe non poterat) aliud beneficium et gratia nobis per Chriſtum confertur: et quidem ea gratia, quæ eſt vere gratia nominanda. Hoc enim eſt quod dicit, Gratia et veritas. Nec enim Moſes non verum tradidit. Sed Ioannes hoc loco veritatem vocat rem ipſam: vt ſit gratia et veritas, gratia quæ re ipſa et vere gratia eſt. Sic Cicero pro Q. Roſcio dicit, Quod eſt veritate falſum: hoc eſt, reipſa. Hoc pacto loquitur Ieſus infra 6. quum negat a Moſe mannam fuiſſe datam Iſraelitis: hoc eſt, negat illam mannam fuiſſe veram mannam.

21. *Elias es tu? Non ſum. Vates es tu? Non*) Quod erat oraculis prædictum, venturum eſſe Eliam, antequam veniret Meſſias: id ita erat intelligendum, venturum eſſe vatem Eliæ ſimilem, et Eliano ſpiritu præditum. Sicuti quæ in Apocalypſi de Babylone dicuntur, non de illa Babylone Chaldæorum intelligenda ſunt. Quale eſt illud Maronis, Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles: hoc eſt, Erunt adhuc bella et heroes, quale

fuit

fuit Troianum, et Achilles. At Iudæi putabant ipſum Eliam venturum: itaque recte ſe eum eſſe negat Ioannes. Quod autem etiam vatem ſe eſſe negat, ſunt qui putent intelligendum eſſe de vate a Deo per Moſem promiſſo, hoc eſt, de Chriſto: idque propter articulum, quod non προφήτης, ſed ὁ προφήτης dicatur. Sed quum ante de Chriſto interrogauerint, id eſſet ſuperuacaneum: niſi forte alium putabant fore vatem illum, quam Meſſiam. Sed ſi ita putarent, adderent profecto aliam interrogationem: Si vates ille non es, es ne alius vates? id quod non faciunt: ſed ita concludunt: Quid ergo lauas, ſi neque Chriſtus es, nec Elias, nec vates? idque colligunt ex eius reſponſis, non habentes amplius quod nominent. Itaque hoc poſteriore loco non additur articulus, tametſi in quibusdam exemplaribus additur: ſed videntur, qui addunt, ſecuti eſſe Theophylacti auctoritatem, qui ſe addidiſſe teſtatur. Ego neque in priore detrahendum, neque in poſteriore addendum puto: ſed idem eſſe illic, ὁ προφήτης quod hic προφήτης: quoniam auctores ſacri in græco ſermone ſæpe articulum addunt ſuperuacaneum, vt Apoc. 3. οὐκ οἶδας, ὅτι εἶ ὁ ταλαίπωρος. Cuius rei cauſſa eſt, quod habent Hebræi duos articulos: quorum vnus, qui eſt ה, ſæpe cum aliis coniungitur, et tamen græce declarari non poteſt: vt, Creauit Deus אתהשמים ואת הארץ: hic vides duos articulos, quorum prior את græce declaratur, τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν: ſed alter exprimi non poteſt. At hi auctores, qui ſæpe in græco ſermone hebraiſant, eum exprimere conantur. Itaque qui hebraice dicitur הנביא eum Ioannes, vt articulum exprimat, ſic appellat, ὁ προφήτης: quamquam ה per ὁ aliquando exprimi poteſt. Sed id quando faciendum ſit, ex ſententia coniiciendum eſt. Hoc autem loco germanice et gallice et italice articulus vel omitti poteſt, vel ſic exprimi: Ein prophet, un prophete, uno propheta, ſi græcum articulum omittas. Sin autem addas, et proprie loquaris, ὁ προφήτης erit, Der prophet, le prophete, el propheta: qua de re nonnihil Luc. 15. ſcripſimus. Et hæc de verbo, Quod ad ſententiam attinet, non ſe negat eſſe vatem Ioannes: erat enim vates: ſed ita loquitur, vt ſi Perſarum regem ita roges, Es ne rex? Non ſum. Quid ergo? Regum rex: non ſe neget eſſe regem. Atque hoc pacto loquitur Deus Num. 11. Dabit vobis Ioua carnem, inquit, quam comedatis: et comedatis non vno die, non duobus, non quinque, non decem, non viginti, ſed ad menſtruam diem. Non negat comeſuros eſſe vno die, aut duobus, cet. ſed plus dicit. Tale eſt quod dicimus, Non ſemel: hoc eſt, plusquam ſemel. Sic hoc loco Ioannes ſe non vatem, ſed maximum vatem, et (vt Ieſus de ipſo loquitur) plusquam vatem eſſe oſtendit. Atque ita eſſe, apparet ex eo quod dicit, *Ego ſum vox in ſolitudine clamantis, Corrigite Domini viam.*) Nam id eſſe vatis officium, apparet ex eius patris Zachariæ carmine, vbi ſic legitur: Et tu puer Supremi vates vocabere. Subiicitur deinde ratio: Præibis enim Domino, paratum vias eius, cet.

31. *Equidem eum non noueram*) Sciebat Ioannes Meſſiam eſſe natum, et ſe ei præmiſſum: alioquin ignoraret ſuum ipſe munus, et Zachariæ patris ſui carmen. Sciebat etiam ſuum eſſe cognatum, ex Maria natum, quippe quem iam in vtero matris agnouiſſet. Quod ſi vel non agnouerat in vtero, vel poſtea per ætatem oblitus fuerat: at certe id a parentibus aut aliis didicerat, nec poterat tantam, tam recentem, tam ſibi cognatam coniunctamque rem ignorare. Sed quum vna cum Ieſu non vixiſſet, eum de facie non nouerat. Verum quum primum venientem vidit, agnouit, videlicet adflatus diui-

diuinitus, quemadmodum eius mater Eliſabetha Mariam Domino eſſe grauidam eius aduentu intellexerat: id quod ex eo patet, quod dicit ſe ab eo debere lauari. Acceſſit deinde ad hanc diuinitus inſpiratam cognitionem, etiam ſpiritus in Ieſum columbæ forma delatus, quibus rebus Ieſum Ioannes agnouit. Itaque quod dicit eum ſibi non fuiſſe notum, intelligendum eſt de facie, idque antequam ille ad eum lauandus veniſſet.

CAP. II. v. 4. *Quid tum poſtea?*) Ad verbum, Quid mihi et tibi? quæ ſane loquendi ratio aliquando ſic vertenda eſt: Quid mihi tecum rei eſt? nonnumquam, vt nos interpretati ſumus: vt 2. Reg. 16. vbi ſic ad verbum legitur: Quid mihi et vobis filii Saruiæ, ſi conuiciatur? cet. vbi inepta erit ſententia, ſi ſic vertas: Quid mihi vobiſcum rei eſt, ſi conuiciatur? At ſi ſic, Quid tum poſtea, ſi conuiciatur? erit aptiſſima. Aliquando eſt, Quid iſtud? vt 4. Reg. 17.

CAP. III. v. 1. *Nicodemus Iudæorum primarius*) Tota hæc Nicodemi et Ieſu collocatio obſcura et abrupta eſt. Eam quia in Dialogis ſacris fuſius explicaui, hic ſuperſedeo.

29. *Voluptatem ex ſponſi voce capit*) χαρᾷ χαίρει, gaudio gaudet: ſi ad verbum vertas, quomodo locutus eſt Plautus. Sed id mihi nimis Plautinum viſum eſt, ſignificat autem nihil aliud, quam gaudet: vt vitam viuere, et ſeruitutem ſeruire, nihil aliud eſt quam viuere, et ſeruire. Sed licet huiusmodi hebraiſmos ita explicare, vt quod eſt morte mori, dicamus mortem oppetere: cupiditate cupere, cupiditate duci aut teneri: aut ſi res ita ferat, vno verbo, quæ erant duobus dicta, reddamus.

31. *Terreſtria loquitur*) ἐκ τῆς γῆς, pro τὰ τῆς γῆς: quem hebraiſmum oſtendimus in Pſal. 68.

CAP. IIII. v. 36. *Et meſſor mercedem accipit, et ſator fructum congerit*) In græco deeſt vox Sator: quæ ideo ſubiicienda eſt, quod non meſſoris eſt, ſed ſatoris fructum percipere. Adde quod ſequitur, *Vt et ſator ſimul gaudeat, et meſſor:* ſator ſcilicet fructu percipiendo, meſſor autem mercede: id quod intelligi non poteſt, niſi ſatoris nomen ex orationis concluſione, intelligas etiam in propoſitione. Huiusmodi curtæ ſententiæ exſtant etiam in profanis litteris: vt 1. Tim. 4. Deo volente monſtrabimus.

CAP. V. v. 2. *Apud ouiaricam piſcinam*) κολυμβήθρᾳ in datiuo duas ob cauſſas lego: primum, quod προβατικῇ ſine ſubſtantiuo non bene poneretur: deinde, quod piſcina diceretur Betheſda, quod verbum non piſcinam, ſed domum ſonat: eſt enim a beth et heſed deductum verbum: hoc eſt, domus benignitatis, in qua benigne fit pauperibus, quæ πτωχοδοχεῖον dicitur.

CAP. VI. v. 62. *Quid ſi videritis filium hominis eo adſcendentem, vbi erat antea?*) Vobis abſurdum videtur, inquit, quod dixi meam carnem comedendam, ſanguinemque bibendum, ei qui ſaluus eſſe velit. Atqui id tum multo abſurdius videbitur, quum in cælum (id quod vobis ſpectantibus facturus ſum) adſcendero. Sic enim tum dicere licebit: Iuſſit ſuum corpus comedi Chriſtus, et tamen in cælum adſcendit. Quomodo nunc id comedemus in terris, quod in cælo ſit? O tardi: facit iſta tarditas, vt mea verba abſurda eſſe videantur, quum non ſint. Nam caro quidem nihil prodeſt: non enim comedetur, ſed in crucem veſtra cauſſa tolletur, mortuaque reſurget, et in cælum adſcendet: Sed quia veſtra cauſſa cruci-

Digitized by Google

crucifigetur, atque hac ratione vobis vita conferetur, dixi eam vobis eſſe comedendam, quæ mea verba ſpiritus et vita ſunt: hoc eſt, meus de vita per carnem meam conſequenda ſermo ſpiritualis eſt: nam et meum regnum ſpirituale eſt. Sed quia vos homines mortales adloquor, humano more loquor: et quum indicare volo, me vobis eſſe vitam daturum, dico meam carnem vobis eſſe comedendam, ſanguinemque bibendum: quoniam mea caro et ſanguis ob conferendam vobis vitam pœnas dabunt: vt comedere me, conueniat cum eo quod ſupra dixi, *Ego ſum panis vitalis: qui venit ad me, numquam eſuriet: et qui mihi fidem habet, numquam ſitiet.* Vide 1. Par. 11. quod ad ſanguinem bibendum attinet.

CAP. VIII. v. 44. *Vt qui ſit mendax, mendaciique pater*) Ad verbum ſic legitur, Vt qui ſit mendax, et eius pater: quæ oratio reſoluenda eſt, quomodo illa apud Ezechielem cap. 33. vbi ſic ad verbum legitur, Et iuſtus non poterit viuere per eam, ſi peccauerit: ſcilicet per iuſtitiam, quæ in iuſti nomine intelligitur: eſt enim iuſtus is, in quo ineſt iuſtitia: vt ſic orationem reſoluamus: Is in quo ineſt iuſtitia, non poterit viuere per eam. Et Prouerb. 14. In Iouæ metu tuta eſt potentia, eiusque filiis erit perfugium: eius ſcilicet, Iouam metuentis. Hoc pacto hanc orationem reſoluemus: In diabolo ineſt mendacium, isque mendacii pater. Nec obſtat, quod patris nomini additur articulus ὁ: nam et eum aliquando ſuperuacaneum eſſe alibi oſtendimus: et hoc loco poteſt nullo diſcrimine vel adhiberi, vel adimi: quemadmodum gallice vtrumque dici poteſt, Il eſt le pere, aut, Il eſt pere de menſonge. Ab hac loquendi ratione non abhorret quod eſt apud Plinium lib. 28. cap. 9. de lacte: Stomacho, inquit, accommodatiſſimum caprinum, quoniam fronde magis quam herba veſcuntur: ſcilicet capræ, quæ in voce Caprinum intelliguntur: vt ſit lac caprinum, lac caprarum, quæ capræ, cet.

58. *Antequam Abrahamus eſſet, ego ſum*) Quod verbo præſentis temporis vtitur, ſignificat continuationem: vt capite decimoquarto, Tamdiu vobiscum ſum: hoc eſt, fui et ſum: quod vtrumque præterito tempore non declararetur. Sic latine, Iam quatuor dies ægrotat.

CAP. IX. v. 39. *Ad eiusmodi diſcrimen ego, cet.*) κρίνειν eſt aliquando, cum ratione et delectu diſcernere: vt ſupra cap. 8. Multa habeo de vobis λέγειν καὶ κρίνειν: hoc eſt, λέγειν μετὰ κρίματος, dicere cum iudicio ac ratione. Atque hoc modo loquimur latine, quum aliquid dicimus nullo iudicio factum, hoc eſt, imprudenter, et abſque delectu ac ratione. Sed hoc loco quoniam iudicii vocabulum parum quadraret, Diſcrimen reddidi.

CAP. XIII. v. 31. *Nunc filius hominis illuſtratur*) ἐδοξάσθη præteriti temporis eſt, quod hebræo more pro præſenti ſubinde ponitur: cuius exempla quoniam infinita ſunt, adducere non eſt opus. Hoc etiam apud Latinos fieri in nonnullis verbis videmus, memini, noui; item in aliis, Profuit id facere: pro prodeſt, aut prodeſſe ſolet. Atque vt ſemel hoc admoneam, tempus pro tempore poni, in his libris eſt vſitatiſſimum.

CAP. XVIII. v. 1. *Trans torrentem Cedronem*) Quum Cedron ſit hebræum nomen ſingularis numeri, aut articulus τῶν ſuperuacaneus eſt, aut τοῦ legendum eſt: quod facile potuit ab aliquo græculo deprauari, qui quum κέδρων cedros eſſe putaret (vt eſſet, ſi vox græca foret) voluit ſolœciſmum euitare, et ex τοῦ κέδρων fecit τῶν κεδρῶν. Video enim quædam huiuscemodi ignoratione hebraicæ linguæ fieri: vt in Ieruſalem

et

et Ierubaal, quæ verba græca arbitrati Græci, fecerunt ἱεροσόλυμα et ἱεροβαάλ, quaſi παρὰ τὸ ἱερὸν ducta forent; vnde factum eſt, vt quum ea apud Hebræos non adſpirentur, apud Græcos, et porro apud Latinos adſpirentur. Hæc ego non mutandi, ſed indicandi cauſſa dico; nam vtrum huiusmodi nomina adſpires, an non adſpires, nihil referre arbitror.

CAP. XXI. v. 5. *Iuuenes, numquid edulii?* cet.) παιδία vocat, quod Hebræi נערים quod vocabulum puerorum eſt et iuuenum commune: ſicuti gallicum, enfans.

8. *Trahentes rete piſcium*) Hoc eſt, in quo piſces erant: eo modo dictum, quo dixit Cicero ſcutellam dulciculæ potionis, et calicem mulſi.

ACTA APOSTOLORVM.

ARGVMENTVM ATHANASII IN ACTA APOSTOLORVM.

Hoc nomine vocatur hic liber, propterea quod ſimul cum aliis etiam Apoſtolorum acta continet. Qui vero illa exponit, Lucas eſt euangeliſta, qui et librum hunc conſcripſit. Eſt enim vna cum Apoſtolis peregrinatus, et maxime cum Paulo: et quæ exacte cognouit, litteris mandauit. Narrat autem hoc libro, quomodo angelorum myſterio Dominus adſumtus ſit: effuſionem Spiritus ſancti in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos, et omnes eos qui tum præſentes erant, factam: conſtitutionem Matthiæ in locum Iudæ proditoris, et deſignationem ſeptem diaconorum, ac Pauli electionem, et quæcumque ille paſſus eſt, et quomodo tandem Romam cum illo profectus ſit. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt iſta: Primus, Simon, qui vocatur Petrus. Deinde, Iacobus filius Zebedæi, et Ioannes frater eius, Andreas frater Petri, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus. Iacobus filius Alphæi, Simon Zelotes, Iudas Iacobi, qui et Thaddæus dicitur, et Iudas Iſcariotes, qui prodidit Dominum. Sed in huius locum, poſtquam Dominum prodiderat ac perierat, conſtitutus eſt ab Apoſtolis Matthias, et connumeratus cum vndecim reliquis, duodecimus deinde vocatus eſt: et Paulus inſtrumentum electum, miſſusque et ipſe cum Barnaba ad prædicandum Euangelium Domini gentibus circumquaque. Poſtea conſtituti ſunt et ſeptem diaconi ab Apoſtolis, quorum hæc ſunt nomina: Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenias et Nicolaus. Horum itaque Apoſtolorum et diaconorum acta exponit Lucas, et quæ ab illis edita ſunt ſigna, quæ iſta ſunt: Petrus et Ioannes claudum ex natiuitate, in porta ſpecioſa ſedentem, in nomine Domini curarunt. Petrus Ananiam

niam et Saphiram vxorem eius coarguit, quod ſuſſurati fuerant de pretio agri, et promiſsionem erga Deum factam defraudarant, ob quam cauſſam et e veſtigio mortui ſunt. Petrus Dorcada, vita defunctam in Ioppe precibus ſuis e mortuis excitauit. Petrus vas plenum omnis generis animantibus, cælitus demiſſum vidit. Vmbra Petri, ægrotos quos contingebat, ſanauit. Petrus quum in carcere ligatus ſeruaretur, per angelum, inſciis militibus, liberatus eſt. Et Herodes vermium eſca factus, exſpirauit. Stephanus prodigia fecit, et ſigna. Philippus eunuchum, Eſaiæ prophetiam legentem acceſſit, et baptizauit. Idem Philippus multos malos ſpiritus in Samaria eiecit, et claudi ab illo ac paralytici curati ſunt. Paulus quum appropinquaret Damaſco, viſionem vidit, et mox Euangelii præco factus eſt. Paulus quum eſſent Lyſtris, Aeneam ex vtero claudum, in nomine Domini curauit. Paulus per viſionem in Macedoniam vocatus eſt. Paulus mulierem habentem ſpiritum Pythonicum purgauit. Paulus et Silas Philippis in cuſtodiam coniecti, et pedes eorum ligno conſtricti ſunt. In medio autem noctis terræ motus factus eſt, et ſoluta ſunt eorum vincula. A corpore Pauli ſumta ſunt ſudaria, quæ ægrotis ac dæmoniacis impoſita curationem attulerunt. Paulus in Troade conſtitutus Eutychum e feneſtra prolapſum ac mortuum excitauit, dicens: Anima eius in ipſo eſt. Paulus in Cypro magum Elymam compeſcuit, qui et cæcus effectus eſt. Paulus quum Romam nauigaret, tempeſtate iactatus eſt ipſe, et quotquot cum illo in naui erant, noctes ac dies quatuordecim. Et quum vniuerſi mortem exſpectarent, adſtitit Paulo Dominus, dicens: Propter te largitus ſum iſtis quos tecum habes, vt viuant, atque ita ſeruati ſunt. Paulum quum e naui egreſſus eſſet, vipera momordit, putatumque eſt ab omnibus, quod moriturus eſſet: quum vero illæſus permaneret, arbitrati ſunt eum eſſe deum quemdam. Patrem Publii in inſula dyſenteria laborantem, impoſitis manibus ſanitati reſtituit Paulus, et ſimul alios multos in eadem inſula ægrotos curauit.

IN ACTA APOSTOLORVM.

Quoniam etiam acta pro geſtis latine interdum dicuntur, et hoc nomine liber hic vulgo citari ſolet, nolui mutare titulum.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 1. *Quæ Ieſus et facere et docere inſtitit*) Ad verbum, Quæ Ieſus cœpit facere et docere: hoc eſt, quæ fecit et docuit. Vt 4. Eſd. 4. Quam magnam aream incipient facere? et 6. Cœperunt dominari noſtri; et 9. Inchoaui dicere coram altiſſimo; et, Initium verborum Eſdræ: hoc eſt, Sequuntur verba Eſdræ, quorum initium hoc erit. Tale videtur illud Marc. 1. Initium Euangelii.

CAP. II. v. 3. *Quædam quaſi ignis linguæ*) Mollius eſſet, Igneæ linguæ: ſed

ſed quia verbum ſequens, quod ad ignem refertur, eſt ſingularis numeri, ſi dixiſſem Igneæ, aut inſederunt fuiſſet dicendum, aut Inſedit ad nomen ignis referendum, quod in Igneæ tacite ſubeſſet: quomodo in Ioanne dicitur diabolus mendax, et eius pater, ſcilicet mendacii. Sic hoc loco dictum eſſet, Igneæ linguæ qui inſedit, ſcilicet ignis: ſed id obſcurius eſſet.

4. *Et diuerſis loqui linguis cœperunt*) Hoc loco tenere me nequeo, quin eos redarguam, qui putant diſcipulos ſua lingua locutos: ſed miraculo factum, vt nemo non intelligeret, perinde ac ſi ſuam quisque linguam audiret. Vt ſi diceret diſcipulus, verbi gratia, elohim, audiret alius σιὸς, alius θεὸς, alius Gott, alius Deus, alius dieu, alius dio. Qui ita dicunt, quæſo quid aliud dicunt, quam mentitum eſſe Lucam, qui diſertis verbis dicat, eos loqui diuerſis linguis? id quod fore promiſerat Chriſtus? At id non eſſet loqui linguis, ſed lingua: et tamen ſubditur, *Prout eis ſpiritus fari dabat.* Quid eſt fari? eſtne idem quod audiri? Deinde non eſſet in loquentibus miraculum, ſed in auditoribus. Itaque non eſſent ebrietatis accuſandi loquentes, ſed Iudæi, qui ea audirent quæ non dicerentur. Præterea mentitus eſſet Paulus 1. Corinth. 14. qui dicit: Qui lingua (ſcilicet peregrina) loquitur, non homines adloquitur, ſed Deum: nemo enim audit, hoc eſt, intelligit. Huic enim reſponderi poſſet, audire omnes ſuum vernaculum ſermonem, nec vlla opus eſſe interpretatione, quam tamen adhiberi iubet. Linguam enim diuinitus inſpiratam (de cuiusmodi loquitur) ab omnibus intelligi. Ad hæc imperfectum mancumque foret hoc diſcipulis tributum munus: minusque eis, quam auditoribus, datum eſſet. Non enim tantum loquendum erat, ſed audiendi etiam, qui interrogare colloquique vellent. Quod ſi Petrus (exempli cauſſa) cum aliquo Partho colloqueretur, Parthus Petrum intelligeret. Quid Petrus, Parthum non intelligeret. Quomodo ergo interroganti Partho reſponderet? Neceſſe eſſet, vt aut Parthus hebraice loqueretur, (ita Parthus, non Petrus, linguam ex tempore didiciſſet) aut Petrus parthice loquentem intelligeret: ita fieret, vt Petrus parthice et ſciret, et quia poſſet, loqui deberet: aut vt parthice loquens Parthus, hebraice loqui putaretur: ita nihilo plus in Petro, quam in Partho foret. Aut vt interpres adhiberetur: ita inutile linguarum munus eſſet. Neque video quæ res hunc errorem pepererit, niſi quod non putant eumdem hominem eodem tempore diuerſis poſſe loqui linguis, neque vident ſe, dum monſtrum fugiunt, in monſtrum incidere. Nec enim minus eſt monſtroſum, te quum ego dicam ſamaiim, audire cælum, aut οὐρανὸν, quam me eodem momento vtrumque ſonare. Sed neutrum horum monſtrorum inuehere neceſſe eſt. Non ſcribit Lucas, aliquem vno tempore tot linguis locutum eſſe, id quod fieri non poteſt: ſed diuerſis linguis locutos eſſe, vt cuiuscumque nationis homines nacti eſſent, eos ipſorum ſermone adfarentur: vt hic Petrus aſianos nactus, aſiatice adloqueretur: illic Ioannes Aegyptios, ægyptiace, aut idem quosuis quouis ſermone, prout in quosque incidiſſet: ita quod diuerſis loquuntur linguis diſcipuli, id contra naturam non eſt: ſed quod ex tempore didicerunt linguas, id diuinum, contraque naturam eſt: quemadmodum Lazarum in vitam reuocatum viuere, mirum non eſt: ſed in vitam reuocari, mirum fuit. Quod niſi hæc ſic interpretemur, faciemus ex diuinis operibus præſtigias, vt res non agatur, ſed agi videatur: vt ſi quis circulator enſem deuorare videatur, quum non deuoret. Certe non aliud eſſet, ſi diſcipuli peregrinis loqui linguis, et dicerentur et viderentur, quum id non ita eſſet. Hoc loco mirabitur

bitur non nemo (cui hic locus primo adſpectu fuerit apertiſſimus) me tantum chartæ in explicanda re tam perſpicua impendere: et ſane eum totum intactum præteriiſſem, niſi veritus eſſem, ne rudibus imponeret alicuius auctoritas.

29. *De ſummo patre Dauide*) Quomodo ἀρχιερεὺς ſummus ſacerdos dicitur, et ἀρχίατρος ſummus medicus, et cetera denique ab ἄρχειν compoſita: ſic πατριάρχης latine ſummus pater appellari poteſt, et eſt dignitatis vocabulum.

CAP. V. v. 24. *Summus ſacerdos, et ſani antiſtes*) τὸν ἱερέα vocat, quem paullo ante vocauit ἀρχιερέα: ſicut Hebræis הכהן idem ſæpe dicitur, qui כהן הגדל. Non habent enim Hebræi nomen vnum, quo ſummum ſacerdotem a ſacerdote diſtinguant. Itaque pontificem, ſacerdotem ſummum appellant, nonnumquam etiam ſacerdotem: quemadmodum Latini ſummum poetam, appellant poetam.

42. *Ieſum Chriſtum nuntiare*) Eſt quidem εὐαγγελίζεσθαι proprie lætam rem nuntiare: ſed aliquando pronuntiare dicitur, ſicut בשר quod quum idem declaret, ponitur aliquando etiam in re triſti: vt 1. Reg. 4.

CAP. VIII. v. 23. *Nam tibi acerbam imminere*) In græco eſt, χολὴν πικρίας, hoc eſt, bilem acerbitatis: quem hebraiſmum latine ſic reddere licet, vt nos reddidimus, aut inuerſione dicere bilis acerbitatem: quomodo Latini dicunt montium proceritatem, pro montibus proceris: quod hebræo more diceretur, montes proceritatis. Quod autem Imminere interpretatus ſum, animaduertendum eſt, præpoſitionem εἰς aliquando futurum aliquid notare: vt Luc. 2. οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν: hoc eſt, Hic multis vel caſui vel reſurrectioni futurus eſt: hoc eſt, Ab hoc multis vel caſus imminet, vel reſurrectio futura eſt. Et quod paullo poſt interpretor: *Te ſcelere conſtrictum eſſe*: quum ſit eadem præpoſitio εἰς σύνδεσμον ἀδικίας ὄντα: alius tamen eſt præpoſitionis vſus: ſicut in eodem, quem modo adduxi, Lucæ loco, vbi ſequitur, εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον: quod non iam licet per verbum imminendi conuertere. Eſt autem hæc Petri ſententia: Video tibi acerbam bilem, hoc eſt, graues a Deo pœnas imminere, propter tuum ſcelus: vt patet ex ſequenti Simonis reſponſione, qui eas deprecatur minas. Bilem autem, ſiue iram, pro pœnis et Dei in homines animaduerſiones dici: notiſſimum eſt ex ſacris litteris.

CAP. X. v. 45. *Qui erant a circumciſione fidentes*) A circumciſione eſſe, eſt ex circumciſis eſſe: quomodo dicit Cicero, Qui ſunt ab ea diſciplina: πιστοὶ autem qui dicuntur, eos malo fidentes dicere, quam fideles: nam πιστὸς in vtraque notione dicitur, vt πιστὸς ὁ θεὸς recte fidelis aut fidus dicetur. Sed πιστὸς, quum de Chriſtiano dicitur, fidentem ſignificat, non cui habenda ſit fides, qui fidelis latine dicitur: ſed qui fidem habeat, ſcilicet Chriſto. Volo autem Fidens nomen eſſe, ſicut κλητὸν in Paulo, qui vocatus aut euocatus ita dici poteſt, vt ſit nomen, non participium: quaſi tu dicas, vocatiuus. Atque huiuſmodi nominibus vtuntur etiam Latini, quum accenſos, et euocatos, et legatos dicunt: ne nobis idem, vrgente neceſſitate, facere nefas putemus.

CAP. XIII. v. 34. *Dabo vobis fidelem Dauidis benignitatem*) Locus eſt ex Eſ. 55. vbi חסדים (ſicut et alibi ſæpe) beneficia ſunt, ſiue beneficentia: quæ hic

hic minus proprie ὅσια vocantur, quoniam illud idem verbum apud Hebræos pietatem ſignificat, quæ in his libris ὁσιότης appellatur. Sic autem habet Eſaiæ locus: *Feriam vobiſcum fœdus æternum, fideli Dauidis benignitate (ſiue beneficentia) quem populorum monitorem, quem ducem præceptoremque populorum daturus ſum.*) Hunc locum recte de Chriſti reſurrectione citat Paulus. Quum enim Chriſtus hic Dauid appelletur, neceſſe eſt vt ſit homo, et porro vt moriatur. Atqui hic promittitur, eius fidelem fore beneficentiam, hoc eſt, ratam, firmam, certam, durabilem: hoc enim declarat verbum fidelis, aut fidus, etiam apud Latinos, quum fidam pacem, aut fidelem ad perpetuitatem materiam dicunt. Quod ſi durabilis futura eſt, et æterna Dauidis noſtri benignitas atque fœdus, neceſſe eſt vt ſit ipſe ſempiternus: nam ſi deſiiſſet ipſe, eius quoque fœdus finem haberet. Quod ſi ſempiternus eſt, et tamen homo, hoc eſt mortalis, neceſſe eſt vt moriatur, deinde in vitam infinitam redeat, atque ita in ſuos Iſraelitas conferat beneficia ſempiterna.

CAP. XVII. v. 25. *Omnia denique conferat*) καὶ τὰ legitur, non κατά.

CAP. XVIII. v. 18. *Et cum eo Priſcilla et Aquila, quum caput totondiſſet*) Paulus an Aquila caput totonderit, certo adfirmari non poteſt ex ſermone græco. Vero tamen propius videtur hoc de Aquila dici, ex eo quod Lucas vxorem viro præpoſuit: cuius ordinis (quum alias non ſoleat) quæ cauſſa fuerit, non video, niſi vt intelligeretur participium κειράμενος ad Aquilæ nomen, cui protinus coniungitur, referri: quod non fieret, ſi Aquilam antepoſuiſſet.

CAP. XIX. v. 27. *Vel potius ne eius*) μᾶλλον δὲ, non μέλλειν τε legendum eſt.

CAP. XXVII. v. 9. *Quod tranquillitas præteriiſſet*) διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, Quod ieiunium iam præteriiſſet. Sed quid ieiunium ad nauigandi periculum? Nam ſi ieiunium voces inediam, ea eſſe quæ poterat? quum eſſent in portu, et poſſet ampliſſima inſula ſuppeditare commeatum, et paullo poſt dicantur nauem exonerare frumento. Adde quod neque νηστεία dicitur pro ἀσιτία, neque id cum verbo παρεληλυθέναι quadrat: oportet enim inediam non præteriiſſe, ſed inſtare: neque id inedia, ſed commeatus penuria dici deberet. Sin ieiunium dicas ieiunandi tempus, id neque nauticæ rei conuenit, neque quidquam ad rem facit. Equidem dum diligentius narrationem hanc conſidero, ſuſpicor non νηστείαν, ſed νηνεμίαν legendum eſſe, hoc eſt, a ventis tranquillitatem: nam id et cum narratione conuenit, et facile deprauari potuit a mediocriter docto, qui verbi νηνεμίας vim ignoraret.

PAVLI EPISTOLA AD ROMANOS.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Pauli vocantur epiſtolæ, propterea quod eas ille ſcripſit. Et per has quum eos quos viderat ac docuerat, admonet et corrigit, tum quos non viderat, inſtruere conatur ac docere, quemadmodum ſcire poſſunt, qui in eas incidunt. Hanc autem Romanis e Corintho ſcripſit, quum eos nondum quidem vidiſſet, audiſſet vero de illorum fide, cuperetque videre eos. Et initio quidem laudat eorum fidem, quam videbat paſſim adnuntiari. Deinde ſignificat ſæpenumero propoſitum ſibi fuiſſe veniendi ad eos, propter deſiderium, quo erga eos adfectus erat, hactenus vero non licuiſſe. Ceterum docendi modo epiſtolam contexit, de vocatione gentium, et quod circumciſio temporaria fuerit, iam vero ceſſauerit, quod per Chriſtum ſolutum ſit delictum Adæ, quod vmbra legis tranſierit. Vocationem itaque gentium conſequenter recto ordine factam eſſe ad hunc modum probat. Oſtendit vniuerſis hominibus inſitam eſſe legem, et quosuis citra doctrinam (legis) naturali iudicio ex ipſa rerum conditione Deum cognoſcere poſſe. Quapropter et merito gentes priore loco accuſat, quod quum ipſis cognitionem ſui Deus ex operibus mundi patefecerit, et ſimul ſempiternam potentiam ſuam quæ verbum ipſius eſt, in quo et per quod omnia fecit, oſtenderit, ipſi non cognouerunt ex creaturis Deum eſſe talium opificem, ſed magis operibus illius diuinitatem adſcribentes, creaturas potius adorarunt, quam creatorem. Accuſat autem et Iudæos, vt qui legem non ſeruauerint, immo per transgreſſionem legis Deum magis dehoneſtauerint. Atque ita vtramque partem, tam Iudæos quam gentes arguit, et ſub iniquitate transgreſſionis concludit, vt oſtendat omnes pares eſſe factos inter ſe, ex æquo reos, et redemtionis egentes. Deinde, merito et gentium factam eſſe vocationem ex eo declarat, quod gratia et redemtio æqualiter contigere et Iudæis et gentibus, vocatione vero gentium facta, neceſſario ceſſaſſe circumciſionem et legis vmbram. Nam Abraham, inquit, non circumciſione ſed ante circumciſionem iuſtificatus, nominatus eſt Abraham, quoniam futurum erat, vt fieret pater multarum gentium, ſecundum fidem quæ erat in præputio. Circumciſionem autem poſtquam iuſtificatus erat, accepit in carne, vt ſignum eſſet poſteris, ex ipſo ſecundum carnem naſcituris, quod deſitura eſſet circumciſio, quando gentes fierent filii Abrahæ, inciperentque viuere ſecundum fidem Abrahæ, in qua ille quum adhuc eſſet in præputio, iuſtificatus eſt. Etenim illorum gratia, quum antea dictus eſſet Abram, vocatus eſt Abraham. Erat autem neceſſarium, vt venien-

nientibus rebus præſignatis, deſineret ſignum. Quapropter ſi qui cogunt gentes circumcidi, iidem tollant et nomen Abraham, et vocent eum Abram. Si vero Abraham vocatus eſt a Deo, non oportet gentes circumcidi, immo ne Iudæi quidem ſecundum carnem amplius circumcidendi ſunt, vt firmum ſit nomen Abrahæ, voceturque pater multarum gentium, ferendum enim poſthac non eſt, vt quisquam circumcidatur, quum ſufficiat fides Abrahæ, nec opus ſit vlla legis vmbra. Non enim iuſtificatur quisquam ex talibus, ſed ex fide, quemadmodum et Abraham. Poſtquam iſta ad hunc modum probauit, iterum oſtendit, quod nec Iſraeli nec gentibus alia poſſit ratione redemtio et gratia obtingere, niſi primum illud et vetuſtum peccatum, quod per Adam in omnes mortales peruenit, ſoluatur: deleri autem per alium non poſſe, niſi per filium Dei, per quem et ab initio maledictio facta ſit. Neque enim poſſibile erat, vt alius delictum hoc ſolueret. Deinde ſcribit, quod nullo alio pacto factum ſit, quam vt, corpore adſumto, filius Dei fieret homo: vt corpus hoc, inquam, quod iisdem nobiscum paſſionibus obnoxium eſſet, pro omnibus offerret, et omnes a morte liberaret. Et quemadmodum per vnum hominem peccatum in mundum ingreſſum eſt, ita et per vnum hominem ad omnes mortales gratia perueniret. Deinceps vero tamquam bonus œconomus Iudæos conſolatur, quod legis transgreſſores futuri non ſint, ſi in Chriſtum credant, his vero qui ex gentibus crediderant, edicit, ne contra Iſraelem inſlentur, ſed cognoſcant ſe veluti ramos radici, ita Iudæis eſſe inſertos. His abſolutis ſermones hortatorios ad docendum bonos mores ſubtexit, atque ita epiſtolam finit.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 3. *Quod ad carnem attinet*) σάρκα in ſacris litteris aliquando corpus eſſe, declarauimus in Geneſi. Nonnumquam ſignificat rem corporatam: vnde πᾶσα σάρξ, omnes homines, aut etiam omnia mortalia. Inde in Ioann. 8. κατὰ σάρκα κρίνειν, quod ſolet dicere Paulus κατ' ἄνθρωπον. Itaque poſſis hoc verbum latine humanitatem, aut humanam conditionem, ſiue naturam appellare, aut etiam corpus. Nam in huius epiſtolæ cap. 7. Paulus dixit: τὰς πράξεις τοῦ σώματος, pro τῆς σαρκός. Hinc σαρκικὸς idem qui humanus, terreſtris, corporalis: cui opponitur πνευματικὸς, qui latine diuinus, a diuino ſpiritu rite dici poteſt. Sed quum omnibus artibus permittantur ſua vocabula, nobis permitti debet, vt ſaltem in translatione carnem et ſpiritum, ſicubi videbitur, appellemus, ne quem offendamus: ſic tamen, vt id citra ſuperſtitionem faciamus. Quum enim Paulus ipſe eadem de re non ſemper idem verbum ponat, nos quoque in verbis cogi non debemus, modo de re conſtet.

7. *Omnibus qui Romæ eſtis, gratiam et pacem*) Ad verbum ſic legitur: Gratia vobis et pax: qui hebraiſmus eſt in accuſatiuum latino more mutandus. Pacis autem vocabulum in ſalutationibus apud Hebræos poni, et ſalutem

 lutem

lutem latine dici poſſe, alias oſtendi. Sed id fieri non ſemper neceſſe eſt, præſertim vbi cum aliis coniungitur.

13. *Vt profectum aliquem apud vos quoque faciam)* καρπὸν vocat προκοπὴν, ſcilicet Euangelii: vt apud Philipp. 1. vbi vtrumque eadem de re ponitur. Inde καρποφορεῖσθαι, hoc eſt proficere, dicitur Euangelium, Coloſſ. 1.

14. *Doctis ac imperitis debeo)* σοφὸς etiam Græcis, vt חכם Hebræis, non ſolum ſapientem, ſed et doctum declarat: et apud Latinos olim, teſte Cicerone, iidem erant docti, qui ſapientes.

CAP. III. v. 25. *Fidem habentes iuſtificet)* Verbum hoc etiam Ciceronianis ferendum videtur: nec enim durius eſt, quam turpificare. Idem dico de propitiatorio, et præputiato: quæ cur minus quam decretorius, et capitatus, et haſtatus, et clipeatus dici poſſint, non video: præſertim quum huiuſmodi verba et ſæpe occurrant, et ad rem ſignificantius exprimendam pertineant. Iam fidei vocabulum, vt nos in hoc argumento vtimur, etiam latine poni, docuit Budæus, adductis ex antiquitate exemplis. Si enim fidem habere Chriſto, recte dicitur: cur ea res fides dici non poſſit, nulla cauſſa eſt: ne eorum ſuperſtitioni obtemperemus, qui volunt perſuaſionem appellari: quum id verbum nec vbique quadret, nec prorſus idem declaret. Nec enim idem plane eſt perſuaſio, quod fides aut fiducia: nec poſſis dicere, Perſuaſionem habeo Chriſto: quomodo, Fidem habeo Chriſto, aut fiduciam habeo in Chriſto collocatam. Neque, Magna eſt tua perſuaſio: quemadmodum, Magna eſt tua fiducia, aut fides. Denique paucis locis perſuaſionem pro fide recte dixeris, et ea proprio nomine πεποίθησις appellatur, et cum fide coniungitur, ad Epheſ. 3. Iam vero, ſi auctoritate vtendum eſt, non video cur hac in re ſit repudiandus Iacobus Sannazarius, poeta, vel cum paucis antiquorum conferendus, et idem in verborum delectu etiam ad ſuperſtitionem diligens, apud quem ſic diſcedentem Gabrielem adloquitur Maria:

Iamiam vince fides, vince obſequioſa voluntas.

29. *Qui et circumciſionem fide, et præputium per fidem, cet.)* Hoc eſt, circumciſos et præputiatos: quomodo academia et iuuentus pro academicis et iuuenibus dici ſolet. Quod autem aliter vertimus in cap. 1. in cauſſa fuit ſententiæ conditio. Sic enim illic ad verbum legitur: *Quod ſi præputium legis inſtituta conſeruet, nimirum eius præputium pro circumciſione habebitur.* Vbi relatiuum Eius, maſculinum eſt in græco ſermone, quum præputium ἀκροβυστία ſit femininum: ex quo apparet, præputium pro præputiato dictum, vt cum relatiuo conueniat: id quod Hebræorum more factum eſt, qui rara habent huiuſmodi a ſubſtantiuis adiectiua: itaque a ſubſtantiuis vtuntur pro eis. Idem fit ſæpe in nomine ἔθνος, quod gentem ſignificans, ponitur pro extraneæ gentis hominibus: vt Actor. 15. Et gentes omnes qui a nomine meo denominantur: vbi græce Gentes neutrum, Qui maſculinum eſt.

CAP. IIII. v. 5. *Qui ſontem iuſtificat)* רשע quandoque ſontem, et qui alteri facit iniuriam, declarat: vt Exod. 2. In ea notione poſitum eſt hoc loco vocabulum ἀσεβὴς, vt et cap. 5. vbi idem eſt ἀσεβὴς et ἁμαρτωλός.

12. *Non iis ſolum, qui ſunt a circumciſione)* τοῖς οὐκ ἐκ περιτομῆς μόνον, dictum eſt, pro, οὐ μόνον τοῖς ἐκ περιτομῆς, vt recte vertit vetus inter-

ter-

terpres: ſicut ad Theſſalon. 1. *ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, οὐ μόνον ἐν τῇ μακεδονίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν παντὶ τόπῳ ἡ πίστις ὑμῶν ἐξελήλυθεν*: pro, *οὐ μόνον γὰρ ἀφ' ὑμῶν*, cet. Talem verborum tranſpoſitionem inuenies et 2. Timoth. 2. vbi nos vertimus: Laborandum agricolæ eſt, cet. et ad Hebræos 11. Eſt autem apud Paulum paullo perturbatior ſententia, quæ ſic enucleari poteſt: Abrahamus pater eſt omnium fidentium. Sunt autem fidentium duo genera, præputiati, et circumciſi. Non ſolum circumciſorum fidentium pater eſt, ſed etiam præputiatorum fidentium. Eadem ſententia paullo poſt ſequitur: Non ſolum quæ a lege, verum etiam quæ ab Abrahami fide fit, qui noſter omnium pater eſt. Sed quomodo pater eſt, (dicet aliquis) quum ſit mortuus? An patrem habemus mortuum? aut is pater dici poteſt, qui non eſt? Nam hæc pugnantia ſunt, eundem eſſe et non eſſe. Interiiſſe, eſt non eſſe: patrem eſſe, eſt eſſe. Ergo idem qui interiit, pater eſſe non poteſt. Ad hæc reſpondet Paulus: Pater eſt noſter non apud nos, quibus non viuit: ſed apud Deum, cui viuit (ei enim viuunt omnes) et a quo reuocandus eſt in vitam. Itaque Deus eum iam vocat Multiparentem (hoc enim declarat Abrahami nomen) perinde ac ſi iam eſſet multiparens, quum tamen nondum ſit nobis, ſed futurus eſt: nam a Deo reuocabitur in vitam. Nunc iam eſt Deo, cui ſunt omnia præſentia. Similis eſt et illa Luc. 20. Chriſti ſententia: Viuentium Deus eſt, non mortuorum: quippe quum ei viuant omnes: de qua ibi ideo nihil ſcripſi, quod eam nondum intelligebam: videbatur enim animorum immortalitatem oſtendere, quum de reſurrectione diſputaret. Quamquam ne nunc quidem de ea adfirmabo: tantum dicam, quid mihi venerit in mentem. Quum dicatur Abrahami, Iſaaci, et Iacobi, neceſſe eſt vt aut illi viuant, aut Deus ſit mortuorum Deus. Atqui mortuorum eſſe Deum, eſt nullius eſſe Deum, quum mortui non ſint. Neceſſe eſt ergo, vt illi viuant. Sed non viuunt. Fateor, non viuunt hominibus: quibus tantum præſens vita, præſens eſt: ſed viuunt Deo, qui eos in vitam reuocabit: quæ vita nobis futura, Deo præſens eſt. Ergo erit mortuorum reſurrectio. His Chriſtus Sadducæos refellit. Sed quid ſit omnes Deo viuere, et ei omnia eſſe præſentia, adhuc manet obſcurius. Nos ſic conabimur exponere. Formicæ præſens eſt terra in palmi longitudinem: quoniam humili corpore, non cernit longius. Homini præſens eſt (exempli gratia) in decem palmorum longitudinem. Ita quidquid eſt intra vnum palmum, id formicæ præſens eſt, nouem palmi ſunt abſentes. At homini et vnus ille palmus, et reliqui nouem, præſentes ſunt. Ita fit, vt idem et formicæ abſens, et homini præſens ſit. Adducam aliam ſimilitudinem. Fluit aqua Rheni. Eius paruula portio mihi nunc præſens eſt, quæ paullo ante præſens erat Schafuſianis, eadem paullo poſt præſens erit Argentinenſibus. At Sol totum hoc ſpatium præſens habet, tamque ei præſens Argentina eſt, quam Baſilea. Sic tempus fluit, vt aqua: temporis pars ea, in qua ſumus, nobis præſens eſt: at Deo, qui maximus eſt et ſempiternus, vniuerſum tempus, et quod fuit, et quod eſt, et quod erit, præſens eſt. Ita quod reuiuiſcet aliquando, et viuet Abrahamus, id nobis abſens et futurum eſt. At Deo id tempus, et proinde ea res, præſens adeſt. Vide 4. Eſd. 5. vbi Dei iudicium circuli ſimile dicitur. Hæc ego caligantibus animi oculis dico, non adfirmo.

CAP. V. v. 7. *Nam pro viro bono fortaſsis aliquis mori ſuſtineat*) Rationem reddit, cur dixerit Vix: quaſi hoc dicat: Quod dico vix quemquam pro inſonte mori: ideo vix dico, quoniam non omnino nego fieri poſſe, vt

aliquis (tametſi rarus) inſontis bonique viri cauſſa mori ſuſtineat: fieri enim hoc poteſt. Sed ſontis cauſſa mori nemo ſuſtinet, hoc Chriſti proprium eſt, et amoris inauditi. Vocat autem eumdem δίκαιον iuſtum, quem ἀγαθὸν bonum. Nam δίκαιος a iuſtitia dicitur, a qua viri boni denominantur: et eum opponit ἀσεβεῖ, ſiue ἁμαρτωλῷ.

CAP. VI. v. 3. *Quicumque ſumus Chriſti Ieſu nomine baptizati*) εἰς χριστὸν dixit, quomodo εἰς τὸ ὄνομα, aut ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ χριστοῦ alias dici ſolet: ſed durius dixit, hebraico more: ſicut 1. Corinth. 10. εἰς τὸν μωσῆν ἐβαπτίσαντο. Mollius cohæret cum re, quam cum perſona: vt 1. Corinth. 12. dicitur, Vnum in corpus loti ſumus: hoc eſt, vt vnum corpus efficeremur. Sed et in perſona propterea dici ſolet, quod apud Hebræos perſonæ nomen ſæpe pro re ponitur: vt ſit in Chriſtum, aut in Moſem lauari, idem quod, ad Chriſtianitatem, aut ad Moſaitatem: hoc eſt, vt Chriſtianus aut Moſaicus fias. Sic in Chriſto eſſe, aut mori, aut viuere, cet.

4. *In paterna gloria reſurrexit*) Hoc eſt,glorioſus. Dixit autem διὰ τῆς δόξης, pro ἐν τῇ δόξῃ: vt cap. 4. τῶν πιστευόντων δι' ἀκροβυστίας, pro ἐν ἀκροβυστίᾳ: quomodo διὰ βίου, in vita dicitur. Atque vt idem eſt, per omnem vitam, et in omni vita: ſic idem hoc loco eſt, διὰ δόξης, et ἐν δόξῃ. Sed latine per gloriam, quomodo per vitam, eadem notione dici non poteſt.

7. *Vt peccati corpus aboleatur*) Hoc eſt, vt peccatum aboleatur, quod corpus eſt: id eſt, ſimilitudinem habet corporis, in eo, quod quemadmodum corpus morte, ita peccatum vitæ renouatione aboletur. Vide animaduerſa ad Coloſſ. 1.

16. *Cui vosipſos ſeruos præbetis obediendo*) εἰς ὑπακοὴν, Hebræorum more dictum eſt, apud quos Lamed littera gerundii vim habet.

17. *Ei doctrinæ rationi, quæ vobis tradita eſt*) εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον, pro εἰς τύπον ὃς ὑμῖν παρεδόθη. Sicut ad Galat. 2. πεπίστευμαι τὸ εὐαγγέλιον, pro, εὐαγγέλιον ἐμοὶ πεπίστευται. Atque ita loquuntur Græci et in hoc verbo, et in aliis; ἐγχειρίζομαι ὑπό σου τὴν βίβλον, pro, σὺ ἐγχειρίζεις μοὶ τὴν βίβλον. Tale quiddam in 2. Corinth. 11. declarabimus.

CAP. VII. v. 4. *Vos quoque peremti eſtis legi*) Quum legem viro, et homines mulieri comparauerit, videtur hic dicendum fuiſſe, Vobis peremta lex eſt: vt conueniat ſimilitudo hunc in modum: Vt mulier, viro mortuo, libera eſt: ſic vos, lege mortua, eſtis a lege liberi. Sed intelligendum eſt, hæc ſic inter ſeſe conuerti, vt ſit idem: Vos eſtis legi mortui, et Vobis mortua lex eſt: vt vos nihil rei cum lege habeatis, et lex nihil vobiſcum rei habeat, non magis quam viui cum mortuis, aut contra.

CAP. VIII. v. 20. *Per eum qui eam ſpei ſubmiſit*) διὰ τὸν ὑποτάξαντα, pro διὰ τοῦ ὑποτάξαντος dictum eſt: vt paullo ante διὰ ἁμαρτίαν, quod ex ſententia patet. Declarat enim quod dixit, Non ſua ſponte: hoc eſt, ab alio: quod ſi diceret, Propter alium, poſſet id et ſua ſponte, et tamen propter alium fieri. Iam διὰ cum accuſatiuo in hanc ſententiam poni, etiam apud auctores profanos video: vt in Socratis Panegyrico, vbi δι' ἣν ἐστάθησαν, pro δι' ἧς ἐστάθησαν dici, adnotauit Hieronymus Wolfius, eius interpres. Atque idem mihi oſtendit, bis eodem modo locutum Demoſthenem in fine orationis pro Megalopolitanis.

CAP. IX.

CAP. IX. v. 12. *Maior ſeruiet minori*) Sanctus Apoſtolus Paulus explicans materiam Electionis et Prædeſtinationis, adlegat verba Domini, ad Rebeccam iam grauidam, Gen. 25. Intellige autem hæc non de Eſao et Iacobo dicta (nam ſi carnem ſpectes, Eſaus Iacobo non ſeruiuit) ſed de duabus gentibus inde profecturis, vt oſtendunt Dei verba, qui non dicit Rebeccæ, duo homines: ſed *duæ gentes ſunt in ventre tuo.* Iam quod mox ſubiungit Paulus, *Iacobum amaui*, *Eſaum vero odio habui*, non ſic accipiendum eſt, quaſi fuerit dictum antequam nati eſſent pueri, ſicuti ſuperius oraculum: quum hoc fuerit dictum multis poſt ſæculis per Malachiam, et quidem dictum item non de duobus hominibus, ſed populis, vt apparet in Malachia, cap. 1, 1. Non enim dixiſſet Deus de re futura, Amaui ſed Amabo: ſicut in ſuperiore oraculo, quod de re futura edebatur, dictum eſt, Seruiet. Cur autem Eſaum, hoc eſt malos, oderit, et Iacobum, hoc eſt bonos, amet Deus, patet ex Deut. 9. vbi ſic populum adloquitur Moſes: *Non propter iuſtitiam veſtram, vos illorum terræ poſſeſſionem inuaditis, ſed gentes illas Deus propter ipſarum vitia vobis euertit: tum vt id præſtet, quod maioribus veſtris iurauit.* Item cap. 10. *Deus maiores veſtros amore complexus, eorum poſteritatem, hoc eſt vos, ceteris omnibus antepoſuit nationibus.* Ex his apparet, eos qui amantur et eliguntur, eligi gratuita Dei benignitate: ex qua electione proficiſcatur ſalus, hominibus vitam electione ſua dignam agentibus: eos autem qui odio ſunt, et repudiantur, repudiari propter ſua peccata, vt ſit vera illa ſententia: Pernicies tua a te eſt, Iſrael, ſalus autem a me, Oſe. 13. Itaque quod Eſaus odio eſt, id ſit propter eius peccata: quod Iacob amatur, id Dei bonitatis et gratiæ et electionis eſt. Sed qui ſit quod dicit, *Quem vult indurat*, magna quæſtio eſt. Quæſo te lector, vt quæ dicam, audias benigno animo, et rationes ante diligenter et amice perpendas, quam repudies. Loquitur Paulus de Pharaone, cuius cor induraſſe Deus dicitur. Quid ſit autem indurare, aut ex verbo cognoſcendum eſt, aut ex ſententia. Ex verbo certo cognoſci non poteſt. ſiquidem Exod. 9. dicitur Deus induraſſe cor Pharaonis: et in fine eiuſdem capitis, dicitur Pharao induraſſe cor ſuum, quæ verba pugnantia ſunt, quemadmodum in Pſalmis dicitur: Nolite obdurare corda veſtra: vt ſi ex verbis contendas, hominem a Deo indurari, quia ſic ſcriptum ſit: alius poſſit item ex verbis contendere, hominem a ſemetipſo indurari, quia ſic ſcriptum ſit. Itaque ad ſententiam recurrendum eſt, quam ſic perpendamus. Omnes Adamo prognati habent cor durum et lapideum, id quod oſtendit Ieremias cap. 17. dum dicit, omnium malitioſiſſimum eſſe cor hominis. Et Ezechiel. cap. 36. vbi Deus dicit ſeſe eis exemturum eſſe cor lapideum. Nam lapideum cor eximere non poſſet, niſi haberent cor lapideum. Quod ſi Pharaonis cor erat natura lapideum, non magis poterat a Deo, vel a ſeipſo indurari, quam lapis, niſi prius fuerat mollitum, quod non fuit. Itaque quod dicitur a Deo indurari, id videtur idem eſſe quod non molliri, ſed in ſua duritate relinqui, vt quamadmodum non prodeſſe viduis, pro nocere viduis dictum eſt: vt Iob. 24. ita contra, nocere iis dicatur Deus, quibus non prodeſt: et eos indurare, quos non mollit. Quod autem ſcribitur Pharao ipſemet induraſſe, ſiue obſtinaſſe, aut obfirmaſſe cor ſuum, ſignificatur, eum ſcientem et volentem duraſſe, et retinuiſſe cor durum et pertinax, neque ſe molliri noluiſſe, quum ita commineeretur miraculis, vt confeſſus fuerit Moſi, ſe peccaſſe. Hanc interpretationem neque a verbis, neque a ſententia diſcrepare, ſic oſtendemus: Matth. 6. Ne inducas nos in tentationem, eſt, Ne patiare nos tentari, aut tentatione vinci, vt ſit idem, inducere in tentationem,

quod

quod, non liberare a malo: hoc eſt, a duritate et peccato noſtro, vt iam ſic dicere liceat, Ne indures cor noſtrum: hoc eſt, ne relinquas nos in innata duritate cordis noſtri, ſed nobis cor carneum et obediens dato. Sic Iob.39. dicitur Deus priuauiſſe ſtruthiocamelum ſapientia: hoc eſt, non donaſſe, ſicut ipſemet ibidem interpretatur: numquam enim habuit ſtruthiocamelus ſapientiam. Item cap. 17. dicitur Deus eripuiſſe ingenium amicis Iobi: hoc eſt, non dediſſe. Iam vero quum Deus neminem tentet, hoc eſt, ad peccandum impellat, ſicut ſcripſit Iacobus, in Ep. c. 1. Pharaonem certe non tentauit aut indurauit, ſed tentari et durum manere paſſus eſt. Neque vero grauius punire poteſt hominem Deus, quam ſi eum deſerat, et in duritate ſua relinquat, quemadmodum terras grauius adfligere non poſſit, quam ſi ſolem et lucem eis adimat, ſicut ademit Aegyptiis per triduum. Sic punit vineam ſuam in Eſ. 5. non eam ipſe vaſtando, ſed ſepto et pluuia priuando, et vaſtari permittendo. Sic Iobum adfligit, priuatque facultatibus, non ipſe id faciendo, ſed a ſatana fieri permittendo. Sed tamen cur aliquem relinquat Deus in duritate ſua (quæ pœna eſt grauiſſima) quum alios miſeretur, quæſtio eſt: ad quam breuiter reſponderi poteſt, quod ſupra adduximus ex Deuter. 9. aut quod ſcriptum eſt in Decalogo: vbi dixit Deus: ſe miſericordiam facere iis qui ipſum amant, et eius præcepta exſequuntur, punire autem eos qui ipſum oderunt, Exod. 20. aut quod ſcripſit Paulus ad Romanos. Quia quum Deum cognouiſſent, non vt Deo dignum erat honorarunt, ſed veritatem in iniuſtitia ſuppreſſerunt, hanc ob rem permiſit eos Deus in turpes libidines. Hæc eſt induratio, cuius cauſſam quum hanc tradat Paulus, non eſt quod aliam putemus. Itaque quod Pharaonem puniuit, ideo puniuit,quia Pharao Iouam oderat: id quod oſtendit illa crudelitas,qua ſæuiebat, ante aduentum Moſis, in Iſraelitas, quæ certe non a Deo,ſed ab ipſomet Pharaone proficiſcebatur. Itaque primo congreſſu induratus eſt a ſemetipſo. Moſi dixit Exod. 5. Neſcio quis ſit Ioua: et propter ſuam improbitatem relictus fuit a Ioua, atque ita malo ſpiritui emancipatus, ſicut de Saulo legimus, eum, quia Deo obedire noluiſſet, derelictum fuiſſe a bono Dei ſpiritu, et porro correptum a malo, ita vt deinceps ſemper abierit in deterius. Itemque 2. Par. 25. de Amaſia, qui quia Idumæorum Deos coluerat, deſertus eſt a Deo, ita vt Iouæ non obtemperauerit. Itaque quod dicit Paulus, *Quem vult indurat*, non eſt hic conſiſtendum: ſed quærendum porro, quemnam velit indurare. Vult autem indurare eos, qui ipſum oderunt, et ei obedire nolunt: vt eius indurationis, ſiue deſertionis cauſſa ſit non Dei libido, qui nihil facit ſine iuſta cauſſa, ſed hominis antegreſſa contumacia. Hoc indicauit Chriſtus,dum Matth. 23. dixit: Quoties volui congregare filios tuos, et tu noluiſti? Hic vides, prauam Hieroſolymæ voluntatem in cauſſa eſſe, quo minus ſeruetur: quum tamen Chriſtus eam ſeruare vellet: Itaque ſequitur induratio: Eſ. 6. Obdura cor populi huius, vt videntes non videant. Iam vero quod dicit Paulus de figulo, lege lector, antequam progrediare, Ieremiæ cap. 18. et Ezech. 33. et ea diligenter perpende: non te pœnitebit. Inuenies enim hanc ſententiam. Deus habet homines in manu, ſicut figulus lutum. Si quis vitam ſuam corrigere, et Deo obedire non vult, eum Deus perdit: ſicut figulus vas perdit, in quo aliquid vitioſum eſſe contigit. Et quemadmodum figulus nullum vas facit, vt id perdat (tametſi poſſet, ſed non vult abuti ſuo luto) ſed tantum perdit ea quæ bona non ſunt, quum tamen ea feciſſet vt bona eſſent (vellet enim bonus artifex, omnia ſua vaſa eſſe bona) ſic Deus nullum hominem creauit, vt eum perderet: ſed tantum perdit eos,qui boni eſſe nolunt: quum tamen eos creaſſet,

afſet, vt boni eſſent. Vellet enim omnes homines eſſe bonos, et ſaluos fieri: quum ſit ipſe bonus, et omnia bona creauerit. Item quemadmodum figulus ex eadem creta vaſa facit alia ad vſum menſæ et rerum honeſtarum, alia ad vſum culinæ aut excrementorum: ſic Rom. 9. Deus alios homines condidit, vt eſſent in Chriſti corpore quaſi oculi, quidam aut aures, aut manus, vt Prophetas et Apoſtolos: alios vt eſſent quaſi pedes, aut immundæ partes, vt ceteros minus excellentes Chriſtianos, quibus non tantas dotes largitus eſt. Sed intelligendum eſt, aliud eſſe vas frangi, aliud ad res inhoneſtas creatum eſſe. Quodlibet vas, ſi malum eſt, frangitur, ſiue ad honeſta ſiue ad inhoneſta factum ſit, etiamſi ſit aureum, vt apparet Ierem. 22. vbi ſic Deus loquitur: Etiamſi eſſet Conenias annulus in dextera manu mea, inde te detraham, cet. Rurſum quodlibet vas, ſi bonum eſt, ſeruatur etiam ſi ſit ad res inhoneſtas conditum. Dicet tibi figulus: Ego nullum vas vellem frangere: ſed ſi quod malum eſſe contigit, oſtendo poteſtatem meam id frangendo. Dicit magiſtratus: Ego nullum ciuem vellem interficere, vellem enim omnes eſſe bonos: ſed ſi quis latro eſt, oſtendo meam poteſtatem eo interficiendo: et dum volo oſtendere quid poſſim, eligo aliquem facinoroſum, quem puniam. Sic dicit Deus Ezech. 33. Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur et viuat. Nolo vt quiſquam ſit malus, ideoque improbitatem veto. Sed ſi quis vetante et nolente me, ſua ſponte malus eſt, eum ego deligo ad exſerendam in eum iram potentiamque meam. Quod ſi quis a me propter ſua peccata perditur, non eſt quod me accuſet, et dicat: Voluntati eius quis reſiſtat? Voluntati meæ reſiſtere nemo poteſt. Non eſt autem mea voluntas, vt aliquis peccet, aut etiam vt quum peccauerit, moriatur: ſed potius corrigatur et viuat. Sed ſi quis corrigere ſe non vult, eum ego punire et volo, quia ipſe in peccato perſeuerare vult: et poſſum, quia habeo ſummam in omnes poteſtatem. Quod autem dicit Paulus, iræ vaſa ad exitium condita: non ſic accipiendum eſt, quaſi Deus hominem aliquem ad hoc nominatim creauerit, vt eum perderet. Creat quidem Deus alia vaſa ad res honeſtas, alia ad res inhoneſtas, ſed ad res inhoneſtas creata vaſa non perduntur, quin diligentius quam cetera teguntur: ſicut membra corporis, quæ inhoneſta videntur: tametſi reipſa nullum corporis membrum inhoneſtum eſt, nihil enim inhoneſtum condidit Deus: et quemuis locum habere in domo Domini, eſt honeſtum locum habere: nullus enim ibi locus eſt inhoneſtus in oculis Dei, ſed dicuntur illa humano more. Sed ad exitium condita vaſa dicuntur ea, quorum exitus et finis eſt exitium. Oſtendit hoc Paulus, dum dicit: Tulit multa cum patientia iræ vaſa. Si enim cum patientia fert illa Deus, certe dolet ei res: et ſi dolet, non placet: quemadmodum magiſtratus fert multa cum patientia improbum aliquem, exſpectans dum ille ſe corrigat: neque placet magiſtratui, vt committat ille facinus aliquod capitale: neque ideo eum patienter fert, vt poſtea interficiat. Quod ſi ille poſtea ſua culpa interficiatur, dici poterit ad ſupplicium conditus, aut reſeruatus, quia talem habuerit exitum: non quia ideo ſit conditus. Tales locutiones paſſim occurrunt in ſacris litteris, vt Leuitic. 20. *Si quis dederit progeniem ſuam Molocho, lapidetur: quia progeniem ſuam dederit Molocho, vt ſanctuarium meum pollueret.* Atqui non eo conſilio immolabant Iſraelitæ natos ſuos Molocho, vt Domini ſanctuarium polluerent, ſed vt Molochum colerent: verum inde eueniebat, vt pollueretur ſanctuarium Domini. Item Numer. 32. *Et ecce vos ſurrexiſtis pro patribus veſtris, additamentum improborum, vt ira Ioua inſuper in Iſraelitas augeatur.* Non enim in animo habebant Rubeni-

tæ

tæ augere iram Iouæ, ſed ſibi proſpicere: verum inde conſequebatur ira Ionæ. Item Eſ. 23. *En terram illam Chaldeam Aſſyrii condidere Siluanis.* Non enim eo animo condiderant Babyloniam Aſſyrii, vt in ea habitarent Siluani: ſed is fuit euentus. Sic Prou. 16. Deus creaſſe malos dicitur ad diem ipſorum ruinæ, quia is eſt euentus, non creationis conſilium. Hoc loco ſurgit ingens, et multum agitata quæſtio, de deſtinatione ſiue prædeſtinatione: de qua equidem tacere mallem quam loqui, niſi viderem multos in viam latam declinare. Itaque quo reuocentur, ſi fieri poteſt, in anguſtam viam, dicam ea, ad quæ me ſenſus ipſe tenorque ſacrarum litterarum impellit. Iudicium erit Dei et piorum. Veritas in medio quærenda proponitur: eam quærere, et quid ſentias dicere, non eſt nefas. Hæc credere nemo cogetur: fides eſt libera. Primum quid ſit deſtinare, dicendum eſt: deinde cui rei deſtinatus ſit homo. Deſtinare (quod in ſacris litteris προορίζειν aut τιθέναι dici ſolet) eſt animo aliquid ſtatuere, facere, vt deſtinare argillam faciendo vaſi, eſt ita deliberare: volo ex hac argilla facere vas. Deſtinare aliquem neci, eſt ita cogitare: volo efficere, vt hic homo moriatur. Deſtinantur autem alia cum conditione, alia certo et ſine conditione: quæ vtraque deſtinatio in Deo cernitur. Nam quum diceret, *Faciamus hominem*: deſtinabat certo et ſine conditione, creationem hominis. Item quum diceret, *Semen feminæ conteret caput tuum:* deſtinabat aduentum Chriſti ſine vlla conditione, id quod oſtendit Paulus, dum 2. Cor. 1. dicit, Dei promiſſiones de Chriſto eſſe Amen: hoc eſt, certas, ratas, immutabiles. Rurſum quum collocabat hominem in Paradiſo, vt eum coleret et tueretur, et tamen mortem ei minabatur, niſi ab arbore ſcientiæ boni et mali abſtineret, deſtinabat eum vitæ cum conditione, videlicet ſi obediret. Hinc videmus, cui rei deſtinatus fuerit homo, videlicet beatæ vitæ in Paradiſo transigendæ, dummodo a fructu vetito ſe contineret. Itaque Dei conſilium et intentio, dum diceret, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, fuit, creare hominem qui beatus futurus eſſet. Hæc eſt hominis prædeſtinatio, videlicet ad vitam beatam. Nam viuere in Paradiſo, eſt viuere beatum. Iam an omnes homines ei vitæ deſtinati ſint, videamus. Conſtat omnino eidem rei deſtinatas eſſe aues omnes, cui deſtinatæ fuerunt aues primæ a Deo creatæ, videlicet vt per aerem volent et propagentur, quod idem dico de ceteris animantibus, neque non de ſtirpibus. Quod ſi idem ſit in hominibus, ſunt omnes homines eidem rei deſtinati, cui fuit deſtinatus primus homo. Si enim tantas vires habuit illa ad mortem accidentalis deſtinatio, qua Deus Adamo mortem minatus eſt, ſi vetito fructu veſceretur, vt ad omnes homines propagata ſit inde mors: non dubium eſt, quin illa prior et Deo amicior ad vitam deſtinatio (propter quam nominatim creauit hominem) pertineat ad omne ſemen Adami. Non enim poteſt deſtinatio ad mortem latius patere, quam deſtinatio ad vitam. Si ſumus omnes in Adamo lapſi, ſtetimus omnes in Adamo ante lapſum. Labi enim nemo poteſt, niſi qui ſtetit. Quod ſi ſtetimus, eadem conditione ſtetimus, qua primus homo, eidemque vitæ omnes deſtinati fuimus. Si enim creati fuimus ad imaginem Dei, vt beſtiis et terræ imperaremus: etiam creati fuimus, vt in Edenis, hoc eſt voluptatis et beatæ vitæ pomario, degeremus. Hac enim deſtinationis parte, cur potius fraudemur, quam aliis, nulla cauſſa eſt. Hoc pacto loquitur auctor ad Hebræos cap. 7. qui dicit Leuim decimatum fuiſſe, hoc eſt decumas ſoluiſſe (ſcilicet Melchiſedecho) in lumbis Abrahami patris ſui. Quod ſi Leuis, qui nondum natus erat, decimas ſoluit in lumbis Abrahami: etiam nos omnes qui nondum nati eramus, beatæ vitæ deſtinati

fuimus

fuimus in lumbis Adami. Hinc apparet, omnes homines eſſe beatæ vitæ deſtinatos, idque eſt Dei bonitate digniſſimum. Si enim nemo tam malus eſt, vt velit filium gignere ad patibulum: quanto minus dignum Dei bonitate eſt, vt voluerit aliquem hominem gignere ad miſeriam ſempiternam. Si vos, qui mali eſtis, tamen ſcitis bona dona dare filiis veſtris: quanto magis pater veſter cæleſtis, qui bonus eſt? Quod ſi hominem creaſſet Deus non liberæ, ſed ſeruæ voluntatis, numquam potuiſſet homo eligere malum et peccare. Deus enim (qui nihil vult niſi bonum) eum ſemper ad bonum impuliſſet. Apparet hoc in terra, quæ quia non eſt creata liberæ voluntatis, ſed vt hominis imperio ſerua ſubiaceret, non poteſt non obedire Deo, et ſtirpes adſidue gignere: Sed quum homo ad imaginem Dei, imperaturus orbi crearetur, oportuit eum (ſicut filium Dei, et orbis Imperatorem decebat) eſſe liberæ voluntatis. Iam quemadmodum filius, dum in patris ſemine, aut in matris vtero eſt, vinctus eſt: ſed poſtea natus, euagari poteſt, etiam nolente patre, quoniam pater eum domi vinctum non tenet: ſic Adam, dum crearetur, nihil poterat, ſed poſtea creatus, multum in vtramque partem poterat, quippe quem Deus liberum relinqueret, et verbis, non vinculis, regeret: quæ verba quum eum mouerent, non cogerent, poterat vel peccare, vel non peccare. Peccaſſe autem volentem, arguit Deus, qui dicit eum vxori magis obediuiſſe, quam ipſi Deo. Nam obedientia certe voluntaria eſt. Nolente Deo peccaſſe, oſtendit præceptum, quo Deus vetuerat, ne fructum illum guſtaret, vt enim hominis, ſic et Dei voluntas cognoſcitur ex præcepto. Idem oſtendit reprehenſio, quum dicit Deus, eum non obediuiſſe ſibi, ex quo intelligitur Dei voluntatem fuiſſe, vt non guſtaret fructum illum. Ex his apparet Adamum peccaſſe, non deſtinatione Dei (qui peccatum non vult) ſed voluntate culpaque ſua, nulla neceſſitate cogente. Dicet aliquis: Sed ſi Deus noluiſſet, eum, quo minus peccaret, impedire potuiſſet: Fateor, ſi eum ſtipitem, non hominem creaſſet: aut ſi eum ſtatim interfeciſſet. Sed hominem creare, et eumdem vel ad peccandum, vel ad recte faciendum cogere, perinde fuiſſet, atque auem creare, et ei liberum volatum adimere, hoc vero eſſet non auem, ſed aliud quidpiam creare. At enim Deus poteſt omnia quæ vult: Fateor, ſed nihil vult abſurdum (etiam ſi homines multa eius opera abſurda iudicent) aut quod fieri non poſſit. Itaque vt Adam peccandi, aut non peccandi poteſtatem haberet, fuit voluntatis Dei: ſed vt non vtrumlibet poſſet, et tamen liberam voluntatem haberet, hoc eſſet abſurdum, et perinde ac ſi dicas, poteſt et non poteſt. Igitur quod peccare potuit, hoc habuit a Deo: ſed quod peccare voluit, hoc habuit a ſeipſo. Exempli gratia: Poſſum interficere hominem: hanc poteſtatem habeo a Deo, qui me fortem et ingenioſum creauit, quæ poteſtas mala non eſt: ſed ſi interficio, abutor ea poteſtate, tamquam gladio, qui mihi non ad eum vſum datus eſt, et tamen ita datus eſt, vt eo poſſim vel vti vel abuti, nec alia conditione dari potuit, vt quidem eſt natura gladii, qui æque nocere poteſt atque prodeſſe, quamuis ſit bonus: ſed regitur eius arbitrio, cui in manu eſt, non eius, qui eum fecit aut tradidit. Itaque aut non tradendus eſt, aut ea conditione et periculo tradendus eſt. Talis fuit illa Adamo data libertas. Dicet aliquis: Præſciebat Deus eum peccaturum, ergo aliter euenire non poterat. Reſpondeo, aliud eſſe ſcire, aliud efficere. Sciebat Deus fore, vt ego hodie domo exirem: ſed me exire non coegit, fuitque mihi liberum vel exire, vel non exire. Non enim quia ipſe ſciebat, ideo ego exiui: ſed quia ego exiturus eram, ideo ipſe præſciebat. Non enim pendet res ſiue præterita

ſiu

Digitized by Google

ſiue futura, a ſcientia: ſed ſcientia a re. Scio ego heri ſpiraſſe ventum: ſcio et hinc ad ſex menſes fore æſtatem: ſed neque ventus ſpirauit, quia ego eum ſpiraſſe ſcio: neque æſtas erit, quia ego fore ſcio: ſed contra, quia æſtas futura eſt, ideo eam ego fore ſcio: et quia ventus ſpirauit, ideo eum ego ſpiraſſe ſcio. Iam vero qui putant, res omnes non aliter fieri poſſe quam fiunt, longe errant. Poterat Chriſtus (ſicut dicit ipſemet Matth. 26.) obtinere a patre duodecim legiones Angelorum, tamen non obtinuit, et ſciebat pater eum non oraturum, tamen poterat orare: *ergo fieri aliquid potuit, quod factum non eſt.* Habebat Pilatus poteſtatem vel dimittendi vel crucifigendi Chriſtum, id quod Chriſtus non negat: tamen non dimiſit, quum poſſet, Ioan. 18, 4. Denique ſi ſcientia Dei ſeruas redderet omnes actiones, oportet non ſolum Chriſtum, ſed etiam ipſum Deum eius patrem eſſe ſeruum, vtpote qui ſciat quid facturus ſit. Sed non ideo facturus eſt, quia ſcit: ſed ideo ſcit, quia facturus eſt, habetque liberrimam faciendi aut omittendi poteſtatem. Quum volunt ſacræ litteræ homines ad earum rerum cognitionem adducere, quæ ſenſibus ſubiectæ non ſunt, deducunt ex eis rebus ſimilitudines, quæ ſub ſenſum cadunt. Si intemperatius epulor, ſentio liberam epulandi voluntatem: ſi poſtridie cruditate laboro, ſentio neceſſarium cruditatis malum: ex quo fit, vt aperte videam peccatum eſſe voluntarium, pœnam vero neceſſariam: vt qui volens peccat, is nolens puniatur. Quod ſi quando eo venit homo conſuetudine peccandi, vt ſe a peccando continere non poſſit, aut a Deo derelinquatur, eam peccandi neceſſitatem ipſe ſibi ſua voluntate creauit, dum volens primum peccauit, quemadmodum ſi quis ſe ipſum det præcipitem, deinde caſum reuocare nequeat. Sed ad rem veniamus. Oſtendimus Adamum, et porro omnes homines, deſtinatum fuiſſe vitæ æternæ: peccaſſe autem contra Dei voluntatem et deſtinationem, ſua voluntate, nulla neceſſitate cogente. Iam fieri multa contra deſtinationem, quæ cum conditione coniuncta ſit, facile eſt oſtendere. Deſtinauit figulus cretam vaſi culinario: ſed vas illud in fornace finditur contra deſtinationem. Deſtinauerat Deus omnes Iſraelitas ex Aegypto eductos in Cananæam introducere, ſicut ipſemet Moſi demonſtrat, Num. 14. ideoque omnes in Moſem loti fuerunt in nube, 1. Cor. 10. ſed ipſi, quia Cananæos adoriri voluerunt, in ſiluis perierunt contra deſtinationem, quemadmodum et Scribæ, qui Dei conſilium in ipſis reſciderunt, Luc. 7. deſtinauerat Deus regem Ezechiam morti, 2. Reg. 20. ſed Ezechias precibus et pietate quindecim annos impetrauit contra deſtinationem. Sexcenta poſſunt talia adferri. Iam conſiderandum eſt; an etiam in Chriſto, nouo Adamo, omnes deſtinati ſint ſaluti, Paulus quidem adfirmat, dum Act. 17. dicit Deum nuntiare omnibus vbique hominibus, vt pœnitentiam agant, fidemque præbere omnibus per Ieſum Chriſtum. Item dum 1. Tim. 4. dicit Deum ſeruatorem eſſe omnium hominum, et maxime fidelium. Nam per Deum non ſtat, quo minus ſeruentur omnes: Ideoque Seruator omnium ſic dicitur, quomodo medicus ſanator omnium diceretur, qui vellet et poſſet omnes ſanare, ſi modo omnes vellent ſe ſanari. Eadem dicit cap. 2. Videlicet Deum velle omnes homines ſeruari, per vnum mediatorem Dei et hominum Chriſtum, qui ſe ipſum dederit pretium redemtionis omnium. Nec ſunt audiendi, qui dicunt ibi, omnes homines eſſe de omni hominum genere. Nam eadem ratione liceret dicere, quum Paulus Rom. 5. dicit, per vnum hominem veniſſe mortem ad omnes homines, non ad omnes homines veniſſe mortem, ſed ad omnia hominum genera: id quod falſum eſt. Quod ſi ad omnes prorſus homines propagatum eſt peccatum, et

mors

mors ab Adamo, multo magis iuſtitia et vita propagatur ad omnes a Chriſto. Vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Eodem pertinent illa: Omnes ſitientes venite ad aquas, Eſ. 55. Item: Venite ad me omnes qui laboratis, Matth. 11. Item: Non vult quemquam perire, 2. Petr. 3. Ex quibus, et aliis multis, apparet Deum velle, vt omnes ſeruentur. Cur autem nonnulli tamen pereant, cauſſa eſt illa quam ſupra in Adamo diximus: Videlicet cautio, quod Deus vult omnes quidem ſeruari, ſed per ſalutem. Iam ſalutis adipiſcendæ ea ratio eſt, vt admittant homines amorem veritatis 2. Theſſ. 2. Admittitur autem amor, voluntate: et voluntas libera eſt, ita fit, vt qui non vult admittere, damnetur. Cuius damnationis prima et vna cauſa eſt, praua voluntas hominis, quæ parit incredulitatem, ſicut oſtendit Apoſtolus, dum Rom. 11. dicit, Iudæos propter incredulitatem ſuam eſſe amputatos ex olea. Nam omnes fuiſſe ſaluti deſtinatos, apparet ex ipſa ſimilitudine. Certum eſt enim, omnes ramos oleæ deſtinatos eſſe ferendo fructui. Poſſe autem deſtinatum et vocatum tamen amputari, oſtendit ibidem, dum dicit: Et tu qui inſitus es, amputaberis, niſi permanſeris in fide. Certe inſitos, et vocatos, et credentes, et in olea ſtantes adloquitur, eoſque timere iubet: id quod fruſtra præciperet, ſi amputari non poſſent: quemadmodum et alibi Phil. 2. iubet ſalutem procurari cum timore et tremore. Quin ipſemet metuit ne amputetur, qui tamen ſciebat ſe eſſe vas electionis, dum 1. Cor. 9. dicit: *Ego ſic curro, vt non obſcure: ſic luctor, vt non aerem verberans: ſed domo et ſubigo meum corpus, ne forte, quum alios docuerim, ipſe reiectaneus ſim.* Quid eſt enim reiectaneum eſſe? An ab hominibus reiici? At ipſe 1. Cor. 4. teſtatur, ſe nihil facere hominum iudicium. Vt interim taceam, quod quum loquatur de lucta, dubitari non poteſt, quin de luctæ præmio loquatur, ad quod peruenire non poſſit, niſi legitime et ad finem vſque certauerit, etiam ſi eſſet electus, aut (vt ſupra de Conenia dictum eſt) annulus in dextera manu Dei. Hoc ſignificabat Chriſtus, quum Matth. 5. diceret: Niſi iuſtitia veſtra ſuperauerit iuſtitiam Scribarum, cet. et tamen electos adloquebatur. Itaque Iudas, qui erat electus, et in libro vitæ ſcriptus (dicit enim, Ioan. 6. Nonne ego vos duodecim elegi? item, Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ) tamen reiectus eſt, et de libro deletus (id quod fieri poſſe apparet in fine Apoc. et Exod. 32.) quia eius iuſtitia non fuit maior, quam Scribarum. Id quod Ioannes aliis verbis indicat, dum dicit: *Si fuiſſent ex nobis, non exiiſſent*, hoc eſt, ſi ſinceri fuiſſent, et alia iuſtitia prædití, quam Scribæ et Phariſæi. Nec eſt quod cauillentur, Iudam non ad vitam, ſed tantum ad apoſtolatum fuiſſe delectum. Dicit aperte Chriſtus Io. 17. *Ex omnibus quos dediſti mihi, non perdidi quemquam, niſi filium perditionis.* Ergo Iudam perdidit, quia Iudas vocationem ſuam ratam non fecit, ſed irritam. Item Io. 15. *Ego vos elegi, et eo deſtinaui, vt abeatis, et fructum feratis, veſterque fructus duret.* Quod ſi erat electus Iudas, vt fructum ferret, certe electus erat, vt Chriſti (qui vitis eſt) palmes eſſet. Sed quia fructum non tulit, amputatus eſt. Alioquin quomodo potuiſſet alios ad ſalutem ducere, niſi ipſe ad eamdem anteceſſiſſet? Vos eſtis ſal terræ, inquit Matth. 5. Quid potuiſſet in Apoſtolatu prodeſſe Iudas, ſi fuiſſet ſal fatuum? Itaque non vt fatuum, ſed bonum ſal eſſet, electus fuit. Sed quia in electione non perſtitit, reiectus eſt, ideoque electus negatur, Ioan. 13. Non de omnibus dico, ſcio quos elegerim. Iam vero dicit Chriſtus Petro: *niſi te lauero, non habebis partem mecum.* Quid quod ſcripſit Petrus ipſe 1. Pet. 2. *qui in ſermonem offendunt, ei diffidentes, ad quod erant deſtinati?* Quomodo offendunt, ſi nemo deſtinatus offendere poteſt? Adde huc, quæ ſupra iam citauimus ex Ieremia 18

et Ezechiele 33. Ex his igitur ſic iam inferimus: Deus vult omnes per Chriſtum ſaluos fieri. Quicumque ſeruari volunt, per Chriſtum poſſunt: ſi modo ea præſtare velint, quæ ad ſalutem adipiſcendam ſunt neceſſaria. Qui pereunt, ii contra Dei deſtinationem et voluntatem pereunt, ſua praua et libera voluntate et culpa. Qui vitæ deſtinati ſunt, perire poſſunt ſi volunt, ſicuti Iudas. Qui morti deſtinati ſunt, ſeruari poſſunt, ſicut Ezechias, ſi modo mature reſipiſcant. Qui ſeruantur, ii Dei electione et miſericordia gratuita ſeruantur. Qui damnantur, non ideo damnantur, quia velit Deus eos damnari, ſine vlla cauſſa nobis cognita: ſed ideo vult eos damnari, quia veritatis amorem ſcientes et volentes repudiarunt: quæ cauſſa nobis cognita, et in litteris aperte declarata eſt. Sed quoniam electionis facta mentio eſt, de ea nonnihil loquendum eſt. Electio triplex eſt, vt Iud. 6. in Gedeonis hiſtoria in figura demonſtratur. Gedeon ſpiritus inſtinctu euocat tubæ ſonitu Abiezerianos, et Manaſſenſes, et ceteros. Hæc eſt prima electio, ſiue delectus, qui generalis eſt. Deinde edicit, vt timidi et noui mariti, cet. diſcedant. Hæc eſt altera electio, qua tantum intrepidi et ad bellum parati eliguntur. Poſtremo ſeparat eos, qui aquam more canum lambunt: Hæc eſt tertia electio, qua non niſi ſtrenuiſſimi, et omnia bello poſtponentes eliguntur. Sic Chriſtus primo generatim vocat omnes ad pœnitentiam. Hic eſt primus electus. Deinde iubet renuntiari patri et matri et vxori. Hæc eſt altera electio, in qua multi diſcedunt. Poſtremo iubet perſeuerari in rebus aduerſis vſque ad finem, et panem de cælo comedi, Ioh. 6. Hæc eſt tertia electio, in qua Iudas diſcedit: de qua loquitur Eſ. cap. 48. Eligam te in fornace calamitatis. Has omnes electiones habebat Deus in animo ante orbem conditum, nec eſt eius interior electio exteriori contraria. Non enim eſt duplex Deus. Itaque Epheſ. 1. dicitur elegiſſe nos antequam nati eſſemus. Qui ad vltimam vſque electionem, et igneam explorationem perſeuerauerit, ſaluus erit. Ac tales quidem electi perire non poſſunt, quia perſeuerant et ſemper ſequuntur agnum Apoc. 24. Alioquin perirent, niſi perſeuerarent. Iam quod dicit Paulus Rom. 9. non eſſe currentis neque volentis, ſed miſerantis Dei: oſtendit, ſalutem noſtram gratuitam eſſe. Fruſtra enim curreremus, niſi Deus præmia proponeret: quemadmodum fruſtra curras in curriculo, ſi nullum ſit propoſitum præmium. Sed tamen niſi velimus, et curramus, præmium non obtinebimus, oportet enim, vt præmiator et curſor officium ſuum præſtet. Item, quod Phil. 2. dicitur Deus in nobis efficere, vt et velimus et perficiamus, intelligendum eſt, ſic eum efficere vt velimus, quomodo Chriſtus ſermone ſpirituque ſuo efficit, vt velis ire ad fontem, dum clamat: Omnes ſitientes venite ad aquas, Eſ. 55. Sed multi, rerum mundanarum amori indulgentes, hanc oblatam a Deo voluntatem et ſpiritum ipſi ſua incredulitate et praua voluntate repudiant, ſicuti ſupra dictum eſt de iis, qui amorem veritatis reſpuunt, vt et Chriſtus Hieroſolymæ exprobrat, cuius filios ipſe congregare voluit, vt item in Marc. 6. ſcriptum eſt, vbi dicitur, Chriſtum non potuiſſe in patria ſua facere miracula, propter eorum incredulitatem. Ex quo intelligitur, quamtuis velit ſeruare nos, id tamen fieri non poſſe, niſi ſalutem volentes accipiamus. Et quod ſcripſit Lucas Act. 13. credidiſſe omnes qui erant ordinati ad vitam, perinde eſt ac ſi dicas, credidiſſe omnes qui voluerunt renuntiare iis, quibus renuntiandum eſſe docuit Chriſtus. Tales enim ſunt ad vitam præordinati, ſiue deſtinati. Et quod dicit Chriſtus Io. 6. neminem poſſe ad ſe venire, niſi trahente patre, trahere eſt attrahere et adlicere: ſed multi attracti recedunt, vt Iudas, quem pater ad Chriſtum traxerat, et ei tradiderat. Iam vero quod hominem creauit Deus, et quod talem creauit, et quod docuit,

cuit, et quod excellentiorem beſtiis creauit, hoc totum factum eſt nullo requiſito hominis officio: quemadmodum quod Matth. 25. pater familias alii dedit talenta decem, alii quinque, alii vnum, ad eam talentorum dationem nullum requiſitum eſt famulorum officium. Sed quum dicit, *Negotiamini*, hic iam requirit officium. Itaque qui talentum obruit, damnatur, non quia tantum vnum habuerit (hoc enim ab heri officio pendet) ſed quia negotiari noluerit, quum poſſet. Sic quod nos tales creauit Deus, et quod alii maiorem veri cognitionem dedit, alii minorem, hoc plane a Dei electione et voluntate pendet, ſine vllo officio noſtro: ſed vt in cognitione creſcamus et negotiemur, ad hoc iam neceſſarium eſt officium noſtrum: ita vt ſalutem nobis conferre non poſſimus, ſed impedire certe poſſimus. Ita fit, vt ſalus ſit a Deo, pernicies a nobis ipſis, quemadmodum ægrotum ſanare, officium eſt medici: ſed oblatam medicinam ſumere, et præſcriptam victus rationem tenere, officium eſt ægroti: et quidem non minus neceſſarium, quam medici, neque tamen propterea dicat ægrotus, ſe a ſeipſo ſanatum eſſe: ſed tantum ſalutem accepiſſe, non impediuiſſe. Iam de hominis voluntate, libera ſit, an ſerua, ſatis patet ex eo loco, quem ſupra citauimus, Matth. 23. Quoties volui congregare natos tuos, et tu noluiſti? Si enim libera non fuiſſet Hieroſolymæ voluntas,non potuiſſet non velle, quod Chriſtus volebat: Quemadmodum de terra ſupra dixmus. Quod ſi quis dicet Deum noluiſſe, vt Hieroſolyma vellet, faciet patrem filio contrarium: nam Chriſtus voluit. Sin dicet occultam fuiſſe Dei voluntatem, qua nollet, apertam autem hanc, quæ a Chriſto verbis et præceptis proponeretur, ſtatuet duas voluntates in Deo: quarum erit altera alteri contraria, id quod ne in homine quidem fert Deus, quum vetat habere cor et cor, hoc eſt cor duplex. Quum vetat Deus me furari, vult vt ego non furer. Quum iubet, vt Chriſtum admittam: vult vt Chriſtum admittam, et idem ab omni æternitate voluit: alioquin quomodo ſciemus eius voluntatem? aut quis nobis patefecit illam occultam voluntatem eius præceptis contrariam? Si non haberem liberam voluntatem, non poſſem aliud velle, quam quod vult ipſe. Dicet aliquis: Tamen 2. Reg. 16. iuſſit Semei, vt Dauidi malediceret. Cur ergo iubet eum Dauid poſtea moriens puniri? Sic iuſſit Deus Semei, vt Dauidi malediceret, quomodo cor Pharaonis indurauit, vt ante diximus: aut quomodo Ioſephus, Gen. 45. dicit, ſe non a fratribus, ſed a Deo fuiſſe miſſum in Aegyptum, id quod poſtea declarat, dum dicit, quod illi fecerant malo animo, id Deum vertiſſe in bonum: in quo apparet, Dei voluntatem fuiſſe, non vt illi eum venderent, (erat enim plagium, quod peccatum Deo placere non poteſt: nam Deus nolens iniquitatem tu es, Pſal. 5.) ſed vt Ioſephus in Aegyptum veniret. Neque vero Deus illis malum animum dedit, vt id facerent: ſed quum iam ante malum animum haberent, paſſus eſt ab illis id fieri. Sic Semei non dedit malum animum, vt Dauidi malediceret: Sed quum vellet Dauidem maledictis exerceri, nactus Semeium malorum hominem, ei laxauit habenas: et ille a Deo derelictus, quum malus eſſet, male fecit iuſſu Satanæ: et Dauid qui id patienter tulit, bene fecit iuſſu Dei. Nam pati iniuriam, bonum eſt, et a Deo præceptum: ſed inferre iniuriam, malum eſt, fitque contra Dei voluntatem, qui id vetuerit: nec vlla eſt Dei voluntas huic voluntati contraria. Nam quod locum citant ex 2. Reg. 24. in quo Deus dicatur impuliſſe Dauidem ad numerandum populum, male citant? quum in 1. Paral. 21. aperte ſcriptum ſit, eum id feciſſe impulſu Satanæ. Quamquam etiam ſi diceretur Deus eum incitaſſe, ſic intelligendum eſſet, quomodo ſupra de Semei diximus, videlicet

licet

licet relictum Dauidem, non incitatum fuiſſe a Deo, non magis quam dum Vriam interfecit. Neque eſt (vt iam oſtendimus) quod quiſquam dicat, aliam eſſe Dei voluntatem quæ nos lateat. Deus in præcep is ſuis nobis aperuit æternam et immutabilem voluntatem ſuam: nec hominibus illuſit, ſed vere et ab omni æternitate voluit, quod præcepit: eſt enim Deus qui malum ſemper odit, vtpote qui ſemper ſit bonus. Quod ſi quis dicet, hominem velle quidem ſua ſponte malum, ſed bonum velle non poſſe ſine Chriſto, quoniam ſit iudicio plane peruerſo atque corrupto: fatebor id ego: ſed aliud eſt libera voluntas, aliud bona. Liberam voluntatem habent etiam mali, ſicut lupi, quoniam libere et volentes peccant: ſed boni et a Chriſto docti, habent non ſolum liberam, ſed etiam bonam voluntatem. Dices: Sed eam habent a Chriſto. Quid tum? Et Adamus a Deo habebat. Sed an ideo non habent, quia a Chriſto habent? immo ideo habent quia a Chriſto habent. Quod enim mihi donatum eſt, id ego habeo, meumque eſt, non vt glorier, ſed vt eo bene vtar, et datori gratias agam. Nam et oculos a Deo habeo: ſed non ideo non liber eſt mihi oculorum vſus, quia Deus dedit; ſed ideo liber eſt, quia Deus liberum dedit. Et panem noſtrum quotidianum appellamus, et eo vtimur arbitratu noſtro: quum eum a Deo habeamus, ſicut et omnia alia bona. Nec ſolum habent boni bonam voluntatem, ſed etiam doctam et cum poteſtate coniunctam. Huius rei luculentum exemplum eſt in Paulo, et Timotheo, Act. 16. qui prohibiti ſunt a ſancto Spiritu verba facere in Aſia: itemque conati per Bythyniam iter facere, ſed non ſiuit eos ſpiritus. Quod enim conabantur facere, id bonæ voluntatis erat, quam bonam voluntatem a Deo habebant: ſed erant ignari, quid vellet. Itaque Deus eos docuit, ſuæ voluntatis eſſe, vt irent in Macedoniam: id quod ſtatim cupiuerunt, et ſuam voluntatem Domini voluntati volentes obedienter ſubmiſerunt, et ab eo ſimul vires habuerunt ad opus perficiendum. Idem videre licet, 2. Reg. 7. in Nathane, qui quum Dauidi dixiſſet, vt faceret quod habebat in animo, poſtea iuſſu Dei nuntiauit, non ipſum, ſed Solomonem eſſe ædificaturum templum. Idem in Ioſepho, Gen. 48. qui Manaſſem dexteræ Iacobi admouebat, in quo erat ſane Ioſephi voluntas bona, ſed indocta: Itaque vbi edoctus eſt, obediuit ſua illa bona et libera voluntate. Atque hanc bonam voluntatem, quam acceperunt a Deo pii, impii repudiant oblatam a Deo. Id quod exprobrat Stephanus Iudæis, Act. 7. Duri ceruice, inquit, vos ſemper Spiritui ſancto contrauenitis. Volebat enim Spiritus ſanctus eis dare diuino ſermone cor carneum et obediens. ſed illi aures ſuas volentes obturabant: ideoque doceri non poterant, non magis quam ſurdi. Nemo enim tam ſurdus eſt, quam qui audire non vult. Quod autem Num. 23. dicitur Deus coegiſſe Balaamum ad bene dicendum Iſraelitis, ſciendum eſt, alium eſſe ſpiritum fatidicum, alium ſpiritum iuſtificum, quamuis ſit idem Dei ſpiritus. Bene vaticinari coactus eſt Balaamus, et impeditus quo minus eum populum infelicitaret, quem Deus volebat eſſe felicem: ſed bene viuere non coactus eſt: quemadmodum et Saulus, quum vellet occidere Dauidem, correptus eſt ſpiritu fatidico: ſed nihilo factus eſt melior. Nam ad iuſtitiam et bonitatem nemo cogitur: inuitantur omnes, et verbis adliciuntur, et ſic coguntur, quomodo Lotus genios ad ſe diuerti coegit, Gen. 19. hoc eſt verbis, aut etiam interiore et diuina vi orationis adliciuntur: ſed ſi nolunt non veniunt. Propterea dicebat Chriſtus, Matth. 16. *ſi quis vult venire poſt me:* Itemque ſuis duodecim, Ioan. 6. *Et vos num vultis abire?* quaſi hoc diceret: **Inuitum ego neminem retineo: Abierunt multi diſcipuli, et vobis abire li-**

re liberum eſt. Igitur vt finem faciam, hæc ſunt quæ volo: Homines tum boni tum mali habent liberam voluntatem: ſed mali malam, ſine Chriſto: et boni bonam, per Chriſtum. Et mali poſſent obtinere bonam, et cum ea poteſtatem bene faciendi, ſi paterentur ſe a Chriſto mature doceri. Mature ideo dico, quoniam tempus erit, quum volent intrare per anguſtam portam, nec poterunt: quoniam ſero volent, poſt meſſem; tamen habebunt voluntatem bene faciendi: ſed poteſtatem non habebunt, quam ante habuiſſent, ſi voluiſſent. Boni vero habent a Chriſto liberam bene viuendi voluntatem, et poteſtatem: quoniam ipſe ſua gratia in eis efficit, vt velint et poſſint, et eos a ſeruitute liberat, in quam detruſi fuerant per peccatum. Ita fit, vt iuſtorum ſalus ſit gratuitum Dei donum: iniuſtorum autem pernicies, ſit præmium eorum malæ voluntatis. Hæc ita eſſe ſciunt ipſi latrones, qui ſæpe inter manus carnificum libere confitentur, ſe ſua culpa peccaſſe, quum potuiſſent, ſi voluiſſent, euitare facinora. Scient et omnes in extremo iudicio, quum ipſa crimina accuſatores erunt, et conſcientiæ bonos excuſabunt, et malos accuſabunt: id quod fieri non poſſet, niſi quod recordabuntur ſe oblatam ſalutem ſua ſponte et pertinacia repudiaſſe. Scio multa contra hæc obiici ſolere: ad quæ reſponderi poſſet, niſi prolixitatem refugerem, res eſt quæ ab iis facile poteſt intelligi, qui ſeipſos rimantur: qui vero tantum litteras perſcrutantur, neque cordi ſuo purgando dant operam, ii ſic implicati tenentur, vt palpent in meridie, neque ſe doceri ſuſtineant. Breuiter, ſi quis diſputationem hanc ſatis percipere non poteſt, conſideret vtra via ſit anguſtior. Nam qualis eſt diſcipulus, talis eſt doctrina. Quæ doctrina reddit homines audaces, inflatos, ſæuos, perſecutores, aliorum damnatores, et ſui ſecuros, quaſi iam ſedeant cum ipſo Chriſto ad dextram Patris: ea doctrina quum tales fructus edat, facile iudicari poſſet qualis ſit. Rurſum quæ reddit Dei metuentes, ſollicitos, demiſſos, benignos, clementes, miſericordes, et ſalutem ſuam quum timore et tremore procurantes, neminemque damnantes, ſed omnium ſaluti ſtudentes: ea quin diuina ſit, quum tales diſcipulos efficiat, dubitari non debet, etiam ſi peſſime apud homines audiat. Summa eſt hæc: Recedat ab iniuſtitia, quisquis nominat Chriſti nomen, 2. Tim. 2. Si quis ſeipſum a vitiis expurgauerit, vas erit ad honeſtatem ſacratum. Qui ſtat videat ne cadat, 1. Cor. 10. Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, ne nobis quidem parcet, quamuis inſiti ſimus, et a radice feramur, Rom. 11. Domini metus, ſapientiæ caput eſt, et caſum antecedit ſuperbia. Hæc vt ſeriberem, adductus ſum miſericordia, quod video multos in eum errorem adduci, vt dicant: Si ſaluti deſtinatus ſum, non poſſum perire: ſin exitio, non poſſum ſeruari: itaque non eſt quod de mea ſalute ſim ſollicitus, non magis quam de curſu ſolis, Atque hunc errorem, tantum abeſt vt tollere poſſint auctores illi huius fati Stoici, vt ipſimet eodem laborent: quippe quum nulli ſecurius viuant, aut licentius: ſicuti et iam multi, et breui omnes videbunt. Neque huic malo vllis rationibus occurri poteſt, niſi ſit perſuaſum, neminem prorſus eſſe, qui ſeruari non poſſit, ſi velit ad Chriſtum vere et ex animo confugere, donec adhuc tempus eſt miſericordiæ. Itaque nemo deſperet, nemo ſe reiectum putet: venite ad me (inquit ipſe ſeruator Matth. 11.) omnes qui laboratis, et onerati eſtis, patet adhuc omnibus ſalus.

CAP. XI. v. 17. *Et tu oleaſter in eos inſitus es*) Atqui non oleaſter in oleam, ſed in oleaſtrum olea inſeri ſolet. Verum quum Paulus radicem cum ſtirpe gentis Iudaicæ conferat, calamum autem inſititium cum homine extraneo, ſi ab

ſi ab vſitata inſerendi conſuetudine ſimilitudinem duxiſſet, hoc erat incommodi, quod Iudæi cum oleaſtro, extranei cum oliua fuiſſent comparandi. Quod quum eſſet abſurdum (præſtat enim Iudæa gens) maluit ſimile ducere ab inſitione, non vſitata illa quidem, ſed quæ non minus fieri poſſit. Nam ſi oleaſtri inſitum in oliuam inſeras, viuet oleaſtri inſitum, et oliuæ humore nutrietur. Nec refert, quod fructus non feret vrbanos, ſed agreſtes (ſemper enim talis eſt fructus, qualis eſt inſiti flagelli natura) non enim de fructu loquitur Paulus, ſed de inſerendi ratione, et calami nutritione. Atque hactenus quadrat ſimilitudo, quæ non eſt longius perſequenda, quam quoad pertinet ad id, de quo agitur.

36. *Et propter eum omnia*) εἰς αὐτὸν, pro δι' αὐτόν. vt 2. Corinth. 2. ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν τρωάδα εἰς τὸ εὐαγγέλιον, et Coloſſ. 1. πάντα δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισαι. Neque non ſic loquuntur Latini: vt Cicero, Ad memoriam aliquid notare: hoc eſt, ob memoriam: et Columella, in hoc factum eſt: pro, ob hoc ipſum, εἰς αὐτὸ τοῦτο. Sed latine cum perſonæ accuſatiuo durius eſſet et obſcurius, ſi diceremus omnia eſſe ad Chtiſtum. Itaque malui dicere propter Chriſtum.

CAP. XII. v. 1. *Per Dei miſericordiam*) οἰκτιρμῶν pluralis eſt numeri. Sed intelligendum eſt, quæ verba apud nos habitum declarant, ea apud Hebræos et de habitu dici, et de actione: ſed de habitu per pluralem numerum, de actione autem per vtrumuis, prout vel vna eſt, vel plures. Exempli gratia, ſi volunt beneficium dicere, dicunt חסד ſin beneficentiam, vtuntur eodem verbo, ſed in plurali numero: atque idem faciunt, ſi beneficia ſignificare volunt. Exempla legendis ſacris libris, quam voles multa inuenies. Igitur οἰκτιρμὸς eſt miſeratio. At plurali numero, miſericordia eſt, hebraico more, vt recte interpretatus eſt hoc loco vetus interpres.

2. *Neue ſimiles vos huic ſeculo præſtate*) Hoc eſt, huius vitæ hominibus. Ego ab hoc loquendi genere ideo recedere nolui, quod et ſignificanter dicitur, et latinus ſermo patitur. Nam et ſecla ferarum, pro genere ferarum ſæpe dixit Lucretius: et antiquorum quidam dixit, auaritiam aut ambitionem nunc tenere ſæculum.

CAP. XIII. v. 12. *Diſceſſit nox: dies adeſt*) Scio προκόπτειν eſſe progredi, et ἐγγίζειν propinquare. Sed non dixit Paulus, ἡμέρα ἐγγίζει: ſed ἤγγικεν. Quod autem propinquauit, id iam non propinquat, ſed adeſt. Atque hoc pacto ponitur hoc verbum et alias ſæpe, et Lucæ 10. Neque vero me præterit, ἠγγικέναι ἀντὶ τοῦ ἐγγίζειν ſæpe dici. Sed id quomodo ſit interpretandum, ex ſententia diſcendum eſt. Hoc quidem loco Paulum non de futura luce loqui, ſed de præſenti, ex eo apparet, quod hortatur, vt honeſte ſe gerant, vt in die: hoc eſt, vt nunc facere decet, quum dies eſt. Quod ſi diem hanc vocaret reſurrectionem hominum olim futuram, fruſtra hortaretur, vt honeſte ſe gererent poſt mortem. Loquitur autem de luce Euangelii, qua exorta, ceſſerunt ignorantiæ tenebræ.

CAP. XIIII. v. 23. *Quidquid ſine fide fit*) Fidem hic vocat certam perſuaſionem ita licere. Quaſi dicat, quidquid facit quiſquam dubitans, vtrum liceat nec ne, peccat: vt ſi quis carnem comedit dubitans an liceret, peccat. Vide adnot.

CAP. XV. v. 17. *Itaque habeo quod in Chriſto Ieſu glorier*) Hoc eſt in

Chriſti

Chriſti Ieſu negotio, ſiue in Chriſtianitate, aut in re Chriſtiana: qualis loquendi modus et ſupra capite octauo, et infra capite vltimo, ſæpe occurrit. Ego non ſemper, ſed tamen aliquando hunc loquendi modum retinere volui, quod ab eo ne Latini quidem abhorrent, vt in Eſaiæ 29. declarauimus.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS.

ARGVMENTVM ATHANASII IN PRIOREM AD CORINTHIOS.

Hanc ad Corinthios ſcripſit Apoſtolus, ex Epheſo Aſiæ, poſtquam eos iam viderat et docuerat, vt per illam admoneret. Occaſio autem epiſtolæ hæc eſt, Corinthii per contentionem ſciſſi ſententiis inter ſe disſidebant, et præterea erant inter eos ſectæ, quarum vitio fiebat, vt inemendatum negligerent eum, qui nouercam ſuam in vxorem ſibi ſumſerat. Alii volebant, vxores ſuas continentiæ prætextu relinquere. Quidam apud ſimulacra edebant, quaſi adiaphora eſſent idolothyta. Erant qui reliquos vilifacerent, eos vero qui linguis loquebantur, ſuſpicerent: poſtremo et in myſterio reſurrectionis quidam ſeducti erant, ita vt dicerent, futurum non eſſe, vt hæc noſtra caro reſurgat. Quum hæc omnia in Corintho mouerentur, ſcribunt de plebe quidam Apoſtolo, qui et ad omnia reſcribit. Et primum quidem teſtimonium illis dat prudentiæ et ſcientiæ, non autem laudat eos ſectas facientes, ſed conſulit, vt virtutem putent non in ſermone eſſe, ſed in opere et potentia. Deinde poſtquam increpauit eum, qui nouercam vxoris loco ſumſerat, adhortatusque eſt, ne iudiciaria lite inter ſe contenderent, deinceps ad ea reſpondet, de quibus illi ſcripſerant. De nuptiis docet infractum eſſe debere coniugium, et precum gratia ad tempus ab illo vacari poſſe. Quoniam vero arridebat illis continentia, de virginitate ſcribit, quod neceſſaria non ſit, ſed cuiusque perſuaſioni permittenda. Subdit de eſcis ſimulacrorum ne abutantur ſcientia, ſed conuerſentur in dilectione: prohibet igitur ſympoſia, quæ in templis ſimulacrorum fiebant, ne puſilli offendantur. Poſt iſta de donis ſpiritualibus ſcribit, ne chariſmatum gratia diſcrimen inter ſe ſtatuant, neue præferant eum, qui chariſma aliquod habet, ei qui alio donatus eſt. Nam omnia eiusdem eſſe ſpiritus dicit. Ceterum et de reſurrectione docet, quod caro reſurrectura ſit mortua quidem in corruptione, excitanda vero incorrupta, ſecundum gratiam Chriſti. Reſurrectionem vero ex eo adſtruit, quod Chriſtus excitatus eſt. In calce, quæ ad morum exhortationem faciunt, ſcribit, et de collatione ad ſubſidium

ſidium ſanctorum facienda præcipit, atque ita abſoluit epiſtolam.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 26. *Non multi quidem ſapientes*) Ex verbis his certo ſciri non poteſt, an de iis qui vocarunt ac docuerunt, an de iis qui vocati ſunt, loquatur. Sed tota diſputatio oſtendit, eum de Apoſtolis et Euangelii doctoribus loqui. Quod enim paullo ante dixit, *Quod Dei ſtultum eſt, id ſapientius eſt quam homines:* dixit profecto de Euangelica doctrina, quæ ſit perituris ſtultitia, vt ante docuerat. Quod deinde ſubiungit, *Videtis enim quomodo ſitis vocati:* rationem reddit eius quod de ſtultitia dixerat, vt oſtendit coniunctio Enim: quaſi hoc dicat, Quod dico Dei ſtultitiam (vt ita loquar) eſſe ſapientiorem quam ſunt homines, id ipſi videtis in iis, a quibus eſtis ad Euangelium vocati, qui ſint fere indocti, inopes, ignobiles: per quos tamen docti, potentes, nobiles confutantur. Itaque quod hoc loco dicit Paulus, Mundi ſtultiſſima elegit Deus, vt ſapientes confutaret: idem eſt quod ante dixerat, Viſum eſt Deo, per prædicationis ſtultitiam ſeruare fidentes. Non enim confutantur ſapientes ab iis qui docentur, ſed ab iis qui docent. Conſidera lector totum orationis Pauli tenorem, et caput ſecundum, vbi idem in concluſione repetit, quod (vt fieri ſolet) in propoſitione dixerat: inuenies rem ita ſe habere. Quod autem Mundi ſtultiſſima, cet. vertimus τὰ μωρὰ τȣ̃ κόσμȣ, Hebræorum more dictum eſt, qui poſitiuis vti ſolent pro ſuperlatiuis, quibus carent: vt, εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, pro εὐλογητάτη τῶν γυναικῶν. et 1. Corinth. 12. τὰ ἀσχήμονα ἡμῶν εὐσχημοσύνην περισσοτέραν ἔχει, Noſtri inhoneſtiſſima quæque maximam honeſtatem obtinent. Talia ſunt et illa poetica, δῖα θεάων, et ἤπιε πάντων.

CAP. II. v. 6. *Sapientiam autem loquimur apud perfectos*) Sapientiam vocat reconditiorem doctrinam, et de rebus magis arduis. Perfectos autem, Chriſtianos in doctrina prouectiores, et arcanorum capaces. Quaſi hoc dicat: Quod vos ſimpliciter Chriſtum, eumque crucifixum, docui, id non ideo feci, quod non haberem perfectiora, et longe maiora quæ docerem. Sed quum vos in Chriſti doctrina infantes, neque maiorum capaces eſſetis, docui rudimenta, et lacte vos (vt ita dicam) paui: quemadmodum dicit capite ſequenti. Hæc ſententia ex Pauli verbis ita aperta eſt, vt nihil apertius: neque ego de ea verbum feciſſem, niſi viderem in ea quosdam ita alucinari, vt in luce videantur oculos claudere et ſuos, et aliorum. Putant perfectos hoc loco dici Chriſtianos quoſuis, quibus Euangelium ſit ſapientia. Sed repugnant Pauli verba. Non enim dicit, σοφίαν λαλȣ̃μεν τὴν ἐν τοῖς τελείοις, vt ἐν τοῖς τελείοις referatur ad σοφίαν: ſed refertur ad verbum loquimur, σοφίαν λαλȣ̃μεν ἐν τοῖς τελείοις. Dicet quis: Quid, inter imperfectos et rudes Chriſtianos non loquitur ſapientiam? Non loquitur. Sapientiam enim vocat, perfectiorem et magis arduam ac difficilem doctrinam: ſicut in Apocalyp. 13. σοφία vocatur, acuta quæſtio et ænigma de beſtiæ numero. Et Demoſthenes in Epiſtola de Lycurgi liberis, ταῦτα μὲν σοφώτερα ἢ καθ' ἑαυτὸν εἶναι: Hæc acutiora eſſe, quam vt ea conſequi poſſit. Hæc ergo Pauli reconditior doctrina inter rudimenta tradi

tradi non poteſt: de qua loquens Paulus paullo poſt, dicit: *Sed quæ nec oculus vidit*, cet. quæ oratio refertur ad verbum λαλοῦμεν. Loquimur non humana, neque vulgaria: ſed quæ nec oculus vidit, cet. ſcilicet quum ſumus inter perfectos, et horum arcanorum capaces. Itaque ibi bis ponitur articulus ἃ, hoc eſt quæ, quorum prius ad λαλοῦμεν, poſterius ad ἡτοίμασεν referendum eſt: quæ oratio aliter intelligi, aut apta eſſe non poteſt. Itaque qui aliter interpretantur, alterum articulum vel omittunt, vel ſuperuacaneum putant: id quod non eſt faciendum, niſi vbi aliter ſententia conſtare nullo modo poteſt. Quod ſi verba etiam ad illorum ſententiam duci ſe, non trahi, paterentur, tamen ſententia inepta foret: nam neque perfectos dicere poteſt Paulus Corinthios, quos capite ſequenti vocat σαρκικοὺς, hoc eſt humanos et rudes: et νηπίους, hoc eſt, infantes ac imperfectos: cauſſam reddens, cur eos ſapientiam, hoc eſt perfectiora, docere non potuerit: et ſi perfecti vocarentur quicumque Chriſtiani, imperfecti dici poſſent qui non ſunt Chriſtiani. Atqui imperfectus dici non poteſt, niſi qui eſt inchoatus, et in quo aliquid iam factum eſt: id quod in non Chriſtianos cadere non poteſt, neque vmquam de eis, quod ſciam, dici comperies. Neque eſt quod abhorreas ab hac Pauli ſententia, quaſi nihil maius aut abſtruſius ſolitus ſit apud perfectos loqui, quam ea ſunt, quæ exſtant in eius ſcriptis. Nam ſi Paulo (qui perfectus erat) maiora oſtendit Deus, quid vetat Paulum ea declaraſſe perfectis? An indigniores erant illi audire, quam Paulus videre? Cur ergo ea non retulit in litteras? Quoniam litteras plerique legunt imperfecti, qui tam ardua capere non magis poſſunt, quam puer abecedarius intelligere, quæ ſunt in dialecticis difficilima. Lege 4. Esdr. 14.

11. *Niſi hominis ſpiritus, qui in eo eſt)* πνεῦμα et animum et ſpiritum declarat, Hebræorum more, apud quos eſt רוח. Ego quum in hac ſententia, Dei animum dicere non auderem, præſertim quum in ſequentibus non conueniret, et tamen in vtroque membro idem nomen ponendum eſſet, ſpiritum hominis dixi, pro animo.

CAP. IIII. v. 7. *Quis enim de te iudicaturus eſt?)* διακρίνει dicit, quod ante dixerat ἀνακρίνειν, iudicare, et ſententiam ferre: et præſenti vtitur pro futuro, vt fere ſolet: vt ſupra, ὁ ἀνακρίνων με κύριός ἐστιν. Eſtque eadem ſententia: Quis de te iudicium laturus eſt, vtrum ſis ceteris excellentior? Dominus Chriſtus. Cur ergo tu teipſum præfers aliis, quaſi ſis ipſe iudex: idque facis ante tempus, quum ſit exſpectandum Domini iudicium?

8. *Sine nobis regnatis)* βασιλεύειν, ſicut מלך et regnare, et regnum adipiſci eſt. Iam qui regnum adeptus eſt, is regnat. Itaque recte præteritum ἐβασιλεύσατε per præſens Regnatis, reddidit vetus interpres, ſicut et ἐπλουτήσατε.

C. V. v. 12. *Quum vobis ſit de veſtris iudicandum)* κρίνετε indicativi modi eſt, qui ſæpe ſic declarandus eſt, ut nos reddidimus: quale eſt illud Matth. 11. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν; An nobis alius exſpectandus eſt? Atque ita loquuntur Latini: Quid agimus? pro, Quid nobis agendum?

CAP. VI. v. 6. *Idque ſub infidentibus)* ἄπιστος, ſi de homine Chriſtiano dicatur, poteſt latine diffidens appellari. Sed hoc loco quum de homine a Chriſti religione alieno poſitum ſit, non ſatis proprie diffidens dici poteſt. Eſt enim is, qui eſt fidei, hoc eſt religionis Chriſtianæ expers.

Hanc ob cauſſam putaui audendum mihi, et nouo verbo in re noua vtendum. Quod ſi Ciceroni indolentiam dicere fas fuit, et alia quædam in rebus antea latine non tractatis fingere vocabula, quid vetat et nos inopiæ noſtræ ſuccurrere?

12. *Quiduis mihi licet, cet.*) Pergit ab impudicitia dehortari, per diſſimilitudinem, hoc pacto: Non eadem eſt libertas vtendi qualibet venere, quæ eſt vtendi quolibet cibo. Nam cibo quouis licet vti, modo id non officiat cuiquam: quod fieret, ſi quis adhuc in fide infirmior offenderetur me veſcente. Nam vbi hinc periculum ſit, ego nolim ita obnoxius eſſe vlli rei, verbi gratia, meo ventri aut appetentiæ, vt non potius a carne me abſtineam, quam quemquam lædam. Ceterum quod ad cibos attinet, licet quouis cibo veſci: nam ciborum nullus eſt vſus, niſi comedantur: et ventris nullus eſt vſus, niſi comedat. Ita alterum alterius cauſſa creatum eſt. Cur ergo non licet quauis vti venere, ſicut quouis cibo? Quoniam quum venter cibo ſeruiat, corpus non libidini, ſed Chriſto ſeruire debet. Venter enim ita abolebitur, vt in altera vita, ad quam nos præparat Euangelium, nullus ſit ventris vſus futurus. Ita fit, vt ventris ratio habenda ſit tantum ad hanc vitam degendam: ideoque nihil referat, quo cibi genere alatur. At corpus a Chriſto in vitam reuocandum eſt, et cum eo in æterna vita futurum: quo fit, vt in illam vitam purum ſeruari debeat. Itaque quemadmodum cibus ventri, et cibo venter ſeruit, quoniam alterum alterius eſt: ita debet corpus Chriſto ſeruire, vt et Chriſtus corporibus noſtris ſeruiuit, dum eorum cauſſa mortuus eſt, et reſurrexit, vt ſint corpora noſtra membra Chriſti, non ſcorti. Sed quod de abolendo ventre et dapibus ex Pauli argumentatione collegi, idipſum quomodo ſit intelligendum neſcio. Neque enim ex Pauli verbis colligi poteſt, nihil comeſuros nos in altera vita. Nam quemadmodum alibi ſcripſit, in Chriſto neque marem eſſe neque feminam, quum tamen Chriſtiani mares ſint et feminæ, ſed nulla habetur ſexuum ratio: ita ex his verbis intelligi poſſet, in altera vita nullam haberi ventris aut eſcarum rationem. Sed an ea ſit Pauli mens, ego ignoro.

18. *Omne peccatum extra corpus eſt: ſed qui ſcortatur, is intra ſuum corpus peccat*) Quod dicit, ἐκτὸς τοῦ σώματος, huic opponit εἰς τὸ σῶμα: ex quo apparet εἰς τὸ σῶμα dictum pro ἐντὸς τοῦ σώματος, ſiue ἐν τῷ σώματι: ſicut Lucæ 11. τὰ παιδία μου μετ' ἐμοῦ εἰς τὴν κοίτην εἰσίν, pro ἐν τῇ κοίτῃ εἰσίν. Sicut dixit Plautus: Mihi in mentem fuit, pro in mente. Eſt autem hæc ſententia: Cetera peccata ſedem habent in animo: animus homicida eſt, animus maledicus, falſus teſtis, inuidus, cet. in his peccatis corpus animi dictantis miniſtrum eſt. At libido in ipſo penitus corpore ſedem habet: et quamuis ab animo oriatur (vt cetera omnia) tamen intus in corpore committitur, quum alia extra corpus committantur. Ex quo conſequitur, non vt ſtuprum ſit omnium peccatorum maximum (nam homicidium et alia quædam maiora ſunt) ſed vt ſit corpori intimum, ideoque corpus magis quam alia turpificet: quo nihil fœdius et indignius eſſe poteſt, idem corpus et turpiſſimæ libidinis, et puriſſimi ſpiritus diuini domicilium eſſe, atque templum.

CAP. VII. v. 14. *Sanctus enim ſit vir infidens, cet.*) Fit aliquando, vt vir infidens ab vxore fiat Chriſtianus, (nam Chriſtianos vocat ſanctos) et contra: quam eamdem ſententiam paullo poſt aliis verbis repetit: Qui ſcis autem mulier, cet. Alioquin ſi inter Chriſtianam vxorem et non Chriſtianum virum fiat diuortium, natos abducet vir: ita fiet, vt nati ſint impuri,

hoc

hoc eſt, patris ſimiles, qui eos docebit non eſſe Chriſtianos. At ſi ſimul maneant, mater eos Chriſtum docebit, ita fient Chriſtiani.

33. *Atque ita diuiſus eſt. Item mulier cælebs, aut virgo*) Secutus ſum Colinæi exemplar, in quo ſic legitur: καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ, cet. Diuiſum autem virum dicit, cui ſit et Deo et vxori ſeruiendum. Cælibem mulierem vocat viduam, aut etiam quæ meretrix fuerit (nihil enim vetat has quoque ſeruire Deo) cui virginem adiungit: nam harum eadem eſt conditio, quod ad colendum Deum attinet, quod vtriſque marito carentibus, vacat omnem operam in Dei conferre cultum. Hanc lectionem ſecutum eſſe veterem interpretem apparet. Altera lectio eſt, μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ, cet. in quo vitii hoc eſt, quod μεμέρισται pro διαφέρει male poſitum eſſet. Deinde quod hanc diuiſionem oportuiſſet ante priorem partem poni ita, μεμέρισται ὁ ἄγαμος καὶ ὁ γαμήσας. Tertio, γυνὴ pro γαμήσασα minus bene dictum eſſet, et ἡ ἄγαμος pro ἡ παρθένος, quod non quadrat, quum et vidua ſit ἄγαμος, et repudiata paullo ante eodem nomine appelletur. Adde quod viduis, et repudiatis, et meretricatis hoc negaretur: quum tamen eæ non minus a viro liberæ ſint, quam virgines.

CAP. VIII. v. 1. *De iis autem quæ ſunt ſacrificata deaſtris*) εἴδωλα vocantur, quæ Hebræi אלים dicunt, Latini diuos appellant, vt Iouem, Neptunum, cet. Sed quoniam id ambiguum eſſet (ſolet enim diuus in laude poni) nos verbum deaſtros finximus, quo non veri dii ſignificarentur: qua forma Latinis philoſophaſter, oleaſter, et alia dicuntur. Tametſi idola dici ſolent etiam eorum ſimulacra. Sed Paulum non hic de ſimulacris loqui, ex eo patet, quod eos paullo poſt vocat θεοὺς, hoc eſt deos: vt intelligas, quæ εἴδωλα vocat, ea eſſe quæ deorum nomine nuncupantur. Adde quod, qui Ioui ſacrificabant, non dicebantur Iouis ſimulacro ſacrificare, ſed ipſi Ioui.

Ibid. *Charitas aliis prodeſt*) οἰκοδομεῖ dicit, quod cap. 6. et 10. συμφέρει, ἀλλ᾽ οὐ πάντα συμφέρει. cui opponitur σκανδαλίζειν, nocere, obeſſe, lædere, incommodare: quod paullo poſt hunc locum ponitur. Sed hæc ad alios referuntur: vt ſit οἰκοδομεῖν, prodeſſe aliis.

C.X.v.3. *Spirituali cibo vſus fuiſſe*) Atqui et manna, et aqua fluens ex petra, res erant humanæ: quum manna comederetur, et corpus hominis aleret, ac per excrementa ciborum eiiceretur, nec homines a morte vindicaret, non magis quam alii cibi: quod idem dico de aqua. Sed ſpiritualem ſiue diuinum cibum appellat eum, qui quum humanus eſſet, rem aliam ſignificabat: vt nihil aliud ſit hoc loco cibus ſpiritualis, quam τυπικὸς, et aliud indicans, vt paullo poſt declarat Paulus, vt Apoc. 11. Idem in petra intellige, ex qua fons manabat, quæ petra hic Chriſtus appellatur, quod Chriſtum indicaret, perennis vitæ fontem. Hæc ideo dicit Paulus, vt intelligi poſſint, quæ mox de pane (qui Chriſtus eſt) dicet, vt ſimilia cum ſimilibus conferantur. Atque his paucis Pauli verbis (ſi quis ea diligenter conſideret) explicatur ea quæſtio, quæ doctos homines hodie tantopere vexat.

27. *Nihil ſciſcitantes propter conſcientiam*) Huius loci declarationem inuenies in capite octauo, et hæc eſt ſententia: Si de emto aut appoſito cibo percontabere, reſpondebitur eſſe deaſtrorum victimam, aut fertum. Tum ſi tu veſceris, is qui id tibi indicauerit, Chriſtianus ille quidem, ſed in doctrina

na parum adhuc confirmatus, impelletur ad veſcendum eodem cibo, quo tu veſceris: et quia id dubitans, an recte veſcatur, faciet, peccabit, quoniam incerto faciet, atque ita læſeris eius conſcientiam: hoc eſt, in cauſſa fueris, vt aliquid faciat contra quam ſe facere debere putet. Quod ergo te propter conſcientiam veſci veto, de conſcientia loquor alterius, vt dixi. Nam quod ad tuam, qui rem tenes, conſcientiam attinet, ea lædi in eo non poteſt, neque damnari: quum ſcias, quæcumque terra naſcuntur, ea eſſe ad hominum vſum creata diuinitus, ideoque homini tamquam ſuis veſci licere. Neque poteſt in eo tua libertas ab altero, qui ſit infirmior, damnari, ſi tu tibi quouis cibo veſci fas eſſe putes, quum te Deo præbeas non ingratum. Itaque non in eo peccas, quod veſceris: ſed quod in cauſſa es, vt alter cum dubitatione veſcatur, atque ita peccet. Propter alterum igitur debes abſtinere, ne cui officias. Ex hac Pauli doctrina liquet, eos peccare, qui homines multa, aut minis, aut alia quauis ratione cogunt diebus feſtis operari, aut quouis die quouis cibo veſci, aut in aliquam religionis formam iurare, aut aliud quiduis facere, contra quam ſibi fas eſſe putent. Hoc eſt miſeros et imperitos homines ad peccandum cogere.

CAP. XI. v. 3. *Omnis vir operto capite ſupplicans*) Turpia vitioſaque tegi debent: honeſta contra, et vitio carentia, detegi ac oſtendi. Quod ſi vir operto capite preces agit, oſtendit ſuum caput eſſe vitioſum, et proinde tegendum. Atqui viri caput Chriſtus eſt, qui vitii eſt expers. Itaque debet viri caput detegi, quo Chriſtum (qui viri caput eſt) vitii expertem eſſe indicetur. Mulieris vero caput vir eſt, qui quum ſit nocens et vitioſus, debet mulier ſuum caput tegere: vt caput ſuum, hoc eſt, virum ſontem eſſe fateatur. Hanc eſſe Pauli ſententiam, mihi dixit Italus quidam.

15. *Quod ſi contentioſum eſſe libet*) Quoniam dixerat comam natura viro turpem, feminæ decoram eſſe, poterat quis contendere, id non natura fieri. Nam æque viris ac feminis comam natura tribuit. Ad hoc ita reſpondet Paulus, vt id propemodum ſic eſſe fateatur, ſed conſuetudinis eſſe neget: quæ ſit in eiuſmodi rebus, quæ ſint indifferentes, tenenda.

CAP. XII. v. 2. *Scitis, quum extranei eſſetis, cet.*) Ad verbum ſic legitur, Scitis, vt quum extranei eſſetis, ad mutos deaſtros vt duceremini: οἴδατε ὅτι ὅτε ἔθνη ἦτε, πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ὡς ἂν ἤγεσθαι ἀπαγόμενοι· vbi ὅτι et ὡς idem valent. Itaque ſic latine poſſet vtrumque exprimi: Scitis, vt quum extranei eſſetis, vt inquam ad mutos, cet. Sed quia huiuſmodi particulas cum verbo Inquam non ſolent Latini repetere, niſi poſt interiecta multa verba, ne quod verbum iam poſitum eſt, et adhuc pendet, memoria excidat, niſi iteretur: quoniam, inquam, id fieri ſolet memoriæ gratia, ego hoc loco, vbi memoriæ nullum erat periculum, quippe paucis verbis interiectis, eam particulam iterandam non putaui: ἂν autem hoc loco ſuperuacaneum eſt, vt ſunt nonnulla apud Paulum: ἤγεσθαι ἀπαγόμενοι, pro ἤγεσθαι καὶ ἀπήγεσθαι, quod idem eſt: de quo Gen. 1. ſcripſimus.

3. *Neminem eſſe, qui diuino adflatu loquens, cet*) Quemadmodum quisquis Ieſum verbis exſecratur, nec dominum agnoſcit, is diuini ſpiritus expers eſt: ita quisquis dominum agnoſcit, is ſancto ſpiritu præditus eſt: vt intelligatis, non eos ſolum diuinitus adflari, qui peregrinis linguis loquuntur, et cetera prodigioſe faciunt. Eſt autem huiuſmodi argumentatio: Ex animi abundantia os loquitur: Si malus eſt animus, male loquitur os: itidem ſi bonus, bene: et contra, Si male loquitur os, malus eſt animus, ſin bene, bonus,

bonus, et diuinitus impulſus. Hinc apparet, Paulum de ea oris oratione loqui, quæ dictetur ab animo, quum id dicatur quod ſentitur: non quæ ſimulata ſit, et ab animo disſidens.

Quod autem de diuinis et ſpiritualibus rebus loquitur, adhibenda diſtinctio eſt. Quidquid præclare agunt homines, id agunt diuinitus, vt apparet apud Moſem in Bezelele tabernaculi fabricatore, quem dicit Deus ſe impleuiſſe ſuo ſpiritu ad opificium. Item Eſ. 28. vbi agricolam dicitur docere Deus. Ita ſi quis domum bene ædificat, agrum egregie colit, aut quiduis aliud prudenter facit, id habet diuinitus. Sed hoc loco Paulus non de his loquitur ſpiritus ſancti donis: nec enim hæc diuina dicuntur, quum induſtria humana et labore comparentur, et fuerint etiam vulgaria ante effuſum a Chriſto ſpiritum in Chriſtianos. Itaque ſi quis lingua peregrina loquitur, quam longo labore didicerit, huius ego loquendi ſcientiam non vocabo diuinam et πνευματικὴν: non magis quam regis Mithridatis, aut Cleopatræ, aut aliorum qui multas linguas didicerant. Sed diuina vocat Paulus ea, de quibus loquitur in Ioannis 7. Chriſtus, vbi dicit Ioannes: Nondum erat Spiritus ſanctus: hoc eſt, nondum homines adflauerat, vt ea facerent, quæ hic commemorat Paulus: quæ quia docet ſpiritus ex tempore, et fiunt diuinitus, ac contra naturam, diuina dicuntur. Igitur ſi quis medicus morbum herbis aut alia ratione naturali curat, eam ſcientiam humanam dixeris, cuius tamen dator ſit Deus, quippe omnium auctor bonorum. Sin Petrus aut Paulus ægrotum nominato Ieſu curat, id contra naturam et diuinum dicito. Item ſi Cicero græco ſermone, in quo diſcendo multum elaborauit, loquitur, humanum eſt: at ſi Petrus, homo piſcator et parum litteratus, latine aut germanice loquitur, quum numquam didicerit, id diuinum eſt.

13. *Vnum in corpus loti ſumus*) Hoc eſt, vt vnum corpus efficeremur. Vocat autem vnum Chriſtianæ reipublicæ corpus, cuius caput eſt Chriſtus: quomodo vnum reipublicæ corpus dicitur, cuius caput eſt magiſtratus, aut populi rex, aut coniugum maritus. Itaque paullo poſt dicit: *Vos vero aliquatenus Chriſti corpus eſtis:* vt intelligatur, figuratam eſſe locutionem.

CAP. XIIII. v. 1. *Sed in primis vt vaticinemini*) προφητεύειν, ſi verbi vim ſpectes, eſt prædicere: ſed dicitur pro eo quod eſt hebraice נבא, græce μαντεύεσθαι, hoc eſt, arcana ignota, magna, diuina, denique oracula dicere, ſiue quid ſit præteritum aut præſens, quæ ὑποφητεία dicitur: ſiue futurum, quæ proprie προφητεία vocatur. Itaque ad Timotheum 1. Cretenſium προφήτην Paulus appellat Epimenidem, non quia futura, ſed quia certa veraque dixerit, qualia ſunt oracula. Hinc ille verſus: Qui bene coniiciet, hunc vatem puto optimum. Itaque vates olim apud Hebræos dicebantur Videntes, quod ea viderent, quæ aliis ignota forent.

2. *Qui peregrina lingua loquitur*) ὁ λαλῶν γλώσσῃ: idem eſt, qui paullo poſt dicitur ὁ λαλῶν γλώσσαις: de quo item paullo poſt, ἑτερογλώσσοις, καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις, vt homines pro aliis hominibus, et gentes pro externis gentibus dici, aliquando oſtendimus.

Sed animo loquatur arcana) Hoc eſt, ita loquatur, vt ipſe ſe intelligat, non item ab aliis intelligatur. Quum ſit enim is orationis vſus, vt animi ſenſa declaret aliis: qui ita loquitur, vt alii non intelligant, is animo magis quam ore loquitur, quum nihil interſit, vtrum ſic loquatur, an tacitus cogi-

cogitet. Loqui autem arcana, idem eſt quod vaticinari. Sed quum vaticinatorem hoc loco Paulus opponat ei, qui peregrino ſermone vtitur, intelligendum eſt, vaticinatorem ab eo dici eum, qui id noto auditoribus ſermone faciat: vt ſit lingua loqui, lingua aliena loqui: et vaticinari, lingua ſua vaticinari.

6. *Niſi inſit in oratione mea patefactio, cet.*) Hoc eſt, Niſi vos ſic adloquar, vt aliquid diſcatis quod mihi patefactum ſit, aut cognitum, cet. Patefactionem autem vocat, quum aliquid declarat et patefacit Deus homini, vt Ioanni ea quæ continentur in eo libro, cui titulus eſt Apocalypſis, hoc eſt patefactio. Ad eam ſi mentis accedat permotio ac incitatio, vocatur Vaticinatio. Qualem videmus in ſeptuaginta ſenatoribus apud Moſem, itemque in Saulo, et aliis: quæ aliquando tanta eſt, vt bacchentur extra ſe rapti homines. Cognitionem vocat, quæ ex viſa aut audita re proficiſcitur, qualis eſt Ioannis et Lucæ hiſtoria: qui narrant, hic quæ audiuit, et ab aliis cognouit: ille quæ vidit, et nonnulla ex parte geſſit. Doctrinam autem appellat, eam quæ litteris et ratione comparatur: qualis eſt Pauli de Abrahami fide diſputatio, qui quod docet, id ſacrarum litterarum auctoritate et rationibus confirmat. Atque hæc poſtrema ratio, ſi ſit a ſuperioribus deſtituta, eſt maxime perículoſa: propterea quod homines ſacris litteris non ſeruiunt, ſed eas ſuis adfectionibus et libidinibus ſeruire cogunt. Hinc naſcitur illa inter hodiernos magiſtros diſcordia, quæ profecto nulla foret, ſi in omnibus eſſent quæ eſſe deberent.

13. *Oret vt poſſit interpretari, cet.*) Orare dixit, pro Deum orare: vt Latini dicunt ſalutantes, pro iis qui principes et diuites mane ſalutatum eunt: vt conturbare, pro fortunas conturbare: et facere, pro carmina facere. Itaque nihil refert, vtrum dicas orare Deum, an tantum orare, quomodo Liuius etiam latine locutus eſt: ſicut paullo ante docuimus, lingua loqui, et aliena lingua loqui, idem eſſe. Ceterum ex hoc loco apparet, eos qui linguis loquebantur, non omnes omnibus linguis loqui (nec enim vni dabat omnia Deus) ſed alios aliis: alioquin non eſſet orandus Deus ob interpretationem.

14. *Quod ad ſententiam attinet*) νοῦς mens eſt, et pro mentis ſententia ponitur etiam in 2. Theſſal. 2. et Apoc. 17. Sic et apud Latinos mens alicuius ſcriptoris appellari ſolet. Hinc orare νοΐ eſt, ſignificanter orare, et vt ante locutus eſt, λόγον εὔσημον διδόναι; efficereque vt auditor poſſit νοεῖν, videre et intelligere quid dicatur.

19. *Malo quinque verba ſic eloqui*) Quinque pro paucis, et λόγους pro ῥήματα dixit: id quod fieri ſolet in numero plurali: vt huius Epiſtolæ 2. διδακτοῖς λόγοις, doctis verbis, aut docta oratione. Hoc quidem loco ſermones dicere per latinam conſuetudinem non licet. Non enim dicunt Latini: Abſoluam tribus ſermonibus (nam alia ſententia foret) ſed, Abſoluam tribus verbis.

CAP. XV. v. 5. *Deinde duodecim*) Quoniam duodecim fuerant lecti Apoſtoli, etiam poſt ſublatum Iudam retinent duodenarii nomen, quum eſſent vndecim: vt ſi quis decem millia militum habeat, deinde poſt aliquod prœlium deſideratis aliquot militibus, tamen decem millia appellare pergat, quod non tanta facta ſit diminutio, vt debeat prius illud et celebre nomen amitti. Aut ſi Romæ decemuirorum vnus moriatur, reliqui tamen non nouemuiri, ſed decemuiri appellentur.

8. *Quaſi abortui apparuit etiam mihi*) Abortus non ſolum dicitur partus mor-

mortuus, ſed etiam fetus paruus, et non iuſtæ magnitudinis, quamuis viuat. Atque ita vulgo loquuntur mei conterranei, vocantes auorton. Sic Plinius loquitur lib. 12. cap. 2. Namque et chamæplatani vocantur coactæ breuitatis, quoniam arborum etiam abortus inuenimus. Hoc quoque ergo in genere pumilionum infelicitas dicta erit. Hæc Plinius. Hinc ſe Paulus abortum vocat, vt minimum Apoſtolorum, et pumilionem, ac quaſi nanum.

29. *Alioquin quid facient, qui pro mortuis baptizantur*) Ludent operam, dicet aliquis. Atqui hoc ipſo oſtendunt, ſe ſperare mortuorum reſurrectionem. Fruſtra ſperant (dicet is, qui reſurrectionem eſſe negat) nam ſi in eo quod pro mortuis baptizantur, delirant (quid autem tam ineptum eſſe poteſt, quam viuentem pro mortuo baptizari?) non eſt abſurdum dicere, eos in eo etiam deſipere, quod reſurrectionem ſperant. Vides quam nihil valeat hoc Pauli argumentum aduerſus eos, qui reſurrectionem eſſe negant, ſi quidem hæc verba intelligas, vt vulgo interpretantur, dicentes eo tempore fuiſſe qui pro aliis mortuis baptizarentur: quod neque fiebat, ſicut ego puto: et ſi fiebat, debuit a Paulo reprehendi, non in exemplum adduci. Vt igitur hunc Pauli locum intelligas, conſidera baptiſmi rationem atque naturam, quæ deſcribitur in Epiſtolæ ad Romanos capite ſexto, his verbis: Quotquot in Dominum Ieſum baptizati ſumus, in eius mortem baptizati ſumus, cet. Et paullo poſt: Si enim eius mortis ſimilitudine ſumus inſititii, etiam reſurrectionis erimus. Eſt igitur hoc Pauli argumentum: Chriſtiani dum baptizantur, in hoc baptizantur, vt cum Chriſto moriantur, deinde reſurgant. Hoc eſt baptizari pro mortuis, id eſt, pro ſeipſis, in ſpem rei, quam poſt mortem adſecuturi ſint, videlicet reſurrectionis: id quod ſtultum eſſet, ſi nulla futura eſſet reſurrectio. Hanc ſententiam me docuit quidam Italus.

PAVLI APOSTOLI
EPISTOLA II. AD CORINTHIOS.

ARGVMENTVM ATHANASII IN POSTERIOREM AD CORINTHIOS.

Ad eosdem et hanc ſcripſit e Macedonia. Eſt autem illius argumentum tale. Priore accepta epiſtola Corinthii compuncti ſuper peccato eius, qui nouercam ſuam duxerat, contriſtatique fuerant eius gratia, quod tale peccatum ſusque deque æſtimauerant: deinde ſeducti fuerant ab illis, qui ſectis occaſionem dederant, ita vt litteræ legis ſeruandæ ſtuderent, et gratiam Chriſti non ita magnificandam iudicarent, atque eos, qui in faciem ſeſe iactabant, plus æquo attenderent. De collecta vero in vſus ſanctorum facienda erant, qui recte ſentirent. Ad iſta igitur reſcribit Apoſtolus, et primum quidem laudat eos, quod eieciſſent eum, qui deliquerat, deinde petentibus ipſis adnuit, et reſipiſcentem recipi iubet. Docet etiam hac epiſtola de lege, diſcriminans illius litteram, et oſtendens non eſſe litteram

ram

ram legis ſolam accipiendam, ſed in littera ſenſum eruendum, eo quod non verba tantum ſit lex, ſed in verbis lateat ſenſus ſpiritus. Deinde, quod veniente Chriſto noua creatura facta ſit, nec oporteat in vetuſtate viuere, ſed in omnibus veluti noua creatura, renouari et deſinere poſthac circumciſionem. Laudat eos etiam miniſterii gratia, et adhortatur, vt ea in re creſcant. Poſt iſta, reprehendit eos, qui in faciem gloriabantur, ac recenſet quaecumque paſſus erat propter dominum, et viſiones quas viderat, exponit, et quomodo in Paradiſum ac tertium cælum raptus ſit. Tandem poſtquam illis denuntiauit ne peccent, ſed ſi quid peccarint, reſipiſcant, cum gratiarum actione terminat epiſtolam.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 11. *Vt a multis perſonis*) ἐκ pro ὑπὸ poſitum eſt: ſicut capite ſequenti, ὁ λυπούμενος ἐξ ἐμοῦ, pro ὑπὲρ: ὑμῶν autem in ſecunda perſona legendum eſt in ſecundo loco, vt habent nonnulla exemplaria, vt reſpondeat verbo συνυπουργούντων: vt ſit, Beneficium veſtra opera atque cauſſa collatum.

17. *Hoc igitur deliberans, numquid leuitate vſus ſum, cet.*) Leuitatis eſt, certo aliquid promittere, quod fortaſſe præſtiturus non ſis. Si ego me certo ad vos venturum promiſiſſem, leuis eſſem, quum non venerim. Nunc non certo promiſi: dixi enim venturum me, ſi Deus voluerit (ſic enim ſcripſit ſuperiore Epiſtola, capite quarto, et vltimo) quæ exceptio me a leuitatis et inconſtantiæ crimine vindicat. Non enim ita delibero, vt ſolent homines, ſuæ fragilitatis immemores: vt Etiam ſit apud me Etiam et, Non, Non: hoc eſt, vt quum aliquid me facturum dico, id certo adfirmem, quaſi omnino facturus: aut quum nego, id certo negem, quaſi omnino non facturus. Nam apud me fit aliquando, vt Etiam ſit Non, et Non ſit etiam: vt quod dixi venturum me ad vos, id erat Etiam; at idem nunc factum eſt Non, quoniam non veni: non enim permiſit Deus, penes quem ſunt actiones noſtræ, vt nihil ipſi de nobis certo adfirmare aut negare poſſimus. Non enim certæ ſunt noſtræ promiſſiones, quemadmodum Dei. Nos homunciones impedimur: Deus non poteſt impediri, ſed quod ſemel promiſit, id fideliter præſtat. Itaque quæ nos de Chriſto vos docuimus, non ita docuimus, vt modo adfirmaremus, modo negaremus, ſed idem ſemper et conſtanter de Chriſto adfirmauimus: quippe quum non noſtra, ſed Dei promiſſa forent, qui quæ de Chriſto promiſit, certo, et nulla cum conditione aut exceptione promiſit. Nec mirum: eſt enim Deus, qui impediri non poteſt: itaque eius promiſſa nobis certa ſunt, eius adflatus pignore confirmatis. At ego homo ſum: quod ſi ad vos non veni, non certo promiſeram, et non veniendi iuſta cauſſa fuit. Id enim feci, vt vobis parcerem. Nam ſi veniſſem, cum virga veniſſem (vt in priore Epiſtola minatus ſum) hoc eſt, vos grauius propter illud inceſti flagitium caſtigaſſem. Dicet quis: Ergone nos tam paruæ fiduciæ et conſtantiæ eſſe putas, vt tuam præſentis caſtigationem ferre nequeamus? Ego vero non puto. Scio enim, vos in fiducia conſtantes eſſe: nec eam vobis derogo, ſed gaudii veſtri rationem habeo. Nam ſi vos præſens caſtigaſſem, ea

res

res vobis (vt de me taceam) dolorem feciſſet, qui dolor nunc aberit. κυριεύειν autem, quod derogare vertimus, eſt non ſolum dominum eſſe, ſed etiam dominum fieri et potiri: ſicut ante de βασιλεύειν ſcripſimus: vt ſit κυριεύειν τῆς πίστεως, dominum ſe facere fiduciæ alterius: hoc eſt, alteri fiduciam et robur detrahere, et eſſe negare.

CAP. II. v. 5. *Non me contriſtauit niſi aliquatenus, ne vos omnes onerem*) Hoc eſt, non ſolum mihi dolorem fecit, ſed etiam vobis. Quod ſi dicerem, me ſolum id flagitium doluiſſe, onerarem, et crimine grauarem vos omnes, quaſi non et ipſi dolueritis eius flagitio, id quod eſſet in vobis vitioſum.

10. *Id feci propter vos in perſona Chriſti cet.*) Hoc eſt, Vt Chriſti perſonam gerens, eiusque vicarius, qui docuit, quidquid nos in terris ſoluerimus, id fore ſolutum in cælo. Quod ſi id faceremus in noſtra perſona, hoc eſt, noſtra auctoritate atque nomine, circumueniret nos Satan, et in peccatum coniiceret: peccaremus enim, ſi quod Dei eſt (videlicet peccata alteri condonare) id nobis vſurparemus: πρόσωπον autem pro perſona dici, ſi quis dubitat, inueniet et alibi, et ad Galatas ſecundo.

17. *Nec enim ſumus vt multi*, cet.) Quoniam dixerat, ſuum officium eiusmodi eſſe, vt nemo ad id eſſe poſſet idoneus, poſſet aliquis ita obiicere: Quaſi vero difficile ſit iſtud facere, quod tu facis, hoc eſt, Chriſtum docere. Fateor (inquit Paulus) de Chriſto garrire, et eum perfunctorie docere, ac quæſtui habere, non eſſe difficile: atque id faciunt multi. Sed id ſincere diuinitus facere, et ſuum munus Deo probare (id quod nos facimus) hoc vero eſt omnium maxime arduum, et humanis viribus maius.

CAP. V. v. 2. *Domicilium noſtrum cæleſte ſuperinduere cupientes*, cet.) Hoc eſt, cæleſte corpus, quod habituri ſumus in altera vita. Id corpus cupimus ſuperinduere, *ſi modo induti, non nudi reperiemur:* hoc eſt ſi in Chriſti aduentu erimus adhuc in vita, nec dum nudi, et hoc corpore exuti. *Nam vellemus exui hoc corpore,* ſi fieri poſſet: hoc eſt, nollemus mori, ſed vellemus aduentu Chriſti ſubito confecta mortalitate mutari, et immortalitatem ſuperindui. Loquitur autem Paulus de cunctis Chriſtianis, qui immortalitatem optantes, a morte natura abhorrent: et cuperent, ſi fieri poſſet, eorum eſſe, de quibus ſuperiore Epiſtola dictum eſt, non omnes obdormituros eſſe.

7. *Non in ipſa re verſamur*) τὸ εἶδος dixit, τὸ εἰδόμενον καὶ παρὸν: ſicut Latini Iuriſconſulti ſpeciem vocant rem ipſam, quæ accidit. Sic שׁבוּת, Eſaiæ primo: et תמונה Exod. 20. vt ibi adnotauimus. Iſocrates in Helenæ laudatione ἰδέαν vocat, de pulchritudine loquens his verbis, τῶν δὲ κάλλους ἀπεστερημένων οὐδὲν εὑρήσομεν ἀγαπώμενον, ἀλλὰ πάντα καταφρονούμενα, πλὴν ὅσα τῆς ἰδέας ταύτης κεκοινώνηκε. At eorum quæ pulchritudine carent, nihil amari comperiemus, ſed omnia contemni, niſi quæ hanc ſpeciem habeant: hoc eſt, hanc rem. Idem paullo poſt eodem modo vſus eſt. In Epiſtola ad Hebræos, capite decimo, vocatur εἰκών. Non diſſimile eſt, quod Marci decimo ſcriptum eſt: οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, qui videntur imperare: hoc eſt, quos videmus imperare, qui imperant.

C. VI. v. 12. *Vos non erga nos, ſed erga hominem, cui eſtis intimi, eſtis anguſti*) Ego vobis large meum animum aperio, officiumque præſto. Quod ſi vos

 veſtrum

veſtrum officium anguſte et parce præſtatis, id non mihi, hoc eſt, non Paulo, facitis, ſed veſtri amantiſſimo, et plane veſtro patri. Proinde videte, vt mihi veſtro patri officioſe et liberaliter parcatis, quemadmodum ego vobis, vt filiis, officioſe ac liberaliter præcepta do. Quod vertimus: Erga hominem cui eſtis intimi: ad verbum ſic legitur, Erga veſtra viſcera: qui hebraiſmus ſic explicandus ac inuertendus eſt: Erga nos, quorum vos eſtis viſcera: hoc eſt, cui vos eſtis chariſſimi, et qui eſtis in animis noſtris: vt dicit capite 7. ad hunc locum adludens.

CAP. VIII. v. 6. *Vt nos Titum hortati ſumus*) ſcilicet vt vos moneat, vrgeatque, quo Deus pro ſua benignitate vobis eam det mentem, vt quod iam facere cœpiſtis, id perficiatis, videlicet de benignitate in egentes.

10. *Non ſolum facere, ſed etiam velle*) Non rerum magnitudinem inter ſe comparat: alioquin diceret: Non ſolum velle, ſed etiam facere, quum facere plus ſit quam velle. Sed res inter ſeſe coniungit: vt ſit, Non ſolum facere, ſed etiam velle, idem quod, Et facere et velle, vt vtrumque ab anno ſuperiore cœperit. Eodem modo locutus eſt ad Rom. 1. Non ſolum ea faciunt, verum etiam facientibus conſentiunt: hoc eſt, et faciunt, et conſentiunt.

13. *Non enim aliis laxitatem, vobis anguſtiam eſſe oportet*) ἵνα pro δεῖ aliquando ponitur: vt Ioan. 13. ἐγὼ οἶδα οὓς ἐξελεξάμην· ἀλλ᾽ ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ: hoc eſt, ἀλλὰ πληρωθῆναι δεῖ. Et idem in Epiſtola 1. cap. 2. ἀλλ᾽ ἵνα φανερωθῶσιν, quod hebraico more dicitur, vt Ierem. 3. לֵאמֹר: hoc eſt, ἵνα λέγηται, pro λεκτέον: hoc eſt, quæritur, aut reſpondeatur.

CAP. X. v. 4. *Arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed diuini potentia*) Pauli militia erat, oppugnare et deturbare cogitationes hominum: hoc eſt, tanta virtute loqui et docere, vt hominum animi, rei veritate victi, cogerentur ita cogitare, Vera dicit, et quæ refelli nequeant. Ad eam ſpiritualem pugnam vtebatur telis non carnalibus, ſed ſpiritualibus. Vt enim inſanus ſit, ſi quis gladium aut miſſile velit vincere cogitatione: ſic inſanus ſit, ſi quis cogitationem velit vincere gladio. Atqui Chriſtiani præconis virtus poſita eſt in vincenda cogitatione: ex quo conſequitur, eum non poſſe vti niſi iis telis, quibus vinci poſſint cogitationes hominum. Exemplum habemus inſigne in Nerone. Is Græciam peragrans, edebat obibatque ipſemet certamina muſicæ. Si alios muſicos vincebat, coronabatur: hoc erat legitimum certamen. Sin ab eis vincebatur, curabat vt interficerentur: hoc vero non erat muſicum vincere, ſed hominem occidere: qua inepta iniquitate illud conſequebatur, vt hominum ficta voce, tamquam victor in præſentia laudaretur: et ceteri muſici deinceps data opera male canerent, ne eum offenderent: cogitationes quidem hominum (quamuis princeps eſſet omnium potentiſſimus) non vincebat, quin eum pro inſano et illi tunc haberent, et nos nunc habeamus. At ceteri muſici, qui eum artis peritia ſuperabant, vincebant non ſolum aliorum, ſed etiam ipſius Neronis cogitationem: vt ita eius animus, quamuis inuitus, loqueretur: Hi melius canunt quam ego. Similiter accidit et in religione. Disputatur de multis rebus: ſi quem verbis vincimus, coronamur: et hoc eſt legitimum certamen. Si quis a nobis vinci non poteſt, hæreticus appellatur, et interficitur: hoc vero non eſt hæreticum vincere, ſed hominem occidere: qua inepta iniquitate illud conſequimur, vt in præſentia ficta hominum voce victores pronuntiemur, et ceteri deinceps minus bene dicant quam poſſent,

ſent, ne pereant: cogitationes quidem hominum (quamuis potentes ſimus) non vincimus, quin nos pro inſanis, et nunc qui cæci non ſint habeant, et poſteri habituri ſint: atque ita de nobis iudicaturi, vt nos nunc de Nerone et ceteris Chriſtianorum perſecutoribus iudicamus. Nihil enim tam tectum eſt, quod non ſit detegendum. Promiſit Deus obedientibus virtutem tantam, vt vnus centum, et centum decem millia fugare poſſint. Sic pugnauit Paulus, qui vnus poterat diuinis illis ſuis armis deturbare non centum, ſed omnium hominum cogitationes. At nunc centeni ſingulos interficimus, et Chriſtum carnalibus armis defendimus: vt intelligatur, nos carere ſpiritualibus, et Chriſtum habere carnalem. Si enim Apoſtoli, qui nobis Eccleſiam plantarunt, contenti fuerunt armis ſpiritualibus: apparet eos qui carnalia adhibent, non ſatis confidere ſpiritualibus: quibus tamen confiderent, ſi ea haberent, quippe quæ ſint omnipotentia: vt apparebit in aduentu Domini, qui Antichriſtum, hoc eſt Chriſti hoſtem ſummum, non aliis armis debellabit, quam ſpiritu oris ſui. Scriptum eſt Exod. 35. tabernaculum factum eſſe ex populi donis vltro oblatis, nemine coacto: quod idem de Eccleſia intelligendum eſt, vt patet in Pſalm. 110. in quo dicuntur Chriſti copiæ eſſe voluntariæ: itemque in Lege, in qua iubetur, vt timidi diſcedant, ne in acie ceterorum animos emolliant. Sic eſt gerendum bellum Chriſti militibus voluntariis, et ſolo Dei verbo coactis. Aliter qui militant, alii quam Chriſto militant. Itaque oſtendit euentus, moreſque noſtri, quis ſit fructus coactæ militiæ.

CAP. XI. v. 1. *Vtinam paullulum aliquid ſtultitiæ meæ ferretis*) μικρόν τι ἀφροσύνης recte in quibusdam legitur, et ita legit vetus interpres. Stultitiam ſuam vocat gloriationem, quam ab eis ferri optat: deinde, quod plus eſt, vt ferant petit. Itaque ἀνέχεσθε imperatiui modi eſt. Deinde cauſſam reddit, cur ferre debeant: *Quoniam vobis* (inquit) *obtrecto:* hoc eſt de vobis ſum zelotypus, ſed *diuina obtrectatione:* deſpondi enim vo Chriſto: ſic enim recte vertitur ἡρμοσάμην a vetere interprete, vt et ſententia poſtulat (hic enim agitur de Chriſti et Eccleſiæ coniugio) et verb ἁρμόζεσθαι natura patitur: nam eo ſic vſus eſt Plutarchus.

3. *A ſimplicitate corruptæ deflectant*) φθαρῇ ἀπὸ τῆς ἁπλότητος Breuis et obſcura oratio, in qua verbum φθαρῇ per duo verba, vt no fecimus, declarandum eſt: id quod aliquando in ſacris litteris fieri animaduerti: vt Geneſ. 45. Ego ſum Ioſephus frater veſter, quem vendidiſtis in Aegyptum: et Actor. 7 τὸν ἰωσὴφ ἀπέδοντο εἰς αἴγυπτον, Ioſephum vendiderunt in Aegyptum: hoc eſt, vendiderunt, isque ab eis venditus, ductus eſt in Aegyptum.

12. *Quod ſibi in quo glorientur ſuppetat cet.*) Simulatores illi, inquit, quærunt occaſionem gloriandi, vt nos gloriamur. Quod ſi Euangelium non gratis doceremus, poſſent gloriari idem ſe facere quod nos. Nunc quum nos gratis doceamus, non habent eam occaſionem: nec enim gratis docere ſuſtinent, quum ſuo ſeruiant abdomini: εὑρεθῶσι autem poſitum eſt, vt in hebræo ſermone מצא quod ſæpe in paſſiuo eſt exſtare et ſuppetere: et in hiphil eſt ſuppeditare et ſuggerere. Iam hic εὑρεθῶσι ἐν ᾧ καυχῶνται, dictum eſt pro εὑρεθῇ αὐτοῖς ἐν ᾧ καυχῶνται. quemadmodum ad Philip. 3. ἵνα χριστὸν κερδήσω, καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ: Vt Chriſtum lucrer, et in eo mihi ſatis ſuppetat. Itemque Eccleſiaſtici cap. 15. in latino (nam græce non ex-

ſtat is verſus) ſic legitur: Viri mendaces non ſerunt illius memores, et viri veraces inuenientur in illa, (ſcilicet ſapientia) et ſucceſſum habebunt vsque ad inſpectionem Dei: hoc eſt, veracibus tantum conferet ſapientia, vt, cet. Simile eſt quod ad Rom. 6. declarauimus, εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. Nec admodum diſcrepat illud Horatii, Equitem grauatus Bellerophontem: hoc eſt, Fuit ei grauis eques Bellerophon. Et illud Matth. 13. Qui ſecundum viam ſatus eſt: hoc eſt, ſemen accepit.

21. *Indecore dicam*) Quomodo κατ' ἄνθρωπον et κατὰ σάρκα humane, ita hic κατ' ἀτιμίαν indecore. Hoc eſt, Dicam contra quam me deceret loqui. Dedecet enim me gloriari: ſed gloriabor, vt inſipiens. Quaſi vero nos nequeamus ſcilicet idem de nobis gloriari, quod illi de ſe: ἠσθενήσαμεν autem indicatiuus eſt pro coniunctiuo, vt ſæpe ponitur a Paulo Hebræorum more, quorum lingua coniunctiuo caret.

CAP. XII. v. 7. *Appoſitus eſt mihi ſtimulus carni*) Hoc eſt, ad carnem: quomodo ſolet Cato loqui de Re ruſtica: Ornamenta bubus, inſtrata aſinis, opercula doliis, centones pueris, et multa talia.

9. *Mea fortitudo in imbecillitate perficitur*) Hoc eſt, homo Chriſtianus, qui a me Chriſto nomen habet, fortiſſimus euadere non poteſt, niſi certando cum hoſte, in quo certamine ſentiat ſe imparem eſſe, niſi meus adſit fauor: atque ita mihi confidens, perfecte fortis, et me dignus fiat.

21. *Multosque deplorem, qui ante peccauerint*) καὶ πενθήσω πολλοὺς τῶν προημαρτηκότων: hoc eſt, πολλοὺς προημαρτηκότας vt cap. 10. συγκρῖναι ἑαυτοὺς τισι τῶν ἑαυτοὺς συνιστανόντων: hoc eſt, τισὶν οἵ τινες ἑαυτοὺς συνιστάνουσι. Nec enim eſt diuiſio, vt quum eorum aliis ſe conferre audeat, cum aliis non item. Tale quiddam declarauimus in Pſalmo 54.

PAVLI APOSTOLI
EPISTOLA AD GALATAS.

IN EPISTOLAM AD GALATAS ARGVMENTVM.

Epiſtola hæc mixti generis eſt, partim didactici, partim demonſtratiui: docens ſimul quid verum falſumue ſit in articulo iuſtificationis, et obiurgans vituperansque auditores ſeductos, atque adeo condemnans et anathematizans eorum ſeductores cum ſuis erroribus, illosque ad ſanitatem veritatemque reuocans: et contra, Pauli perſonam, munus et doctrinam eximie ornans, auditoribusque commendans et perſuadens, inſinuansque.

Occaſio vero ipſius fuit eadem, quæ quarumdam aliarum, quod eo tempore erant quidam pſeudapoſtoli Nazaræi nominati: qui nomine quidem volebant videri Chriſtiani, quum reuera Chriſti meritum ac iuſtitiam ignorarent, et ex virtutibus operibusque aut legis iuſtitia prorſus penderent. Ii ergo flagrantes, partim prauo quodam legis zelo, partim etiam ambitione, et denique commodorum gloriæque auiditate,

aut

aut potius ipſius mali genii inſtinctu impulſi: neque tamen vel a Chriſto, vel ab apoſtolis iuſſi, paſſim diſcurſabant, præſertim per eccleſias recte inſtitutas ac conſtitutas, contendebantque ſolum Chriſti meritum minime ſufficere, ſed etiam circumciſionem, Moſaicorumque rituum obſeruationem, et alia bona opera eſſe omnibus modis neceſſaria ad ſalutem. Atque ita tum Chriſtum ſua gloria priuabant, tum et ipſius fideles: per eius Euangelium beneficiaque a maledicto legis et ſeruitute Moſaica liberatos, ac omnino iuſtificatos, regeneratos et ſanctificatos, multipliciter ſua libertate bonaque conſcientia ſpoliabant, et in priſtinam legis ſeruitutem maledictionemque retrahebant.

Habebant autem illi, præter vſitatam vulgi leuitatem, ruditatem, nouarumque rerum auiditatem, et ſatanæ potentem efficaciam, domeſticamque facundiam et auctoritatem, aliasque malas artes: etiam illa duo maxima ſui peſſimi conatus adiumenta: alterum quod homines tunc adhuc erant plane perſuaſi, legem Moſis perpetuam eſſe, nulloque modo abolendam: alterum quod maxime naturale nobis eſt, ex nobis ipſis pendere, et in nobismet virtutum operumque iuſtitiam quærere: quod erroris potiſſimum præſtantibus viris, et ad diſciplinam virtutemque adſuefactis prorſus inſitum eſſe ſolet: ſicut hæc ipſa perſuaſio eſt totius moralis Philoſophiæ, teſte etiam ipſo Cicerone, caput ſcopusque primarius.

Huc quoque facit, quod tota doctrina Euangelii non ſolum myſterium quoddam eſt, omni creaturæ per ſeſe imperceptibile: ſed etiam plane ſtultitia quædam, vt ipſemet Apoſtolus 1. *Corin.* 1. *copioſe oſtendit: quod totus noſter Adamus aut praua natura prorſus abborret a fide et fiducia erga creatorem ſuum eiusque verbum, promtius creditura cuiuis impoſtori, fabulæ ac impoſturæ, quamtumuis abſurdæ: et denique quod ſatan admirabili rhetorica, et etiam quadam violenta efficacia, de corde noſtro ſemen Euangelii omnemque eius notitiam, ne in illo radices agat aut fructificet, obſcurat et plane oblitterat. Quæ omnia et alia etiam plura efficacia impedimenta et ſcandala crucis, ſicut tunc ſeductoribus contra doctrinam gratiæ Paulique ſuffragata ſunt: ita etiam hodierna die ſuffragantur et cooperantur.*

Videmus ſane tum olim ſemper, tum et hodierna die id accidere, vt quum multum gratuita ſalus per Chriſtum inculcetur, plerumque tamen homines etiam diligenter inſtituti eo decurrant, vt etiam operibus legis aliquid tribuant, eaque ſtatuant eſſe prorſus neceſſaria ad ſalutem, nec omnino ſine eis quemquam ſaluari poſſe.

Habemus de hac ipſa hæreſi eiusque condemnatione etiam Act. 10. 11. *et* 15. *vbi ea in integra ſynodo, de communi conſenſu Apoſtolorum, aliorumque præſtantium in cognitione Dei et vera pietate virorum, condemnata fuit. Illi igitur pſeudapoſtoli cum aliis ſinceris gratia Chriſti doctoribus, tum præſertim Paulo erant infeſtiſſimi, easque cumprimis Eccleſias, quas ille recte inſtituerat, cupidiſſime percurſabant et perturba-*

turbabant, aut etiam prorſus ſubuertebant. Tale quid non irrito conatu etiam apud Galatas, optime prius a Paulo inſtitutos, tentauerant. Nam primum Pauli perſonam, eius vocationem ac vniuerſam doctrinam non ſolum ſuſpectam reddiderant, ſed etiam prorſus exoſam. Deinde ſpecialiter articulum iuſtificationis, admixtione neceſſitatis legis aut operum ad ſalutem, tamquam venenato quodam fermento prorſus vitiauerant, aut etiam plane euerterant.

Voluit igitur Apoſtolus hac epiſtola, ſuam doctrinam et famam, præſertim autem articulum iuſtificationis per ſolam fidem in Chriſtum, ſine operibus, adſerere, ac vindicare a ſeductorum calumniis, et ſimul ipſos Galatas in veritatis viam, ex qua fœde exorbitauerant, denuo reuocare. Atque hæc de occaſione et ſcopo, nunc de ordine huius epiſtolæ agamus.

Tres vero propoſitiones primarias poſt epiſtolares partes aut parerga ponit: primum generalem quamdam de totius ſuæ doctrinæ certitudine: ſecundo ſpecialem de ſola gratuita iuſtificatione: tertio de noua obedientia: quarum ſingulas fere binis capitibus abſoluit.

In prima igitur agit de immota veritate ſuæ doctrinæ, & de apoſtolatu ac vocatione ſua, qua ſimul et totam illam Galatarum declinationem a veritate grauiſſime condemnat. Confirmat autem hanc propoſitionem primum vehementi ſuæ apoſtolicæ auctoritatis adſertione: Apoſtolo enim, tamquam plane diuino indubitatæque fidei teſti, etiam ſine aliis teſtimoniis ac probationibus, credendum eſt. Deinde longa narratione ſuæ vocationis, conuerſionis et actionum idem comprobat, in qua illud præcipue vrget, quomodo doctrinam ſuam immediate a Chriſto acceperit, et non a Petro aut vllo homine, quomodo item ſemper omnibus aliis Apoſtolis aut æqualis aut etiam ſuperior habitus ſit, et denique quomodo etiam Petro claudicanti in faciem reſtiterit: vbi admodum leni tranſitu progreditur ad ſecundam principalem propoſitionem, quod fit circa finem ſecundi capitis.

Secunda propoſitio eſt, quod per ſolum Chriſtum gratis iuſtificemur fide, ſine vllis noſtris operibus, quam multis argumentis ac etiam teſtimoniis ſcripturæ confirmat. Quod vsque ad medium quinti capitis agitur.

Vltima propoſitio eſt de noua obedientia, quam ſimul et confirmat et explicat vsque ad finem epiſtolæ.

Hæc de occaſione, argumento aut ſumma et ordine huius epiſtolæ nunc dixiſſe ſufficiat. Nunc ad epiſtolam ipſam accedamus.

Initio ſunt quædam partes epiſtolares, tamquam quædam ſemiparerga: vt titulus, ſubſcriptio, inſcriptio et ſalutatio: quæ ipſa quoque non ſunt otioſa. Plerumque enim Paulus ita in ſubſcriptionibus ornat ſe ſuumque officium, vt ſibi et auctoritatem quamdam, beneuolentiamque, et reuerentiam apud auditores comparet. Sic et in ſalutationibus eos plerumque diuini numinis maieſtate territat, et rerum,

quas

quas tractaturus eſt, ſanctitate eis religionem incutit, vt in timore Dei ſummaque attentione quæ proponuntur, audire cogantur: quod ad profectum omnium maximum vtiliſſimumque eſt. Sicut Deus etiam in propheta requirit auditorem trementum ad ſermones ſuos.

ADNOTATA.

CAP. II. v. 11. *Quoniam reprehendendus erat*) κατεγνωσμένος participium pro nomine: vt εὐλογημένος, pro εὐλογητὸς: et ὁ πειράζων, pro ὁ πειραστής.

14. *Si tu Iudæus alienigenarum more viuis, cet.*) Si libere quouis cibo veſceris, vt ſolent alienigenæ, et ita tibi facere licere ſentis: cur non abſtines, et iſta ſimulatione in cauſſa es, vt non modo Iudæi non veſcantur quouis cibo, ſed etiam extranei te imitentur, cibiſque abſtineant, atque ita iudaizent? Cur Chriſtiani facti ſumus ego et tu, ceterique Iudæi? Nimirum vt iuſti fieremus. Quod ſi id per legem conſequi poteramus, cur ad Chriſtum nos conferremus, cauſſa nulla fuit: quum id in lege haberemus, quod in Chriſto quærimus. Sed quia id nobis præſtare lex non poterat, ad Chriſtum, qui poſſet, confugimus. Ex quo ſequitur, nos nunc, qui Chriſtiani ſumus, eſſe inſontes. Atqui ſi Moſaicæ legi paremus (id quod tu nunc facis) quum ideo pareamus vt iuſtitiam conſequamur: ſequitur, nos eſſe ſontes, qui Chriſto contenti non ſimus. Ita fit, vt a Chriſto peccatum, non iuſtitiam, conſequamur: id quod abſurdum eſt. Atqui ſi quis quod demolitus eſt, idem inſtaurat, hoc eſt, ad legem (quam ad Chriſtum transiens repudiauerat, eique valedixerat) recurrit, et ab ea rurſus præſidium petit, is ſe nocentem fatetur eſſe, qui a lege petat innocentiam. Qui enim ad Chriſtum ſe contulit, is legi valedixit, cumque ea nihil iam habet commercii: ſed viuit, iuſtusque et inſons eſt Chriſti fide, id quod Dei beneficium eſt. Quod ſi ad legem redit, repudiat hoc beneficium, qui nolit a Chriſto, ſed a lege, inſons fieri. Ita fit, vt ei Chriſti mors (quam ob delenda ſuorum peccata oppetiit) nihil proſit. Hactenus Petrum reprehendit Paulus. Quod autem verto, εἰ γὰρ διὰ νόμου, Atqui ſi, cet. ſciendum eſt, γὰρ quandoque aduerſatiuam eſſe, vt apud Latinos At enim: vt Roman. 3. εἰ γὰρ ἡ ἀλήθεια τοῦ Θεοῦ, cet. At enim ſi Dei veritas, cet. παραβάτην autem dixit pro ἁμαρτωλῶ, vt patet ex verbo ἁμαρτία, protinus ante eadem de re poſito.

CAP. III. v. 19. *Delictorum cauſſa adiecta eſt, cet.*) Lege lata effectum eſt, vt delicta cognoſcerentur (nam cupiditatem non nouiſſem, niſi lex vetaret: ad Roman. 7.) duratura, donec veniret ſemen Abrahami Chriſtus, cui promiſſum erat, fore vt in eo bearentur omnes nationes: inſtituta per angelos, vt intelligatur diuinam eſſe: lata ac adminiſtrata et promulgata per ſequeſtrum, ſcilicet Moſem. Sequeſter autem internuntius eſt duorum, qui inter ſeſe aliquid paciſcuntur. Atqui Deus vnus eſt, non duo: itaque neceſſe eſt Moſem Dei et Iſraelitarum internuntium fuiſſe. Nec enim poteſt Dei et Dei internuntius fuiſſe, quum duo dii non ſint. Quod ſi eſt, oportet in eo fœdere faciendo aliquid ab vtraque parte promiſſum eſſe: nam ea eſt fœderum natura. Quid promiſit Deus? vitam. Nam qui iſta præſtiterit, viuet, inquit. Quid promiſerunt Iſraelitæ? obedientiam. Quum

 enim

enim pronuntiaretur, exſecrabiles eſſe qui eſſent contumaces, reſponderunt Amen: et ſe omnia Iouæ imperata facturos ſpoponderunt. Nunc quoniam legi parere nequeunt, ſupplicio ſunt obnoxii. Ita fit, vt lex eorum peccata patefaciat, pœnaque dignos oſtendat. At ſi ita eſt, videtur lex Dei promiſſis eſſe contraria: quum Dei promiſſa iuſtitiam et felicitatem conferant, lex autem peccatum et pœnam, quibus nihil poteſt magis eſſe contrarium. Verum tantum abeſt vt ſit lex contraria promiſſis, vt idem conetur efficere quod promiſſa. Promittit enim lex vitam et iuſtitiam obedientibus. Quod ſi non obediunt homines, per legem non ſtat, ſed per hominum infirmitatem, qui obedire nequeant. Nam ſi obedirent, vitam conſequerentur per eam obedientiam, atque ita iuſti fierent per legem. Sed quia (vt litteris proditum eſt) omnes peccant, omnes egent Chriſti iuſtitia, qui legi obediens, iuſtus fuit, et nobis ſuam iuſtitiam impertit, quæ in eo iuſtitia legis eſt (vt appareat, in lege ſitam eſſe iuſtitiam, quum Chriſtus legis iuſtitia iuſtus ſit, quippe qui legi paruerit) eademque in nobis fidei iuſtitia eſt, quod fidendo Chriſto, ſimus eius iuſtitiæ compotes.

CAP. IIII. v. 24. *Nam eæ ſunt duo fœdera, cet.*) Agar et Sara, inquit, ſunt, hoc eſt, ſignificant (animaduerte diligenter lector hoc verbum) duo fœdera. Agar ſignificat vnum fœdus, quod ictum eſt in monte Sina, videlicet legem: quod legis fœdus gignit in ſeruitutem: hoc eſt, qui a lege ſunt, ſerui ſunt, ſicut Agaris filii ſerui ſunt. Nam Agar eſt Sina, hoc eſt, ſignificat Sinam Arabiæ montem, quo in monte lata lex eſt. Quemadmodum enim ſerua erat Agar, ita mons Sina, qui ab Agare ſignificatur, ſeruit, videlicet Romanis: in quo ſane congruit cum hac terreſtri Hieroſolyma, quæ et ipſa cum ſuis ciuibus Romanorum imperio ſubiecta eſt. Igitur Agar ſerua, notat Sinam, et porro terreſtrem Hieroſolymam, quæ ſerua eſt. At Sara libera notat cæleſtem Hieroſolymam quæ libera eſt, cuius nos filii ſumus. Quod ſi eſt, ſumus liberi vt mater noſtra: ſumus promiſſionis filii, vt Iſaacus. Itaque non debemus ſeruire legi, quaſi ſerui ſimus: τὸ γὰρ ἄγαρ dixit τεχνικῶς, per neutrum genus: σινᾶ ὄρος ἐστὶ, hoc eſt, notat ac ſignificat: δουλεύει γὰρ legendum eſt, vt in Colinæi exemplari, non δουλεύει δὲ: reddit enim rationem, cur Sina ſit Hieroſolymæ ſimilis, in eo ſcilicet, quod Hieroſolyma ſeruit vt Sina. Nam δουλεύει de Hieroſolyma dicitur, vt patet ex pronomine αὐτῆς, quod ad τὸ ἄγαρ referri non poteſt.

CAP. VI. v. 4. *Exploret autem ſuum quiſque opus, cet.*) Eos reprehendit, qui ſibi ideo placent, quod ſint aliis præſtantiores. Nemo eſt, quin, ſi ſe cum aliis conferat, deteriores inueniat, aut certe æque malos. Miſera eſt gloriatio, quæ ab aliorum improbitate pendet. Ergo ſi alii non eſſent improbi, tu de te gloriari non poſſes. Ego fenerator non ſum: igitur ſi feneratores non eſſent, tu tibi placere non poſſes. Præclarum vero, poſſe quemquam talem eſſe, vt eo reperiatur aliquis deterior. At non ita de nobis feret iudicium Deus: non faciet hominum collationem. Tu niger es, damnaberis. Sed ſunt et alii nigri. Et alii damnabuntur, nec eorum nigror te faciet album. Quamobrem inſpice, non an ſis aliis melior, ſed an ſis bonus, et Deo obedias: ita fiet, vt tua gloriatio tibi propria ſit, nec ab aliis pendeat. Eſt enim εἰς ἑαυτὸν dictum, pro ἐν ἑαυτῷ, quale eſt quod in 1. Cor. 6. ſcripſimus.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD EPHESIOS.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS ARGVMENTVM.

Epheſus fuit ciuitas mercatoria, admodum frequens ac opulenta, et ſicut Plinius lib. 5. inquit, alterum lumen minoris Aſiæ, fuitque valde dedita tum idololatriæ, præſertim idoli et templi Dianæ, quod plenius deſcribit lib. 36. tum et Magiæ, quorum vtrumque etiam ex Act. 19. liquet. In ea conuertenda Apoſtolus diu multumque et cum ingenti periculo ſudauit, duabus potiſſimum cauſſis, ſicut et Corinthi, ita ſpiritu Dei eum regente, motus: nempe quod quum ob mercaturam et magnitudinem, tum ob nauigationis commoditatem maxima ibi ſemper erat hominum frequentia: vt et ibi multos docere ac conuertere, et per illos conuerſos porro late per orbem terrarum ſpargere Euangelium potuerit. Sita enim eſt in extremo litore Aſiæ minoris, verſus occaſum et ferme etiam meridiem, vt illac transeundum fuerit nauigantibus ex Syria aut Aegypto in Græciam, Macedoniam et Pontum, ac contra: ac item ex Aſia minore Romam et viciſſim: ſicut et ipſe Apoſtolus ſæpe proficiſcens in Macedoniam aut Græciam, et iterum rediens illac transiuit. Eisdem commoditatibus ac occaſionibus, veriſimile eſt, ipſum quoque Ioannem Euangeliſtam motum, vt ibi diutiſſime, ſicut omnes ſacri hiſtorici ſcribunt, docuerit, atque adeo etiam ibidem conſenuerit mortuusque ſit. Quare ipſemet ſcribit, 1. Cor. 16. ſibi eſſe illic apertum magnum et efficax oſtium ad prædicandum Euangelium, et aduerſarios multos. Sic et 15. eiusdem narrat, ſe Epheſi cum beſtiis depugnaſſe. Quamobrem ad triennium ibi die ac nocte docuit, pateſaciens ipſis omne conſilium Dei, et non prætermittens quidquam eorum, quæ ad ſalutem facerent: ſed cum obteſtationibus et lacrimis omnes inſtruens et monens, ut ipſemet adfirmat Act. 20. Diſcedens quoque reliquit eis pro ſe Timotheum, qui etiam poſtea ipſorum Epiſcopus fuiſſe ſcribitur.

Quibus ergo de cauſſis eos tam ſollicite ac tam diu docuit, iisdem quoque poſtea motus, tum poſtremo Hieroſolymam nauigando eorum miniſtros euocans, grauiſſime de cuſtodienda puritate doctrinæ, et vrgendo pietatis ſtudio longa concione Actor. 20. monuit, tum etiam aliquanto poſt Romæ captiuus exſiſtens, hanc epiſtolam eis ſcripſit. Quibus tamen cauſſis forte et illud acceſſit, quod veritus eſt, ne ſuis crucibus ac captiuitate et aliarum Eccleſiarum piorumque adflictionibus, vt a vera doctrina reſilirent, permouerentur. Forte quoque timuit, ne a pſeudapoſtolis, aliisque impoſtoribus, qui paſſim oberrabant etiam per Aſiam, præſertim autem in locis opulentioribus, ſeducerentur: ſicut et Galatas non ita nimis procul ab eis diſſitos ſeduxerant: immo ex epiſtola

priore ad Timotheum Epheſiorum Epiſcopum apparet, illos turbatores ac ſeductores illic quoque dudum antea fuiſſe. Hortatus enim eum fuerat, vt eis reſiſteret.

Scopus epiſtolæ eſt, vt tamquam breui moriturus Epheſiis aliisque vicinis tum in memoriam reducat, et veluti in perpetuum vſum deponat ſummam veræ doctrinæ, præſertim de gratia: quam legentes perpetuo contemplarentur, eosque in ea ſumma conſtantia retinenda confirmet: tum porro etiam, vt ipſos ad ſtudium honeſtæ ſanctæque vitæ inſlammet: quod in illa opulenta mercatoriaque vrbe et ſumma licentia turpitudineque Gentilium vitæ profecto valde fuit neceſſarium. Hoc vero ipſum ille agit forma expoſitionis non diſputationis: ſicut in Romanis et Galatis diſputando ac confirmando veram doctrinam propoſuit.

Ordo porro partium hic eſt: Duæ ſunt primariæ partes, in quarum priore tribus capitibus contenta agit de gratia et coniunctis doctrinæ capitibus, ſed ſumma breuitate, vt ſunt, Electio Dei, iuſtificatio, fides, redemtio et Chriſti exaltatio, peccatum et miniſterium Apoſtoli ſtudiumque in ipſis conuertendis. Tota vero hæc prior pars potiſſimum eo directa eſt, vt non tantum eos doceat de tantis Chriſtianæ Religionis capitibus, ſed etiam ipſos confirmet in eis, et inſlammet ad ſummam conſtantiam ardensque ſtudium proficiendi in recepta religione.

Id vero in primo capite agit, primum commemorando plurima maximaque beneficia, quæ a cæleſti patre ex mera miſericordia per Chriſtum acceperint: deinde a ſpe futurorum bonorum, quæ eis ingentia plane in altera vita repoſita eſſent: in ſecundo porro capite illos eodem inſlammat, conferendo ipſorum triſtiſſimum ſtatum in Ethniciſmo, cum præſenti felicitate in Chriſtianiſmo. Eum vero ſtatum duplicem facit ſeu etiam dupliciter conſiderat: primum quaſi internum, quatenus fuerunt iniuſtiſſimi tum originali et habituali, tum et actuali peccato: deinde externum ſeu correlatiue, quatenus fuerant a Deo, eius verbo et vera Eccleſia prorſus ſeparati alienique, et viciſſim poſtea in Chriſtianiſmo eidem artiſſime coniuncti ac conſociati.

Vlterius in tertio capite illos ad eumdem ſcopum incitat, oſtendendo certitudinem ſuæ diuinæ legationis et doctrinæ ipſorumque diuinæ conuerſionis et vocationis, vt qui ſit diuinitus ad ipſos et omnes alios Gentiles ablegatus, vt eos de vero Deo doceat, ad illum conuertat, et eis cæleſtes opes per euangelium et ſacramenta communicet. Poſtremo totam iſtam adhortationem concludit precatione et gratiarum actione, orando eis benedictionem a Domino, et omnium veræ pietatis partium donorumque incrementum. In poſteriore epiſtolæ parte diſſerens de noua obedientia, primum cap. 4. agit potiſſimum de ſeruanda vnitate ac concordia multis argumentis: vbi quaſi per digreſſionem tractat illud ſublime myſterium de Chriſti regimine ſuæ Eccleſiæ: quo peracto mox hortatur ad exuendum veterem Adamum, cum ſuis malis operibus,

bus, et induendum nouum cum ſuis bonis effectis. Poſtea in quinto de variis virtutibus ac vitiis diſputat: vbi itidem ſalutare myſterium interſerit, de coniugio Chriſti ac Eccleſiæ. Poſtremo ſub finem quinti capitis, ac ferme per totum textum, præſcribit ſingulis ordinibus aut ſtatibus ſua officia. Tandem in fine totius epiſtolæ redit ad generalem adhortationem, proponens omnibus Chriſtianis communem armaturam, qua muniti inſtructique Chriſto ſuo duci ac regi, contra ſatanam, mundum et carnem ſtrenue militare poſſint debeantque.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 3. *In rebus Chriſti cæleſtibus*) ἐπουρανίοις χριστῷ dixit, quomodo in 2. Corinth. 10. arma ſua vocat δυνατὰ θεῷ, hoc eſt, diuinipotentia, ſiue Deipotentia, vt ita loquar, id eſt, diuinam virtutem habentia. Ita hic vocat ἐπουράνια χριστῷ Chriſti cæleſtia, hoc eſt cæleſtia, et ad Chriſtum pertinentia. Eſt autem hæc epiſtola obſcura, et immenſas verborum complexiones extenſa: quas nos, vbi licuit, ſecuimus, et quoad eius fieri potuit, perſpicuitati ſeruiuimus.

CAP. III. v. 1. *Legatione fungor*) πρεσβεύω additur in Colinæo, et recte, vt oſtendunt ſequentia, alioquin deeſt verbum. Quod ſi dicas, in ὁ δέσμιος intelligi verbum εἰμὶ, primum non addidiſſet articulum ὁ. Deinde ſequentia legationis, non vinculorum rationem explicant. Adde quod initio ſequentis capitis τὸ ὁ δέσμιος coniungit cum verbo παρακαλῶ, et in cap. 6. πρεσβεύω ἐν ἁλύσει.

17. *In veſtris animis, et ſitis in caritate radicati*) ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἐν ἀγάπῃ ἐρριζωμένοι, pro ἐρριζωμένων, mutatione caſus, quæ in Paulo frequens eſt, et apud profanos auctores exſtat aliquando: vt in Iſocrate in Panath. id quod adnotauit Hieronymus Wolfius; δοκεῖς γάρ μοι ζῶν μὲν cet. τελευτήσαντα δὲ τὸν βίον, pro τελευτήσας. Neque vero dici poteſt, inſcienter Iſocratem feciſſe: quum traditum ſit, eum in illo tam paruo opere componendo duodecim annos conſumſiſſe.

CAP. V. v. 8. *Tenebricoſi, nunc lucidi*) σκότος et φῶς, pro σκοτεινοὶ et φωτεινοὶ dixit, ſubſtantiuo vtens pro adiectiuo, vt ſæpe: vt quum præputium pro præputiatis dixit: et 2. Cor. 3. δόξα pro δεδοξασμένον. et 5. ἁμαρτίαν pro ἁμαρτωλόν. et alia infinita, qualia ſunt apud Latinos ſcelus pro ſcelerato, pernicies pro pernicioſo: et, Quanti conducis tenebras: pro, obſcuram domum, apud Iuuenal.

Ibidem, *Eſt autem lucis*) φωτὸς recte legitur in Colinæo, et ita poſtulat ſententia, non πνεύματος.

26. *Diuinis verbis*) ἐν ῥήματι, per antonomaſiam dictum eſt, pro ἐν ῥήματι θεοῦ: vt in capite ſequenti ſcriptum eſt. Dicit autem ῥῆμα, quod alibi magis proprie ſolet vocare λόγον. Eodem modo paullo ante dictum eſt, Pleni ſpiritu, pro Pleni ſpiritu ſancto: ſicut ibi non male reddidit vetus interpres. Sic Leuitici 24. dicitur quidam nomini conuicium feciſſe, hoc eſt, Dei nomini. Latini quoque ſolent Bonam dicere, pro bona Dea:

Dea: et rectam, pro recta cœna: et Flaminiam, pro via Flaminia: et id ita libere facere, vt modo vtrumque, modo alterum dumtaxat ponant. Quod idem nobis quoque licere puto, dum ſententiæ et perſpicuitatis habeatur ratio.

CAP. VI. v. 12. *Spiritualem malitiam*) τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας dixit: quomodo Latini plana camporum, et ardua montium, pro planis campis, et arduis montibus. In rebus cæleſtibus intelligo, in Euangelii et religionis negotio, quæ in Euangelio cælum dici ſolet.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

ARGVMENTVM IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

Philippos vrbem Macedoniæ metallicam nobilemque et iam coloniam Romanam, a conditore vel potius tantum inſtauratore ſuo Philippo Alexandri Macedoniæ patre ſic dictam, ex parte aliqua Apoſtolus conuerterat, quum primum diuinitus euocatus fuit in Macedoniam: vti copioſe narratur Act. 18. Eamdem etiam poſtea ſæpius reuiſit, eundo et redeundo per Macedoniam, vt etiam Act. 20. indicatur. Mediocria autem ſane fuerunt initia eius Eccleſiæ, ſed tamen poſtea valde aucta eſt, tum credentium numero, tum et feruenti pietatis ſtudio. Quare ſæpius ſua liberalitate Paulum ſubleuarunt, dando ei coram, et mittendo poſtea tum Theſſalonicam, tum etiam Romam vsque ſubſidia. Hanc igitur Epiſtolam ad eos ſcribit, ſtudio retinendi eam eccleſiam in officio, quo ex tanta vrbe etiam vicini cœtus eccleſiæque in vera pietate promouerentur. Credibile autem eſt, eum aliqua ex parte etiam ab Epaphrodito paſtore Philippenſium admonitum ſimul et perſuaſum eſſe, de neceſſitate ſcribendi ad eos: per quem illi ei ſuum ſubſidium miſerant. Ille igitur (vt credibile eſt) indicauerat ei ſtatum et pericula, aut etiam imbecillitates eius eccleſiæ, quibus paterna admonitione et inſtructione occurreret. Nulla alioqui Paulina epiſtola perinde Pathetica eſt, paternisque affectibus referta, vt hæc ipſa. Eſt autem hæc quoque ad Philippenſes epiſtola ſub finem prioris captiuitatis Rom. ſcripta: facit enim mentionem Timothei ſecum agentis, quem nempe aliquanto antea per poſteriorem ad ipſum epiſtolam euocarat: quin etiam ſui reditus ad ipſos ſpem facit, et ſimul indicat hanc epiſtolam tum demum ſcriptam eſſe, quum iam ſua vincula paſſim facta erant non tantum Romæ, ſed et in aliis locis celebria, et inſuper late euangelium propagauerant. Sunt ergo quinque Paulinæ epiſtolæ circa idem tempus, nempe ſub finem prioris Romanæ captiuitatis ſcriptæ, præcedens ad Epheſios, hæc ſequens ad Coloſſenſes: illa breuis ad Philemonem, et denique ea quæ eſt ad Hebræos. Nam poſterior ad Timo-

theum

theum et illa ad Galatas forte paullo prius, in eadem tamen captiuitate ſcriptæ ſunt. Præcipuus igitur ſcopus totius epiſtolæ eſt, vt eos in accepta religione, et præſertim in doctrina ſincera de ineffabili myſterio exinanitionis Chriſti et iuſtificationis eius confirmet, et porro in ſtudio piæ vitæ ad omne pietatis officium inflammet: vt illi non tantum non deficiant, ſicut Galatæ, ſed etiam ampliſſime proficiant in Euangelio et Chriſtianiſmo.

Ad hunc vero finem, vt eos permoueat, multis vtitur mediis et argumentis. In primo capite id efficere conatur, primum in exordio laudando eorum præteriti temporis pietatem: deinde oſtendendo ſuam optimam ſpem de iis in poſterum: tertio narrando ſuæ crucis ac captiuitatis fructus, præſentes et futuros, ac declarando ſuum ſtudium in promouendo regno Chriſti et eorum ſalute.

In ſecundo capite idem agit, primum obteſtando eos, et vehementisſime adhortando ad concordiam et conſenſum in vera doctrina: deinde proponendo eis exemplum Chriſti, qui ſemetipſum ſalutis ipſorum gratia exinaniuerit, extremaque perpeſſus ſit: tertio adhortando eos ad obedientiam erga ſuam doctrinam: poſtremo promittendo aduentum Timothei et Epaphroditi, qui ſint eos erudituri, et ipſorum ſtatum cognituri, quod item ſui quoque aduentus aliquam ſpem facit.

In tertio căpite eodem contendit, primum excitando eos, vt ſibi caueant a ſeductoribus et errore iuſtitiæ operum, omnemque iuſtitiam ac ſalutem ſoli Chriſto adſcribendo, eiusque efficaciam celebrando: deinde ſuum exemplum ipſis proponendo, qui omni ſtudio ad prouectum in vera pietate contendat.

In poſtremo capite idem vrget: incitando eos ad omnes virtutes pii hominis, et ipſorum erga ſe ſtudium officiaque celebrando.

Poſſet etiam videri eſſe quædam latens œconomia huius Epiſtolæ, quod poſt primi capitis adhortationem ad Chriſtianam pietatem, mox in ſecundo veluti aliud agens, copioſe de myſterio exinanitionis, et victoriæ glorificationisque Chriſti diſſerit: in tertio vero tum beneficia eius, tum et modum ea apprehendendi prædicat, et falſam rationem iuſtificationis per opera redarguit: quæ materia eſt totius huius Epiſtolæ pars primaria et veluti corpus ipſum. Quare totum corpus doctrinæ Chriſtianæ in hac Epiſtola pertractat, dum primum valde commendat Chriſtianam religionem, ad eamque omnes ardentiſſime hortatur: deinde diuinitatem Chriſti, eiusque incarnationem, atque ita duas naturas in vna perſona deſcribit: tertio dum eius exinanitionem ac paſſionem adquiſitionemque ingentium meritorum exponit: quarto eiusdem glorificationem ſeu glorioſam reſurrectionem et adſcenſionem ac potentiam: poſtremo etiam modum apprehendendi merita ac gloriam ex hac parta Chriſti gloria potentiaque.

ADNO-

ADNOTATA.

CAP. I. v. 21. *Nam mihi et viuere Chriſtus eſt*) Hoc quid ſit, mox declarat, quum dicit: Quod ſi mihi in eo ſitus eſt profectus operis, ſi viuam in corpore; καρπὸν ἔργου, hoc eſt, profectum operis quid vocet, patet paullo poſt, vbi dicit, εἰς τὴν ὑμῶν προκοπήν: vt ſit idem καρπὸς, quod προκοπὴ, vt et ad Roman. 1. hoc eſt, profectus Euangelii, qui in eo ſitus eſt, ſi viuat in corpore. Nam mortuus Euangelium promouere non poſſet. Igitur mihi viuere Chriſtus eſt: hoc eſt, ſi viuam, docebo Chriſtum: ita fiet, vt promoueatur Chriſtianitas.

23. *Et migrare quidem cupio*) Sic ponitur verbum ἀναλύειν Luc. 13. et Iudith. 13. et Sap. 2.

CAP. II. v. 6. *Qui quum in Dei forma foret, cet.*) Quum Chriſtus, antequam factus homo eſt, eſſet Deus, æqualiſque Deo, eamdem cum Deo vitam ageret, non retinuit eam cum Deo æqualitatem tenaciter, vt faciunt rapaces, qui nihil ſibi detrahi patiuntur: ſed ſua ſponte factus eſt Deo minor, ſeruilemque hominis formam ſumſit: hoc eſt, homo factus eſt, cet. In Dei forma eſſe dicit, Deo ſimilem eſſe: hoc eſt, Deum. Item hominum ſimilem eſſe, hominem eſſe ceterorum ſimilem, excepto peccato. Item inueniri vt hominem; hoc eſt, inueniri et eſſe hominem; μορφὴν, ὁμοίωμα et σχῆμα, hoc eſt formam, ſimilitudinem, et figuram, pro eodem ponit. Rapinæ habere, ſiue rapinam, aut pro rapina ducere, dicit, pro rapaciter vti et retinere: vt Latini dicunt: In hoſtium numero habere, pro occidere vt hoſtem. Sic enim poni ſolet verbum ἡγεῖσθαι, vt non ſolum cogitationis ſit, verum etiam rei: vt in capite ſequenti: ἀναγκαῖον ἡγησάμην Ἐπαφρόδιτον πέμψαι, Neceſſarium putaui Epaphroditum mittere: hoc eſt, miſi, quod ita neceſſarium et operæ pretium putaui. Et Geneſ. 31. Alienæ putatæ ſumus: hoc eſt, tractatæ vt alienæ.

14. *Prauiſque cogitationibus*) Verbum διαλογισμὸς medium eſt. Sed ſi vituperatur, aut vetatur, intelligitur praua cogitatio, vt latine valetudo. Quod ſi dicas: Non licuit per valetudinem intelligitur aduerſa valetudo. Sin dicas: Gratia, fama, valetudo contingat abunde, intelligitur bona valetudo.

CAP. III. v. 2. *Videte conciſos*) Adludit ad circumciſionis nomen: et conciſos vocat, non vere circumciſos: hoc eſt, Iudæos, qui quum circumciſionem et Iudaiſmum iactarent, non erant vere Iudæi, quum verus Iudaiſmus ſit in Chriſtiana religione poſitus.

CAP. IIII. v. 3. *Vere ſocie*) Verum ſincerumque ſocium vocat, aliquem ſuum in Euangelico labore ſocium. Neque me fallit, eſſe quoſdam qui putent σύζυγε γνήσιε, Attica eſſe feminina, eumque vxorem ſuam adloqui. Sed quum verba plana ſint in maſculino genere, neque quidquam ambiguitatis habeat ſententia, ea detorquere, et Paulum cum ſententiæ obſcuritate Atticum facere, nihil aliud eſt, quam in ſcirpo nodum quærere. Vt interim taceam, quod res ipſa reluctatur. Quum enim de cœlibatu loquens

quens Paulus ad Corinth. dicat, cupere ſe, eos ſui eſſe ſimiles, hoc eſt cœlibes, quo eſſent ad Dei cultum expeditiores: non eſt credibile, cum id poſtea feciſſe, a quo alios dehortatur. Niſi forte dicat quis, eum libidinis ſtimulis victum, poſtea duxiſſe, et ſe maximo ad Euangelicum negotium impedimento implicuiſſe. Sed neque libidine vinci potuit, cui ſic a Deo reſponſum fuerit. Satis eſt tibi meus fauor (nam cui fauet Deus, is inuictus eſt) et ſi victus fuiſſet, oportuit eum vxorem circumducere: quam ſi circumducturus non erat, ſtultum erat ducere. Atqui non circumduxit, vt ipſe de ſe prædicat.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD COLOSSENSES.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Iſtam quoque miſit e Roma, quum Coloſſenſes nondum vidiſſet quidem: audiſſet autem de illis. Argumentum autem Epiſtolæ hoc eſt: Coloſſenſes quidam Gentilibus ſophiſmatis cum fide Chriſti pugnantibus, et traditione ciborum, iuxta Legem, et circumciſione, ſeducere tentabant. Hoc vbi didicit Apoſtolus, hanc illis epiſtolam inſtruendi modo ſcripſit. Et principio gratias agens Deo, ſignificat eos e tenebris ad veritatis lucem ingreſſos. Et quod Chriſtus, in quem crediderant, imago Dei ſit, et verbum, per quod omnia facta ſunt, et quod decuerit eum, qui rerum eſt opifex, et primogenitum fieri creaturæ, et primogenitum ex mortuis, vt vtraque coniungeret et omnia viuificaret. Adhortatur etiam eos, vt in fide perſiſtant, ſignificans eis ſe Paulum eſſe miniſtrum Euangelii, in quo inſtructi iam erant. Deinde de lege, et de cibis in lege vetitis diſputat, et de diebus etiam et annis exponit, et deinceps vetera omnia, circumciſionem quoque abolita eſſe declarat. Conſulit etiam, ne imponi ſibi ſinant a ſophiſtis, qui in hoc erant, vt eos ſubducerent. Tandem adiectis adhortationibus pro parentibus, liberis, viris, mulieribus, ſeruis et dominis, et quæ bonos mores concernunt, epiſtolam finit. Denuntiat etiam illis, vt poſteaquam apud ipſos lecta eſt epiſtola, efficiant, vt in eccleſia Laodicena legatur, et vt ipſi viciſſim eam legant, quæ Laodicenis ſcripta eſt.

ADNOTATA.

C.II.v.11. *Exuto humanorum peccatorum corpore*) Hoc eſt exutis peccatis, quæ corpus ſunt: hoc eſt, per corpus in circumciſione ſignificantur: vt cap.3. ἀπολήψεσθαι τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας: hoc eſt, τὴν κληρονομίαν, ἥ τις ἔστι ἀνταπόδοσις. Eodem modo loquuntur etiam profani, vt Plin. libr.

libr. 1. cap. 5. Huius (ſcilicet aeris) vi ſuspenſam cum quarto aquarum elemento liberari medio ſpatio tellurem. Aquarum elementum vocat aquas, quod elementum eſt.

14. *Oblitterato placitorum chirographo*) ἐξαλείψας χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, ſic datiuo vtitur, vt is per genitiuum reddi poſſit: quale eſt illud 2. Corinth. 2. Appoſitus eſt mihi ſtimulus carni: hoc eſt, carnis et corporis: aut, ad corpus ſtimulandum, quod idem valet: vt Apocal. 8. καπνὸς τῶν θυμιαμάτων ταῖς προσευχαῖς, pro τῶν προσευχῶν. Eſt enim hebraiſmus, quem nos in Pſalmorum titulis declarauimus in τῷ δαβίδ, pro τοῦ δαβίδ. Talia ſunt et illa Catonis, quæ in 2. Corinth. 2. citauimus. Ornamenta bubus, opercula doliis: quæ poſſunt ita dici, Ornamenta boum, opercula doliaria. Ita hic χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, eſt placitorum chirographum: hoc eſt, ipſa placita decretaque diuinæ legis, quibus nos, tamquam chirographo tenebamur obſtricti: quippe quum pronuntiatum ſit, exſecrabilem eſſe, quicumque legi non paruiſſet, idque noſtra, hoc eſt, populi acclamatione ſancitum, quum vniuerſi reſponderent, Amen: Deut. 27. Eo chirographo cogebamur parere legi: quod quia non poteramus, Chriſtus pro nobis paruit, pœnasque dedit, atque ita chirographum quaſi acceptilatione deleuit.

17. *Quarum corpus Chriſtus eſt*) Chriſtus res eſt illis vmbris adumbrata. Eſt autem in græco, Quarum corpus Chriſti eſt: quod idem eſt: vt latine idem eſt, Summa miſeria eſt belli ciuilis: et, Summa miſeria eſt bellum ciuile. Sed ego perſpicuitati ſeruiui.

18. *Nemo vos ſupplantet, cet.*) καταβραβευέτω eo modo dixit, quo καταπαλαίειν dicitur, ſupplantare, atque ita impedire, quo minus brabium et palmam adſequaris: quod faciunt, qui Chriſtianos a vera doctrinæ via abducunt. Modeſtiam vocat, quæ modeſtia videtur eſſe: quale eſt illud Terentii: Terram intuens modeſte: hoc eſt, cum ſpecie modeſtiæ. Et Iuuenalis:

- - - - Quum iam vertigine tectum
Ambulat, et geminis exſurgit menſa lucernis.

Loquitur enim de ebriis, quibus hæc fieri videntur. Atque idem paullo poſt eadem ſexta Satyra Clodium vocat pſaltriam, quod pſaltriæ veſtitum geſtaret. Sic igitur Paulus hoc loco modeſtiam vocat, quum ſe eo demittit homo, vt a certis cibis modeſte abſtineat: vt mox declarabit. Quod verto: Sibi placens, græce eſt θέλων, ex verbo חפץ translatum, quod alias εὐδοκεῖν dici ſolet: vt Matth. 27. ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτὸν hoc eſt, εἰ εὐδοκεῖ ἐν αὐτῷ: eſt enim in hebræo, Pſalmo 22. vnde is locus translatus eſt כי חפץ בו. Item Pſal. 1. ἐν τῷ νόμῳ τοῦ κυρίου τὸ θέλημα αὐτοῦ, חפצו Angelorum cultum vocat, eorum qui angelos colebant; ἑώρακε, pro μεμάθηκε, vt Ioan. 8. καὶ ὑμεῖς ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν ἐποιεῖτε.

19. *Neque caput tenens, a quo*) In græco caput eſt feminini generis. A quo autem, maſculini: refert enim rem, non verbum: vt ſit caput Chriſtus, a quo Chriſto, cet.

20. *Quod ad mundi rudimenta attinet mortui*) Hoc eſt, Nihil iam rei habetis cum mundi prima inſtitutione, quæ rudimenta ſunt pueris neceſſaria, adultis (adulti autem ſunt Chriſtiani) inutilia: ἀπεθάνετε ἀπὸ τῶν στοιχείων, dixit, quomodo Latini, Paratus a Pecunia, hoc eſt, quod ad pecuniam attinet.

21. *Ne contigeris)* ſcilicet immunda. *Ne guſtaueris)* hoc eſt, veſci noli: vt Cæſar Britannos leporem non guſtare tradit. *Ne tetigeris*) non modo non guſtandum, ſed ne tangendum quidem. Eſt autem imitatio orationis eorum qui hæc vetabant. Sequuntur Pauli verba: Quorum omnium, inquit, is vſus eſt, vt vſu pereant: ſic enim verto: ἅ ἐστὶ πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει. Hæc omnia (inquit Paulus) hoc eſt, cibi omnes (quos illi guſtare vetant) eo deſtinati ſunt, vt vtendo pereant: alioquin nullus eorum vſus eſſet, et ſine vſu perirent, atque ita Deus aliquid inutile feciſſet. Eamdem ſententiam ad Corinth. poſuit: Venter eſcæ, et eſca ventri: ἀποχρήσει poſuit pro χρήσει: vt Cato ſolet abuti dicere, pro vtendo conſumere: et Iſocrates in Paneg. dixit καταχρήσασθαι, eadem notione.

22. *Et ad corporis expletionem pertineant, non vt in aliquo ſint honore)* Hæc verba a fine capitis in hunc locum, perſpicuitatis gratia transtuli: vt et Ioann. 1. feci, in πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Eſt enim adiectio ad ea quæ de cibis dixit, qui vt vſu conſumantur, expleantque corpus et ventrem, comparati ſunt: non vt ſint in honore, non vt iis tantum honoris præſtetur, vt ſit contingere nefas.

23. *Iſta vero placita ſunt)* Ad verbum eſt, Quæ ſunt: quod ego clarius explicare volui, alioquin futurum obſcurius, propter interiecta.

Vt rationem habeant ſapientiæ) Vt eorum, tamquam ſapienter factorum, ratio reddi poſſe videatur, quod videntur modeſte et religioſe fieri, et quod ea continentia corpus ſeuere aſpereque tractatur: ἐν autem poſuit pro propter: vt ſupra: μηδεὶς ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει. Et ad Epheſ. 3. αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου.

CAP. IIII. v. 4. *Redimentes tempus)* Quæ emuntur, cara ſunt: ideoque damus operam, vt ea diligenter ſeruemus, neue iis abutamur. Eſt igitur tempus redimere, magnifacere tempus, et cauere ne perdatur, aut male collocetur: hoc eſt, toto tempore bene vti, nec vllam recte agendi occaſionem prætermittere.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA AD THESSALONICENSES.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPIST. PRIMAM AD THESSALONICENSES.

Hanc miſit ex Athenis, quum eos iam antea vidiſſet, et cum ipſis conuerſatus eſſet. Argumentum vero Epiſtolæ hoc eſt: Quum multas adflictiones in Berrhoea perpeſſus eſſet Apoſtolus, in Philippis quoque Macedoniæ et in Corintho, ſciretque qua paſſus fuerat in Theſſalonica, veritus ne Theſſalonicenſes, auditis quæ paſſus erat in prædictis ciuitatibus, tentarentur a tentatore et offenderentur, præſertim quum intellexiſſet eos mortuorum gratia dolere, miſit ad eos Timotheum cum hac Epiſtola. Et primum confirmat eos in fide, ne propter adflictiones

nes concutiantur. Commonefacit enim eos, quomodo et in prima inſtitutione didicerit, ferendas eſſe tribulationes, et quod inſolens non ſit, quod ipſis accidat, a more Iudæorum, qui etiam Chriſtum occiderunt. Eſſe enim proprium Chriſtianorum adfligi in hac vita. Hortatus autem eos multis, vt ita conuerſarentur, ſicuti ab ipſo acceperant, de mortuis etiam ſcribit, conſolans eos ac docens, ne moleſte ferant. Mortem enim non eſſe perditionem, ſed vitam reſurrectionis. Deinde et de temporibus eos inſtruit, vt diem Domini occultum eſſe ſcientes, ſemper parati ſint, nec quemquam attendant de illo nuntiantem: futurum enim aduentum illius ita inopinum, vt qui reſidui inuenientur in eo die, non ſint præuenturi eos, qui e mortuis excitabuntur, eo quod ſimul ac ſubito omnium ſit futura mutatio. Denique vbi admonuit eos, vt meliores in vitæ maioribus euadant, hortatur etiam, vt ſemper in ſpe gaudeant, et precationi inſiſtant, ac gratias agant Domino. Tandem adiurat eos, vt Epiſtolam hanc fratribus omnibus legant, atque ita illam finit.

ADNOTATIO.

CAP. IIII. v. 15. *Fore vt nos viui, qui ad Domini aduentum ſupererimus*) Hoc eſt, vt Chriſtiani, qui ſupererunt. Nec enim ita loquitur, quaſi ſit ipſe ſuperfuturus. Talis eſt illa Moſis ad Iſraelitas oratio, Deut. 1. Per id tempus propoſui vobis, me ſolum non poſſe regere vos, cet. hoc eſt, propoſui patribus veſtris. Quum enim ea diceret populo Moſes, mortui erant ii, quibus illa propoſuerat.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA SECVNDA AD THESSALONICENSES.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM SECVNDAM AD THESSALONICENSES.

Hanc e Roma miſit. Argumentum eius tale eſt: in Theſſalonica quidam otioſi et inordinate viuentes circumibant, ac fratres ſeducebant, quaſi iam tum dies Domini præ foribus eſſet. Seducebant autem audientes, eo prætextu, quaſi hoc ab Apoſtolo id manifeſtante et ab ipſo Spiritu ſancto audiſſent. Hoc vbi cognouit Apoſtolus, hanc ad eos epiſtolam ſcripſit: et primum quidem creſcentem eorum fidem laudat, et gloriatur in ipſis, quod adflictiones fortiter tolerabant propter Chriſtum, conſolatur eos etiam, quod futura ſit a Deo vltio eorum, a quibus immerito adfligebantur: deinde vero et de aduentu ſeruatoris eos inſtruit, ne cuiquam credant, neue turbentur, ſiue per ſpiritum, ſiue

tam-

tamquam ipſe quidquam ea de re ſcripſerit, nec vllo modo putent eum iam præ foribus eſſe, aut futurum, priusquam defectio veniat, et poſt hanc Antichriſtus, filius ille perditionis, cuius aduentum in ſignis ac prodigiis mendacibus ſecundum operationem ſatanæ futurum eſſe ſignificat. Poſt iſta adhortatus eos, vt fortiter perſiſtant, et traditiones, quas a ſe didicerant, ſeruent, denuntiat illis, ne quam cum iis, qui inordinate viuebant, communionem habeant, ſed magis repudient eos. Oſtendit enim huiusmodi curioſos eſſe et errones. Prorſus autem præcipit eis, vt ſi quis ſermonibus immorigerus ſit, hunc e ſynagoga eiiciant. Ceterum pacem illis imprecatus finit Epiſtolam, ſalutatione propria manu ſubſcripta, id quod cuiusque epiſtolæ ſuæ ſignum indicat eſſe.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 9. *Pœnas dabunt Domino*) ἀπὸ προσώπου, hebraiſmus eſt מפני, quod ſæpe ponitur pro מן: vt græce, οἵτινες, pro οἱ: vt ſit δίκην τίσουσιν, cet. hoc eſt, punientur a Domino, ſiue pœnas dabunt Domino: vt δίκην τίσουσι pro paſſiuo ponatur: ſicut latine dicitur: Interiit a valentiore, hoc eſt, interfectus eſt.

CAP. II. v. 9. *Cuius ſceleroſi aduentus*, cet.) Hoc eſt, Qui ſceleroſus quum aduenerit, edet falſa prodigia, cet. Falſa autem prodigia vocat, quæ prodigia videntur eſſe, quum ſint præſtigiæ ac mendacia.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA AD TIMOTHEVM.

ARGVMENTVM ATHANASII IN I. EPISTOLAM AD TIMOTHEVM.

Iſtam miſit e Macedonia, cuius hoc eſt argumentum: Epheſi quidam Iudaiſmo infecti alienam conabantur inuehere doctrinam, et ſimpliciores prætextu legis ſeducere. Hoc quum intellexiſſet Apoſtolus, admonuit Timotheum, vt illic hæreret, quo eos corrigeret. Scribit autem illi epiſtolam hanc: et primum commonefacit eum fidei, quam ſciebat in Chriſtum, et docet de lege, vt cohibeat eos, qui præter rectam doctrinam loquebantur, illosque increpet. Nam et ipſe Apoſtolus Hymenæum et Alexandrum, naufragium circa fidem paſſos, Satanæ iam tradiderat, vt diſcerent non blaſphemare. Vbi de iſtis admonuit, canones illi eccleſiaſticos deinceps præſcribit. De oratione, quomodo, et vbi, et pro quibus ſit orandum. Quod mulieres in eccleſiis tacere debeant, et magis diſcere quam docere. De conſtituendis epiſcopis ſeniori-

nioribus et diaconis. Quomodo ſe gerere et quales eſſe debeant, ac quomodo illarum cura habenda ſit. Iuniores ad modeſtiam inſtituendas eſſe, vt nubant potius, nec turpiter viuant. Diuitibus denuntiandum eſſe, ne ſuperbiant, neue ſpem collocent in diuitias ſuas. Poſtquam de iſtis præcepit, hortatur eum, vt hæc doceat. Et vt aquam amplius non bibat, ſed ſibiipſi et doctrinæ attendat, quod ſciat fore tempora, quibus nonnulli a fide defecturi ſint. Vbi etiam eſcas mundas eſſe docuit, ac præcepit vt contentioſas et profanas quæſtiones auerſetur, in quibus quidam ſibiipſis placentes fidem transgreſſi iam erant, finit Epiſtolam.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 4. *Antiquitates infinitas*) γενεὰ vt דור, non ſolum genus, ſed etiam ſæculum eſt. Inde γενεαλογία Paulo, quæ a Ioſepho et aliis ἀρχαιολογία vocatur. Plinius in præfatione ſua Antiquitatem dicit.

10. *Mendacibus, periuris, et ſi quid aliud ſanæ doctrinæ contrarium eſt*) Hic animaduerte Lector, quid ſit ſana doctrina. Ea eſt videlicet, quæ animi morbos, hoc eſt vitia, ſanat: vt ſi quem videas ex mendaci veracem, ex contumaci obedientem, ex libidinoſo caſtum eſſe redditum: non debeas dubitare, quin quæ doctrina eos morbos ſanauerit, ea ſana ſit. Nam inſana ſanare animos non poſſet, non magis quam inſana medicina corpus. Rurſum quæ doctrina animos eorum, a quibus admittitur, non ſanat, ſed aut tales relinquit, quales inuenit, aut etiam ſuperbiores reddit, et diſſolutiores: ea quin inſana ſit, nemo ſanus negabit.

CAP. II. v. 15. *Seruabitur autem mulier*) Hoc eſt, mulieres ſeruabuntur (nihil enim refert, vtro numero vtare, quum de toto genere loquare) per liberorum procreationem: hoc eſt, quandoquidem ſui peccati pœnas dat in hac vita, dum natos cum dolore parit: vt ſit τεκνογονία totius generis, non vnius feminæ. Nam male cum mulieribus ageretur, ſi ſteriles aut cœlibes ſeruari non poſſent. Seruabuntur igitur mulieres, ſed ita demum ſi permanſerint in officio: μείνωσι enim de mulieribus dicitur, mutato numero, quod Hebræis vſitatum eſt: vt in huius epiſtolæ cap. 5. εἰ δέ τις χήρα τέκνα ἢ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν, ſcilicet viduæ. Itaque recte verterat vtrobique vetus interpres, per numerum ſingularem.

CAP. III. v. 2. *Vnius vxoris vir*) In Oriente habebant aliquando viri ſinguli plures vxores ſimul: quod etiam hodie fit a Turcis et Iudæis. Igitur Paulus maiorem in epiſcopo requirit temperantiam, quam in aliis: itaque vetat eum duas habere ſimul.

16. *Per ſpiritum commendatus*) ἐδικαιώθη dictum eſt, quomodo Luc. 7. οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν, Publicani Deum commendarunt atque collaudarunt. Eſt autem commendatus comprobatusque Chriſtus per ſpiritum, quum ſpiritus ſanctus in eum columbæ ſpecie deſcendit in eius lotione: item conſpectus angelis, qui eum paſtoribus nuntiarunt.

CAP. IIII. v. 2. *Per ſimulationem hominum falſiloquorum*) Hominum addidi, ne Falſiloquorum et ſequentia referentur ad dæmonia.

3. *Vetantium matrimonia contrahere, abſtinere cibis*) Hæc oratio curta

eſt

eſt, et ita reſoluenda, vt pro Vetantium dicas Præcipientium ne: hoc pacto, Præcipientium ne matrimonia contrahantur, præcipientium vt a cibis abſtineatur. Ego propterea nihil addidi, quod ſic latini quoque loquuntur auctores: vt Plin. lib. 25. cap. 5. de Elleboro: Vetant dari ſenibus et pueris, item mollis ac feminei corporis animiue, exilibus aut teneris, et feminis minus quam viris. Hæc Plinius. Vbi verbum Vetant non eſt cum iis verbis, feminis minus quam viris, coniungendum, ſed ita reſoluendum: Præcipiunt non dari ſenibus, et præcipiunt minus dari feminis quam viris. Item Cicero de Finib. lib. 2. Recte ergo is negat vmquam bene cœnaſſe Gallonium, recte miſerum, cet. quod ita reſolui debet: Recte ait, numquam bene cœnaſſe Gallonium, recte ait miſerum. Nec enim negabat eſſe miſerum, ſed adfirmabat Lælius: vt oſtendunt carmina paullo ante poſita, in quibus ſic apud Lucilium loquitur Lælius:

O Publi, o gurges Galloni, es homo miſer, inquit,
Cœnaſti in vita numquam bene, cet.

CAP. V. v. 4. *Doceat in primis ſuam familiam*) Pluralis eſt numeri μανθανέτωσαν, quum χῆρα ſit ſingularis: qui hebraiſmus eſt, vt in cap. 2. indicauimus. Eſt autem μανθανέτωσαν, pro διδασκέτωσαν, minus proprie, vt ſolet Paulus aliquando loqui: vt et gallice Apprendre: et germanice Leeren, docere eſt et diſcere. Itaque idem eſt, μανθανέτωσαν τὸν ἴδιον οἶκον, ſiue τὰ τέκνα, ἢ ἔκγονα (quod idem eſt) εὐσεβεῖν, quod τεκνοτροφείτωσαν, quo verbo paullo poſt vtitur: et εὐσεβεῖν, idem quod ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις. Eſtque hæc ſententia: Quæ vere viduæ ſunt, ne nubant (vt in 1. Corinth. 7. docuit) ſed ſuam cœlibes, non alienam nuptæ familiam doceant, et liberos educent. Quod ſi qua vidua ſuorum curam non gerit, ea fidem abnegauit: vt dicit Paulus paullo poſt, vbi τοὺς ἰδίους et οἰκείους eoſdem vocat, quos hic ἴδιον οἶκον. Quod ſi μανθανέτωσαν referas ad liberos aut nepotes, videbitur non viduis, ſed filiis præcipere Paulus, quum hoc loco viduis præcepta det: niſi dicas idem eſſe, diſcant nati, et doceat mater: ſed οἶκος de parentibus diceretur, quum numquam ad maiores (quod ſciam) referatur, ſed ſemper de familia aut poſteris dicatur: ſicut latine domus, aut familia.

11. *Poſtquam Chriſtum repudiantes laſciuire cœperunt*) στρηνιᾷν, eſt geſtire, laſciuire, incire, ὀργᾷν· κατὰ autem eſt contra: vt ſit καταστρηνιᾷν τοῦ χριστοῦ, Chriſtum, cui ſeſe addixerat, detrectare, eique fidem fallere, et alium procire. Eſt autem καταστρηνιᾷν hoc loco laſciuiſcere, vt ita dicam: ſicut βασιλεύειν, non ſolum regnare eſt, ſed etiam regem fieri, vt alibi declarauimus.

21. *Vt hæc ſine vllo diſcrimine exſequare*) πρόκριμα eſt, quum alius alii προκρίνεται, hoc eſt, præfertur: quum perſona, non res ſpectatur, quæ alias προσωποληψία dicitur, et eadem hoc loco πρόσκλισις, quum ſumus in aliquem propenſiores. Ego, Sine vllo diſcrimine verti: quomodo loquitur Maro: Tros Italuſue fuat, nullo diſcrimine habebo.

24. *Nonnullorum hominum peccata perſpicua ſunt*, cet.) Rationem adfert, cur vetuerit cuiquam protinus imponi manus, eumque ad docendi munus cooptari. Homines, de quibus ad id munus admittendis agitur, aut improbi ſunt aut probi. Improborum alii aperte improbi ſunt, eorumque improbitas iudicium anteuenit: hoc eſt, ante perſpicua eſt, quam de eis

admittendis deliberetur. Et ii quidem repudiandi ſunt. Aliorum improbitas latet, videnturque viri boni. Ii non protinus admittendi ſunt: ſed cunctandum eſt, exſpectandumque dum pateat ſi quæ latet improbitas. Nam vt eorum recte facta perſpicua ſunt, ita ſi quid aliter ſe habet, hoc eſt, ſi quod in eis vitium occultum eſt, id quoque patebit aliquando, ſi exſpectetur. Nihil enim eſt tam occultum, quod non pateſiat. Ita efficitur, vt cunctari ſit tutiſsimum: quoniam ſi pergent eſſe boni, ſatis mature admittentur: ſin erunt mali, non debent admitti.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA SECVNDA AD TIMOTHEVM.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM SECVNDAM AD TIMOTHEVM.

Hanc ad Timotheum miſit e Roma. Argumentum eius eſt tale: Quum vellet Apoſtolus, poſtquam deſertus erat ab his, qui profectionis ſocii fuerant, ad ſe venire Timotheum, hanc illi epiſtolam miſit. Et initio ſignificat ſe memorem eſſe, quum pietatis ipſius, tum fidei maiorum ac parentis ipſius. Deinde, quod, qui ex Aſia ſecuti fuerant, e quorum numero erant Phygellos et Hermogenes, auerſati ſe ſint, in catenis conſtitutum videntes. Oneſiphoron vero laudat, quod is, quum Romam veniſſet, apud ſe manſerit. Præcipit autem, vt ſtultas quæſtiones auerſetur, ob id quod pugnas gignant. Nam hoc pacto Hymenæum et Phyletum deflexos, transgreſſos eſſe veritatem, dicentes reſurrectionem iam eſſe factam, et nonnullos ſubuertiſſe. Hoc itaque amplius illum hortatur, vt ſibiipſi attendat et doctrinæ, ſciatque futuros poſteribus temporibus homines, voluptatum magis quam Dei amantes, et vt iſta præuidens, populum credentem communiat, ne quis ex illo ſeducatur. Poſtquam autem ad morum inſtitutionem et doctrinæ ſeueritatem multis illum adhortatus eſt, tempusque reſolutionis ſuæ iam imminere, vt pro Chriſto immoletur, ſignificauit, præcipit ei vt ad ſe cito veniat, adferens ſecum penulam ſuam et libros. Hortatur etiam, vt Alexandrum ærarium caueat, vt qui ſe multis malis adfecerit, atque ita claudit epiſtolam.

ADNOTATIO.

CAP. III. v. 14. *Et per quæ fidens factus es)* Hoc eſt, Chriſtianus. Animaduerte autem, non eſſe ſcriptum ἐπιστεύθης, ſed ἐπιστώθης, hoc eſt, πιστὸς ἐγένου, qua forma dicitur δικαιωθῆναι, ὑψωθῆναι, cet.

PAVLI

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD TITVM.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM. AD TITVM.

Hanc miſit e Nicopoli: nam ibi bibernauit. Eſt autem epiſtolæ argumentum tale: In Creta reliquerat Titum, vt Clericos oppidatim conſtitueret. Quum autem illic multi legis prætextu populum credentem ſeducere conarentur, id vbi cognouit Apoſtolus, epiſtolam hanc Tito ſcripſit: et principio gratiis actis Deo propter ipſius pietatem, indicat fidem in Chriſtum non eſſe recentis inuenti: ſed a ſæculo præparatam et a Deo promiſſam. Deinde de conſtituendis clericis docet, quomodo illi conuerſari et quales eſſe debeant. Præcipit etiam illi, vt increpet eos, qui ſanæ fidei contradicebant, maxime eos, qui erant ex circumciſione, ſciatque Cretenſes eſſe otioſos, et opus habere increpatione. Et poſtquam docuit omnis generis eſcas eſſe mundas mundis, et quales eſſe debeant anus, quarum eſt officium caſtigare adoleſcentulas, admonet, quomodo ſerui dominis ſuis ſubiici debeant. Denique vbi admonuit, quod gratia ſeruatoris non ex operibus nos iuſtificauerit, ſed ex diuina benignitate, denuntiauitque vt legales pugnas, tamquam temerarias et impudentes, auerſetur, ſignificat illi, vt quamprimum ad ipſum miſerit Artemam, ad ſe veniat. Præcipit etiam, vt auditores ſuos bonis operibus præeſſe doceat, atque ita terminat epiſtolam.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD PHILEMONEM.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Hanc miſit e Roma. Argumentum eius hoc eſt: Oneſimus ſeruus Philemonis aufugerat et ad Paulum venerat, atque ab illo in fide inſtructus iam, et vſui illius miniſtrando commodus erat. De hoc itaque ſcribit Philemoni, illique commendat Oneſimum, vt ſincere erga eum adficiatur, nec amplius eum habeat vt ſeruum, ſed vt fratrem. Hortatur illum etiam, vt hoſpitium ſibi paret, vt vbi venerit, manendi locum inueniat: et ſic finit epiſtolam.

IACOBI APOSTOLI EPISTOLA.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM IACOBI.

Ab auctoribus ſuis et ipſæ nomina ſortitæ ſunt Epiſtolæ Catholicæ. Hanc enim Iacobus ad diſperſas duodecim tribus in Chriſtum credentes ſcripſit. Scripſit autem eam more et genere docendi, docens eas de tentationum diſcrimine, quænam a Deo, quæ vero ex proprio cuiusque mortalium corde ſint: et quod non verbis tantum, ſed et ipſo opere oſtendenda ſit fides, quodque non auditores legis, ſed factores iuſtificentur. Præcipit etiam de diuitibus, ne illi pauperibus in Eccleſiis præferantur, ſed magis increpentur, tamquam ſuperbi. Tandem vbi adflictos conſolatus, et ad tolerantiam vsque ad iudicis aduentum ſeruandum, adhortatus eſt, deque patientia, ex iis quæ Iob acciderunt, admonuit: præcipit vt ſeniores vocentur ad ægrotos, ſtudeaturque, quomodo errantes ad veritatem conuertantur, eo quod merces huius apud Dominum ſit remiſſio peccatorum: atque ita terminat Epiſtolam.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 11. *Cum ſuis copiis*) πορίαις, non πορείαις legendum videtur: vt diuitis opes cum herbæ flore comparentur, non itinera.

CAP. II. v. 10. *Qui in vno delinquit, is omnibus tenetur*) Hoc eſt, æque damnatur, ac ſi in omnibus deliquiſſet: nec ei prodeſt in aliis obediuiſſe, quo minus eius peccati det pœnas: nec poſſunt eius virtutes id abolere peccatum. Vt ſi quis regi fideliter ſeruierit, ſi quid capitale committat, det ſeuero regi pœnas, non minus quam ſi multa peccaſſet. Vide Ezech. 3. et 33.

18. *Oſtende mihi tuam fidem ſine tuis operibus*) χωρὶς τῶν ἔργων, recte legitur in quibusdam, et ita legit Vetus: vt ſit hæc ſententia: Tu habes fidem, vt dicis: ego opera habeo. Fateor me, ſi fide carens, opera habeam, non ſatis habere. Sed dico me, quum opera habeam, habere etiam fidem. Quum enim a fide proficiſcantur opera, neceſſe eſt, in quo ſint hæc opera, in eodem eſſe fidem: alioquin vnde proficiſcerentur? At tu qui fidem iactas, et operibus cares, ne fidem quidem habes. Quum enim fides opera pariat, et ſine eis mortua ſit: neceſſe eſt te, qui operibus careas, fide quoque carere. Alioquin oſtende eam ſine operibus. Non potes. Ergo ea nulla eſt, niſi adſint opera.

CAP. III. v. 6. *Aeui curſum inflammans*) τρόχος rota eſt, a verbo τρέχειν currere. Hic vitæ orbis et curſus eſt: γένεσις autem proprie eſt natiuitas, aut origo. Sed vt Hebræi ילדים, ſiue בנים, hoc eſt natos, ſiue filios vocant homines: ita hoc loco γένεσις pro hominis ætate dictum eſt: cum cap. 1. pro corporis figura et ſtatura poſitum ſit, quæ Matth. 6. ἡλικία dicitur.

CAP. IIII.

CAP. IIII. v. 4. *Degeneres et viri et feminæ)* μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες dixit, quomodo Chriſtus, γενεὰ μοιχαλίς. Quod vitiis indulgetis, inquit, eſtis amici mundi, qui in vitiis demerſus eſt: atque ita degeneratis a Deo, et eſtis eius inimici. Ad iſtud quidem non proficiſcitur a ſancto ſpiritu, qui maius conferre ſolet beneficium, quam vt ſit ad inuidiam, ceteraque, quorum mentionem feci, vitia pronus, et ad ea inducat homines. Ab eo vos degeneratis, quum inuidetis, nec alios vobis excellere pati poteſtis: id quod non ſolum inuidiæ, ſed etiam ſuperbiæ eſt. Superbis autem aduerſatur Deus: quamobrem ſubmittite vos, vt vobis ille faueat. Hic vides, Lector, hunc locum, διὸ λέγει ὁ θεὸς, cet. non fruſtra et in græcis quibusdam, et in latino vetere, eſſe additum. Pertinet enim ad id quod ſequitur, ὑποτάγητε.

13. *Proficiſcemur in illam vrbem, cet.)* Et hic πορευσόμεθα, ceteraque per o paruum recte legit vetus. Nec enim reprehendendum eſt, ſi quis dicat, Eamus. Sed ſi quis dicat, Ibimus, reprehendendus eſt, quum incertum ſit ei, quid ſit futurum. Itaque addendum eſt, ἐὰν θεὸς ἐπιτρέπῃ, vt loquitur Paulus ad Corinth. ſi Deus permiſerit, volente Deo, et talia.

PETRI APOSTOLI EPISTOLA PRIMA.

ARGVMENTVM ATHANASII IN I. EPISTOLAM PETRI.

Et iſta ab eo denominata eſt, a quo eſt ſcripta. Petrus enim docendi gratia epiſtolam hanc Iudæis, ad Chriſtianiſmum conuerſis, in diſperſione conſtitutis, ſcripſit. Poſtquam enim ex Iudæis multi crediderunt, confirmat eos. Et primum quidem exponit ac declarat, quod fides in Chriſtum a prophetis prænuntiata, et per eosdem ſignificata, ſit redemtio, quæ eſt per ſanguinem eius, et quod ipſis ac gentibus omnia ſint per Euangelium adnuntiata, in quæ angeli quoque proſpicere deſiderant. Deinde poſtquam conſuluit, vt digne conuerſentur eo, qui ipſos vocauit, admonet vt regem honorent, et mulieribus ſimul ac viris denuntiat, vt vnanimes ſint. Et vbi ad mores honeſtos adhortatus eſt, ſignificat illis, quod et inferis innotuerit a Domino prædicatio ſalutis et reſurrectionis, vt et ii qui antea mortui ſunt, reſurgant, et iudicentur quidem in corpore, gratia vero reſurrectionis perſiſtant. Et quod finis omnium adpropinquerit, omnesque parati eſſe debeant ad reddendum iudicii rationem. His dictis finit epiſtolam.

ADNOTATIO.

CAP. III. v. 7. *Vt multiplicis beneficii et vitæ*) ποικίλης χάριτος καὶ ζωῆς: ita in Colinæi exemplari legitur, et recte, meo quidem iudicio: vt et in aliquot deinceps locis, in quibus emendatius eſt quam alia: quod ideo moneo, vt id exemplar conſulatur, ſicubi ab aliis videbor diſcrepare. Nam id multis in locis ea habet, quæ nullum eorum habuit, quibus vſus eſt Eraſmus.

PETRI APOSTOLI EPISTOLA SECVNDA.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM POSTERIOREM PETRI.

Pari modo et iſta ab eodem conſcripta, eiusdem nomen præfert. Nam idem Petrus et hanc ad eos ſcripſit, qui iam crediderant. Eſt autem hæc epiſtola refricatio priorum. Quum enim cognouiſſet cito, futuram corporis ſui reſolutionem, diligenter hoc egit, vt omnes admonerentur eorum, de quibus antea per euangelii doctrinam erant inſtructi. Et primum quidem de fide diſſerit, et oſtendit, quod a prophetis illa ſit adnuntiata, et quod prophetiæ de Saluatore non ſint humanæ, ſed a Deo prænuntiatæ. Deinde denuntiat illis, ne ſeductores attendant, illorum perditionem futuram prædicens: quemadmodum et de angelis transgreſſoribus pœna ſumta eſt. Significat autem hac epiſtola futuros dies, quibus illuſores paſſim circumituri ſint, conaturique vt aliquos ſeducant, dicentes, quod inaniter a nobis prædicatur aduentus Seruatoris futurus, eo quod is quum ſemper prædicatur, nondum tum venerit. Ab his igitur abſtinere præcipit, docens, ne moræ gratia animum deſpondeamus, propterea quod nihil tarditatis vniuerſum tempus gignat apud Dominum, vno die inſtar mille annorum exſiſtente, et mille annis inſtar vnius diei. Adfirmat ſimul, et declarat cito futurum Domini diem, præcipitque omnibus, vt ad illius aduentum parati ſint: in bonis operibus, et amplectantur quæ ab Apoſtolo Paulo ſcripta ſunt, nec aures accommodent his, qui ea calumniantur: quandoquidem iidem et vniuerſas diuinas ſcripturas calumnientur. Poſtquam igitur quosuis admonuit ac docuit, vt iſta futura ſciant, hortatur ne quisquam a fideli ſcopo aberret, atque ita finit epiſtolam.

ADNO-

ADNOTATA.

CAP. II. v. 4. *Nam ſi Deus angelis, cet.*) Imperfecta oratio. Nihil enim ſequitur, quod voci Si reſpondeat, quaſi auctore poſt enumerata tot exempla oblito. Sed in eo propterea nihil eſt incommodi, quod facile intelligitur hæc ſententia: Si Deus illis non pepercit, ne iſtis quidem parcet.

14. *Degeneris perpetuique peccati plenos*) Degener peccatum vocat, hominum degenerum; ἀκαταπαύςυ autem in genitiuo recte legit vetus, et ita habet exemplar Colinæi.

18. *Libidinoſi corporis*) σαρκὸς ἀσελγείας, corporis libidinis legendum puto. Alioquin parum quadrat, ſi ἀσελγείαις legas in datiuo plurali. Tale eſt quod legitur in Epiſtola Iudæ, σαρκὸς ἑτέρας, pro ἑταίρας.

Propemodum effugerant) ὀλίγως et Colinæi exemplar habet, et legit vetus. Quod ſi ὄντως mauis (vt eſt in aliis) ſic interpretare: Qui vere effugiſſent.

5. *Cælos olim terramque et ex aqua et in aqua conſtitiſſe*) Hoc eſt, tantam fuiſſe aquæ eluuionem, vt et cælum, hoc eſt, aer et terra, nihil aliud eſſent quam aqua, hoc eſt, aqua ſubmergerentur, adeo vt ſola aqua exſtaret: quod Sybilla ſic dixit:

> Nabit humus, nabunt montes, innabit et æther:
> Omnia pontus erit, corrumpet et omnia pontus.

δι' ὕδατος dixit, pro ἐν ὕδατι: ſicut et nos alibi de διὰ ſcripſimus: et latine Per montes, idem eſt quod in montibus; συνεςῶσα participium repetendum eſt: vt ſint οὐρανοὶ, συνεςῶτες et γῆ συνεςῶσα. Atque hoc verbum pro eſſe poſitum eſt: vt apud Ciceronem de Amicitia, Conſtare verbum ſic ponitur: Quæ in omni rerum natura, totoque mundo conſtarent, ea contrahere amicitiam, diſſipare diſcordiam: δι' ὧν, quibus rebus: hoc eſt, qua eluuione.

6. *Illius temporis mundus*) Hoc eſt, homines, et cetera animalia. Eſt autem hæc Petri argumentatio: Putabunt impii homines ſemper duraturum hunc rerum ſtatum, ſicut ſemper idem videtur fuiſſe. Sed nec idem ſemper fuit, nec idem ſemper erit: nam aliquando et aqua periit mundus, et idem igni peribit.

IOANNIS APOSTOLI EPISTOLA PRIMA.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM PRIMAM IOANNIS.

Hoc nomine vocatur et iſta epiſtola propterea quod a Ioanne Euangeliſta ſcripta eſt, vt commonefaceret eos, qui iam in Dominum crediderant. Et primum quidem perinde atque in euangelio, ita et in hac epiſtola

epiſtola de Verbi diuinitate diſſerit, oſtendens illud in Deo ſemper eſſe ac docens, patrem eſſe lucem, vt Verbum ita cognoſcamus ex patre eſſe, tamquam fulgorem e Luce. Diſſerens autem de diuinitate Verbi, exponit fidei noſtræ myſterium non eſſe rem nouitiam, ſed eſſe ſempiternum ab initio: nunc vero manifeſtatam in Domino, quia vita eſt ſempiterna et verus Deus. Cauſſam etiam, ob quam Verbum ad nos venerit et apparuerit, ponit, hanc videlicet vt opera diaboli diſſolueret ac nos a morte liberaret, efficeretque, vt patrem agnoſceremus, et filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Scribit igitur ad quamuis ætatem, ad pueros, ad adoleſcentes, ad ſenes quod Deus innotuerit: diabolica vero operatio deinceps, deleta morte, deuicta ſit. Quod reliquum eſt per totam epiſtolam, dilectionem docet, volens vt nos inuicem alius alium diligamus, propterea quod et Chriſtus dilexit nos. Diſſerit itaque de differentia timoris et dilectionis filiorum Dei, et filiorum diaboli, de peccato mortali, et non mortali, de differentia ſpirituum, diſcernitque, quisnam ſpiritus ex Deo: quis vero ſeductionis ſit, et quando cognoſcamur filii Dei, quando vero diaboli. Item cuius peccati gratia orandum ſit, pro his qui deliquerunt, et pro quo non ſit. Et quod vocatione indignus ſit nec Chriſti eſſe dici poſſit, qui proximum non diligit. Vnitatem etiam filii cum patre oſtendit, et quod qui filium negat, nec patrem habeat: decernit quoque in hac epiſtola, quod ſit proprium Antichriſti, nempe hoc, ſi dicat Ieſum non eſſe Chriſtum, ita vt quaſi ille non ſit, ſe ipſum mentiendo dicat eſſe Chriſtum. Hortatur autem per totam epiſtolam Chriſto credentes, ne animo ſint abiecto, ſi odio habeantur in hoc mundo, ſed magis gaudeant: ob id quod odium mundi huius declaret credentes migraſſe ex hoc mundo, et poſthac conuerſari in cælis. Et in calce epiſtolæ iterum admonet, filium Dei eſſe vitam æternam ac verum Deum, et vt illi ſeruiamus, noſque ipſos a ſimulacris cuſtodiamus.

ADNOTATIO.

CAP. II. v. 25. *Quod nobis promiſit, id vita æterna eſt*) τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, accuſatiuus eſt, propter verbum ἐπηγγείλατο: ſed qui referatur ad ἐπαγγελία, et ideo latine ſit per nominatiuum reddendus. Eodem modo loquitur auctor Apocal. 1. τὸ μυστήριον τῶν ἑπτὰ ἀστέρων, οὓς εἶδες ἐπὶ τῆς δεξιᾶς μου, καὶ τὰς ἑπτὰ λυχνίας: pro καὶ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν. Sed accuſatiuo vtitur, propter verbum εἶδες.

IOAN-

IOANNIS APOSTOLI EPISTOLA SECVNDA.

ARGVMENTVM ATHANASII IN SECVNDAM IOANNIS EPISTOLAM.

Hanc ſenior factus Dominæ ſcribit et liberis eius. Eſt autem argumentum epiſtolæ tale. Quum videret liberos huius recte in fide conuerſari, multos autem ſeductores circumire, qui dicerent aduentum Chriſti in carne non eſſe factum, epiſtolam hanc ſcribit, et principio quidem laudat, quod liberi eius bene conuerſarentur, deinde docet, fidei noſtræ myſterium non eſſe recens. Hortatur iterum ad dilectionem, et vt maneant in doctrina, quæ ipſis erat tradita. Deinceps docet eos, Antichriſtum eſſe qui Chriſtum in carne non veniſſe dicat. Denuntiat autem illis, ne eos, qui huiusmodi ſunt, in domum ſuam quisquam recipiat, neque ſalutem illis dicat, atque ita terminat epiſtolam.

IOANNIS APOSTOLI EPISTOLA TERTIA.

ARGVMENTVM ATHANASII IN TERTIAM IOANNIS EPISTOLAM.

Iſta quoque Ioannis eſt, vt et inſcriptio habet. Miſſa eſt autem ad Gaium. Et primum quidem laudat eum propter teſtimonium hoſpitalitatis, quod habebat ab omnibus, hortaturque eum, vt in propoſito perſiſtat, ac fratres recipiat ac deducat. Accuſat autem Diotrephen, quod is non ſolum nihil præbebat pauperibus, ſed etiam aliis prohibebat, ac multa nugabatur. Tales alienos eſſe dicit a veritate, neque cognoſcere Deum: Demetrium vero laudat, optimum illi teſtimonium impendens.

EPISTOLA AD HEBRAEOS.

ARGVMENTVM ATHANASII IN EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

Hanc miſit ex Italia. Argumentum eius tale eſt: quoniam Iudæi legi et vmbris illius incumbebant, ob eam cauſſam Paulus Apoſtolus, doctor gentium factus, et ad gentes amandatus, vt Euangelium illis prædicaret, quum omnibus gentibus ſcripſiſſet, iam deinceps omnibus etiam Hebræis,

bræis, qui ex circumciſione crediderant, epiſtolam hanc, declarationibus et probationibus inſtructam, de Chriſti aduentu, et de legis vmbra, quod illa deſierit, ſcribit: et principio declarat prophetas ob id eſſe miſſos, vt de ſeruatore prænuntiarent, et vt poſt illos ipſe ſeruator veniret: ſeruos eſſe prophetas et nuntios aduentus ipſius: ipſum vero Chriſtum filium eſſe Dei, per quem omnia facta ſint: et quod hunc filium incarnari hominemque fieri oportuerit, vt per corporis ipſius oblationem mortem aboleret. Neque enim per ſanguinem vituli aut hirci, ſed per ſanguinem Chriſti conſtare mortalibus ſalutem. Oſtendit etiam quod lex neminem perfectum reddiderit: ſed vmbra habuerit futurorum bonorum, quod populus requiem per illam non inuenerit: ſed communis nobis omnibus relicta ſit quietis dies. Item quod ſacerdotale illud ſummi ſacerdotis munus, ab Aharone ad Chriſtum translatum ſit, cuius typus fuerit Melchiſedechus non e Leui ortus. Et quod patres fide ſint, non ex operibus legis iuſtificati. Tandem vbi et iſtos ad morum inſtitutionem adhortatus eſt, ac tolerantiam eorum propter Chriſtum laudauit, ſuaſitque, vt ſeniores honore adficiant, abſoluit epiſtolam.

ADNOTATA.

CAP. IIII. v. 1. *Ne ſi forte deſinat, cet. promiſſio*) Tum deſinet promiſſio, quum iam in eius requietem intrabitur. Itaque danda opera eſt, vt dum licet, pareamus: ne ſi ſimus ad eam rem tardiores, opprimamur de improuiſo, atque ita tardaſſe videamur: hoc eſt, tardauerimus. Nam δοκεῖν Græcis, et videri Latinis, aliquando cum re ipſa coniunguntur: vt quod ait Ariſtoteles, omnia τὸ ἀγαθὸ ἐφίεσθαι δοκεῖ, bonum expetere videntur: hoc eſt, apparet omnia bonum expetere, omnia bonum expetere videmus. Talia multa reperies apud Iſocratem, necnon apud Ciceronem: quale eſt illud Officiorum primo: Numquam omnino periculi fuga committendum eſt, vt imbelles timidique videamur: hoc eſt, ſimus.

2. *Non coniunctus cum eorum fide, qui audiuerant*) μὴ συγκεκραμένο τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασι, pro τῇ πίστει τῶν ἀκουσάντων· de quo loquendi modo vide quæ ſcripſimus ad Coloſſ. 2.

3. *Ingredimur enim in requietem, qui fidem habemus*) Hoc eſt: Non niſi qui fidem habent, in requietem ingrediuntur. Eſt autem huiuſmodi argumentatio: Quod Dauid de Domini requiete loquitur, neceſſe eſt, vt aut de Sabbato loquatur, in quo quieuit Deus: aut de quiete, quam adepti ſunt Iſraelitæ in Chananæam ingreſſi: aut de alia quiete, quæ ſit adhuc futura. Atqui de duabus prioribus loqui non poteſt, quum earum altera iam a principio conditi mundi fuerit, altera multis ſæculis ante Dauidem. Neceſſe eſt igitur, vt de futura dicat.

CAP. VI. v. 12. *Qui per fidem et patientiam*) μακροθυμία aliquando dicitur ab אפים ארך, ad verbum μακρὸς θυμῷ, tardus ira, qui latine lentus appellatur: vnde lentitudo eſt μακροθυμία: quæ eadem nonnumquam clementia, aut facilitas dici poteſt. Atque ita ſolet Paulus hoc verbo vti. Nec me fallit, lentitudinem in vitio aliquando poni: ſed poteſt et in laude dici, quum eam laudes, quam alii vituperent. Nonnumquam

μακρο-

μακροθυμία dicitur pro ὑπομονὴ, hoc eſt patientia: atque ita loquuntur Euangeliſtæ, et hic auctor, vt oſtendit ſententia, quum ea cum ſpe coniungatur: vt 1. Theſſal. 1. dicitur ὑπομονὴ τῆς ἐλπίδος.

CAP. IX. v. 16. *Vbi eſt teſtamentum, teſtatoris mortem conſequi neceſſe eſt*) ברית fœdus ſiue pactum eſt, quod græce συνθήκη dici poſſet. Verum auctores ſacri pro συνθήκη appellant διαθήκην, quod verbum proprie teſtamentum ſonat (niſi quod raro etiam apud profanos ponitur pro pacto, ſicut obſeruauit Ioachimus Camerarius) vnde libros ſacros vetus et nouum teſtamentum ſolemus dicere: quum, ſi latine loqui velis, vetus et nouum fœdus dicendi ſint. At hic auctor hebraici verbi vim non perpendens, quum græce ſcriberet (nam græce ſcriptam eſſe hanc epiſtolam, vel ex hoc loco euinci poteſt: ſiquidem hebraice nemo ſic argumentari poſſit, vt ex pacto teſtamentum faciat, et ideo teſtatoris mortem inuehat) a græco διαθήκης verbo duxit argumentum: quale fecit etiam in cap. 2. vbi pro Deo poſuit angelos. Hæc res in cauſſa fuit, vt nos in hac epiſtola διαθήκην teſtamentum interpretaremur, contra quam ſolemus: alioquin ſi fœdus vertiſſemus, non haberet locum hæc auctoris diſputatio.

CAP. XI. v. 1. *Eſt autem fides, ſperatorum ſubiectio*) Hypoſtaſis non ſignificat hic proprie ſubſtantiam. Nam ſi fides eſt ſubſtantia ſiue ſubſiſtentia eorum, quæ ſperantur, efficitur vt rerum ſubſtantia ſit, antequam ſint ipſæ res: nam quæ ſperantur nondum ſunt: vt quod ſperamus reſurrectionem mortuorum, ea nondum eſt. Quod ſi fides eſt eius ſubſtantia, efficitur vt iam ſubſtet, hoc eſt, ſit reſurrectio: aut certe vt ſubſtet antequam ſit, id quod fieri non poteſt; ὑπόςασις eſt ſubſtantia, et ipſa res atque materia, vt in huius epiſtolæ cap. 1. Transfertur ad alia, vt 2. Corinth. 11. ἐν ταυτῇ τῇ ὑποςάσει τῆς καυχήσεως, In hac gloriandi materia, ſiue argumento. Nec ab ea notione recedit, quod in hac epiſtola cap. 3. ponitur pro diſputationis argumento, et auctoris loco, quem ſibi tractandum propoſuit: vt ſit ὑπόςασις, quum res ὑφίςαται, proponitur, ſubiicitur, et præſens ſtatuitur. Itaque hic dicitur, eorum quæ ſperantur, ſubiectio, quod abſentia nobis ſubiiciat ac proponat, efficiatque vt præſentia eſſe videantur: nec ſecus eis adſentiamur, quam ſi cerneremus, eſtque idem hoc loco ὑπόςασις, quod ἔλεγχος: et ἐλπιζομένων, quod οὐ βλεπομένων, geminata ſententia: vt ex eo apparet, quod hæc nulla coniunctione copulantur. Itaque liceret ita coniungere: Fides eſt rerum quæ non cernuntur, ſed ſperantur, ſubiectio ac demonſtratio.

3. *Ita vt ex iis quæ non exſtabant*) εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων, pro εἰς τὸ ἐκ τῶν μὴ φαινομένων.

19. *Vnde eum videtur quodammodo recepiſſe*) παραβολὴ, comparatio eſt et ſimilitudo; ἐν παραβολῇ recepit ex mortuis filium Abrahamus, quo modo paullo ante dicitur eum mactaſſe. Nam neque mactauit, neque recepit ex morte. Sed quum id facturus fuerit, perinde eſt ac ſi mactaſſet, et rurſum in vitam reuocatum recepiſſet. Hoc eſt quod dicit ἐν παραβολῇ, quod res ipſa non facta ſit, ſed facta eſſe videatur.

CAP. XIII. *Gratiarum actione*) χάριτι dixit, pro εὐχαριστίᾳ, quam mox vocat laudationis ſacrificium.

15. *Libe-*

15. *Libemus adſiduum*) ἀναφέρωμεν, ſcriptum cum ω magno, recte legit vetus. Eſt enim cohortatio, vt indicat orationis tenor.

APOCALYPSIS IOANNIS THEOLOGI, HOC EST, PATEFACTIO.

ARGVMENTVM ATHANASII IN APOCALYPSIN IOANNIS.

Hoc nomine vocatur hic liber, propterea quod hanc reuelationem ipſe Ioannes Euangeliſta et Theologus in Patmo inſula dicta, dominico die vidit, iuſſuque conſcripſit, vt ad ſeptem eccleſias mitteret, videlicet iſtas: Epheſum, Smyrnam, Pergamon, Thyatiram, Sardenſem, Philadelphiam, et Laodiceam: quæ vero in hac viſione vidit, multa ſunt ac differentia. Circa finem perditionem etiam Antichriſti cum diabolo vidit. Iubetur autem primum ſcribere ſingulis prædictarum eccleſiarum angelis, ſecundum cuiusque actiones. Multas itaque et admirabiles viſiones vidit, vtpote ſeptem candelabra aurea, et in medio illorum ſimilem filio hominis, et interpretationem accepit, candelabra illa eſſe ſeptem eccleſias, et eum qui in medio erat, eſſe Dominum. Deinde ianuam vidit apertam in cælo, et Dominum in throno ſedentem, et viginti quatuor ſeniores, ſedentes ſuper thronos et adorantes Dominum. Vidit etiam ſeptem ſigilla aperiri, et vnoquoque aperto viſio quædam apparebat. Vidit item ſeptem angelos habentes ſeptem tubas, et vnoquoque illorum clangente, fiebat ſignum, ſeptimo vero clangente, audiuit dicentes: Regnum mundi, Domini factum eſt. Et arcam teſtamenti vidit in cælo. Deinde mulierem parturientem vidit, et draconem ignitum, qui illam perſequebatur. Mulier quidem ſeruata eſt in ſolitudine, draco vero abiectus in ignem. Poſt iſta, beſtiam vidit habentem cornua decem, et capita ſeptem, et diadema eius blaſphemia plenum erat. Nomen vero eius non patefecit, ſed numerum nominis eius, nempe ſexcenti ſexaginta ſex. Et virgines audiuit canentes et agnum ſequentes. Vidit etiam angelum per medium cæli volantem, et poſt hunc alterum, poſt alterum tertium quoque, deinde et nubem candidam vidit, et inſidentem illi ſimilem filio hominis, in capite coronam auream habentem, et in manu ſua falcem acutam. Denique ſeptem angelos vidit, habentes ſeptem plagas nouiſſimas, et phialas aureas plenas ira Dei. Poſthæc ablatus eſt ſpiritu in ſolitudinem, et vidit mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccinam, habentem capita ſeptem, et indicatum eſt ei, ex hac futurum eſſe Antichriſtum. Vidit etiam cælum apertum, et equum album, ac inſidentem illi, et nomen eius, Verbum Dei. Deinde vidit beſtiam ac reges terræ bellum facere volentes cum eo, qui ſedebat ſuper equum album. Et apprehenſa eſt beſtia, et cum ipſo Pſeudopropheta, qui eſt antichriſtus, et vidit eos abiici in ſtagnum ignis. Poſt iſta vidit angelum deſcendentem de cælo, et abiicientem ſatanam cum his qui characterem ipſius habebant in abyſſum, et claudentem ſuperne, ne poſthac amplius ſeducat gentes, donec conſumti ſint mille anni. Martyres deinde vidit, cum gloria in Chriſto regnantes, et quod ſatanas poſt mille annos ſoluendus ſit, et abiiciendus in ſtagnum ignis cum Antichriſto in ſecula ſeculorum. Poſthæc vidit cælum nouum, terram nouam, ac Ieruſalem nouam, et fluuium aquæ viuæ, ac ſeruos Dei contemplantes faciem eius, et habentes nomen eius in frontibus ſuis. Quum hæc vidiſſet Ioannes, procidit volens adorare ange-

angelum, qui ſibi hec omnia oſtenderat, at angelus prohibuit illius conatum dicens: Non me ſed Deum adora: ego enim conſeruus tuus ſum. Poſtquam autem iſta vidit, audiuit ab ipſo noſtro Domino Ieſu, quod exſiſtens ſit, et idem ipſe ſit verbum Dei, quod poſterioribus temporibus propter nos caro factum eſt. Homo, inquam, perfectus factus eſt, et filius hominis vocatus eſt. Sunt et alii quidem libri varii, preter prædictos vtriusque tum Veteris tum Noui inſtrumenti, quorum aliis contradicitur, alii Apocryphi vocantur.

ADNOTATIO INTERPRETIS.

De huius auctore libri dubitatur. Titulus Ioannem Theologum nominat. Quis fuerit, aut quando fuerit, non magis ſum ſollicitus, quam de vini dolio, aut tempore, dum vinum fit bonum. Fuiſſe quidem huius libri auctorem verum vatem, Deique diſcipulum, perſuaſum habeo: nec de eo magis dubito, quam de Ioannis Euangelio. Et tamen huius libri vix milleſimam partem intelligo.

ADNOTATA.

CAP. I. v. 4. *Ab eo qui eſt et qui fuit*) ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν pro ἀπὸ τοῦ ὄντος, cet. Sed quia ab imperfecto ἦν (quod pro præterito poni ſolet) nullum ducitur participium, ipſo verbo vſus eſt pro participio: id quod ab Hebræis fit nonnumquam. Quod ad ſolœciſmum attinet (qualis paullo poſt ſequitur, ἀπὸ Ἰησοῦ χριστοῦ ὁ μάρτυς, pro τοῦ μάρτυρος) noli moueri. Talia ſæpe occurrunt etiam in Paulo. Tu a bonis mores, et a diſertis ſermonem diſcito.

CAP. III. v. 9. *Ego cogam nonnullos*) δίδωμι hebraico more dictum אתן, quod idem paullo poſt dicit, ποιήσω αὐτοὺς ἵνα, cet.

14. *Opificii Dei caput*) Hoc eſt, omnium Dei operum excellentiſſimum atque primum. ἀρχὴ hebraiſmus eſt a ראשית. vt Iob. 40, dicitur de elephanto, הוא ראשית דרכי אל: hoc eſt, præcipuum operum Dei: et vt Galli loquuntur, un chef doeuvre, caput operis: hoc eſt, ſummum et præſtantiſſimum opus.

C. V. v. 11. *Quorum numerus erat distributus in millies centena millia*) μυριὰς μυριάδος ſunt millies centena millia, μυριάδες μυριάδων (vt hic ſcribitur) eſt hic numerus in plurali numero. Quod ſi, verbi gratia, eſſent τρεῖς μυριάδες μυριάδων, vertiſſem, ter millies centena millia Sed quia, quoties hic numerus ponendus ſit, certo non ſcribitur, ego ita verti, ne putaretur hic numerus ſemel dumtaxat ponendus: ſed hoc intelligeretur, illos Dei laudatores fuiſſe distributos in claſſes, quarum aliæ conſtarent ſingulæ ex millies centenis millibus, aliæ ex decies centenis millibus. Quot autem eſſent eæ claſſes, non additur. Atque hanc eamdem rationem intellige in Daniele, cap. 7.

CAP. VIII. v 3. *Vt ſanctorum omnium ſupplicationes, cet.*) ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς, opinor τὰς προσευχὰς legendum: et huius errati cauſſam fuiſſe, quod mox ſequitur, ταῖς προσευχαῖς, arbitrato ſcriba, idem vtrobique legendum eſſe.

4. *Suffimentorum ſupplicationum ſanctorum*) ταῖς προσευχαῖς. Hebraico more, pro τῶν προσευχῶν dictum eſt: de quo vide animaduerſa in Epiſtolam ad Coloſſenſes, cap. 2.

ADDITAMENTA.

IN II. LIB. ESDRAE, EX CAP. IIII.

12. *In quibus nobis accolebant*) In hebræo ſecunda perſona eſt: ſed et ſententia et vetus translatio cogit fateri, tertiam perſonam eſſe debere. Eſt autem alioqui multis in locis deprauatus hic liber: vt in cap. 3. vbi ſæpe pro Poſt eum, aut ſecundum eum legitur Poſt eos: et contra, vt idem Esd. 10. vbi in eo loco, quem nos ita vertimus, omnes feminas, et ex eis natos: pronomen Eis in hebræo eſt maſculini generis, quum debeat eſſe feminini. Itemque Nehem. 7. vbi idem repetitur, quod erat Esdræ 2. ſcriptum, numerus et hominum nomina ſæpe disſentiunt. Quod ideo dico, ne quis me putet, quum in eiusmodi locos inciderit, hæc non vidiſſe. Neque enim neceſſarium puto, omnia minima ſcribere; quum ea poſſint, ſi quis conferre velit, facile intelligi.

23. *Suum quisque telum dextera tenentes*) Et hic, vbi in hebræo legitur מינם legendum videtur ימינם: alioqui quoquo te vertas, abſurda erit ſententia.

IN SAPIENTIAM, EX CAP. XVII.

13. *Quum autem minus eſt intus exſpectatio, plura opinatur, cet.*) Hoc eſt, quum accidit inexſpectatum aliquid, animus, qui intus eſt, non poteſt ſeipſum ſubito colligere: ſed repentina re perculſus, metuit grauiora quam ſunt: quoniam ignorat, quæ cauſa ſit, quæ id malum adferat. Exempli gratia, ſi quis de improuiſo ſonitum audit bombardicum, terretur: quod eius animus non poteſt tam ſubito ratiocinari, nihil inde eſſe periculi, atque ita occurrere timori. At ſi idem prouiſum audit, non terretur: quippe ſubueniente ratione, et periculum abeſſe oſtendente. Eſt autem hic legendum διὰ τὴν ἄγνοιαν: vt ſit eadem ſententia, quæ ſupra poſita eſt, ἡγοῦντο χείρονα τὰ μὴ βλεπόμενα. Ita enim legendum eſſe, docet et ſententia, et latinus interpres vetus. Idem quod eſt paullo poſt, ἀπροσδόκητος φόβος ἐπῆλθεν.

HISTO-

HISTORIAE CONTINVATIO EX IOSEPHO.

AB ESDRA AD MACHABAEOS.

EX FLAVII IOSEPHI LIBRO IVDAICARVM ANTIQVITATVM VNDECIMO.

CAPVT VII.

Bagoſes iunioris Artaxerxis copiarum dux multis iniuriis Iudæos adficit.

MORTVO pontifice Eliaſibo, ſucceſſit in ſacerdotio Iudas, eius filius: item Iudæ Ioannes ipſius filius, propter quem Bagoſes dux copiarum Artaxerxis templum polluit, et tributum Iudæis impoſuit, vt priusquam quotidianas hoſtias libarent, in ſingulos agnos ex publico quinquaginta drachmas penderent: cuius rei cauſſa fuit hæc. Erat Ioanni frater nomine Ioſua: huic Bagoſes, ipſius amicus, promiſit ſeſe pontificatum præbiturum. Qua fiducia elatus Ioſua, cum Ioanne fratre ſuo in templo contendit, eumque adeo irritauit, vt ab eo per iracundiam occideretur. Erat atrox id Ioannis in fratrem ſcelus, præſertim quum ipſe ſacerdotio fungeretur: et eo atrocius, quod nec apud Græcos, nec apud Barbaros, vllum tam crudele, tamque impium facinus exſtat. Itaque Deus id non neglexit, quin eam ob cauſſam et populus in ſeruitutem redactus, et fanum a Perſis profanatum eſt. Nam ſimulac id Bagoſes intellexit, Iudæos adit, et eos cum iracundia ſic adloqui inſiſtit: Vos in veſtro templo auſi eſtis cædem facere. Conantem deinde in templum intrare quum illi prohiberent, ſic eos adloquitur: Quaſi vero ego non ſim purior, quam qui in templo occiſus eſt. His dictis, in templum ingreditur. Ac propter hanc Ioſuæ necem, Bagoſes Iudæos annos ſeptem infeſtauit.

Poſt Ioannis obitum Iaddus eius filius ſacerdotium excepit. Erat et huic frater Manaſſes, cui Sanaballetes, ab vltimo rege Dario miſſus in Samariam ſatrapa, natione Chutæus (ex qua natione orti ſunt etiam Samaritani,) videns præclaram vrbem eſſe Hieroſolymam, eiusque reges Aſſyriis, et Cœleſyriæ incolis multa negotia faceſſere, libenter locauit filiam ſuam nomine Nicaſo, ratus hoc connubium ſibi fore pignus ad totius Iudæorum gentis conciliandam beneuolentiam.

CAPVT VIII.

Quæ beneficia Alexander Macedonum rex contulerit in Iudæos.

PEr id tempus Philippus Macedonum rex Aegæis a Pauſania per dolum occiditur: et Alexander eius filius regnum adeptus, traiecto Helleſponto, Darii duces apud Granicum prœlio congreſſus ſuperat. Deinde Lydiam adgreſſus, Ioniaque ſubacta, et percurſa Caria, inuaſit in loca Pamphiliæ.

Iam vero ſenatores Hieroſolymitani, ægre ferentes Iaddi pontificis fra

 trem

ſtrans generum habere ſe Manaſſem Iaddi Iudæorum pontificis fratrem, multoſque alios eiusdem gentis homines ei adeſſe, qui iam velint fanum in Sanaballetæ ditione conſtruere: et quidem id regi vtile eſſe, in duo diuidi Iudæorum vires, ne ſi quando conſentiens et coniuncta gens rebellionem faceret, regibus negotium exhiberet, ſicut et antea feciſſet Aſſyriorum principibus. Igitur permittente Alexandro, Sanaballetes adhibita omni diligentia, templum ædificat, et Manaſſem ſacerdotem conſtituit, arbitratus, id decus fore maximum filiæ ſuæ natis. Deinde conſumtis in obſidione Tyri ſeptem menſibus, et in Gaza duobus, Sanaballetes moritur. Alexander vero expugnata Gaza, ad vrbem Hieroſolymam adſcendere contendit. Hoc audito pontifex Iaddus in anguſtia erat atque metu, ſollicitus, quonam pacto Macedonibus obuiam iret, irato rege propter ſuperiorem contumaciam. Itaque indictis populo ſupplicationibus, et cum eo rem diuinam Deo faciens, orat vt gentem tueri, et ab impendentibus periculis liberare velit. Deinde dormientem poſt ſacrificium monuit in ſomnis Deus, vt bono eſſet animo, vtque coronata vrbe portas aperirent, et alii in albis veſtibus, ipſe cum ſacerdotibus ornatus ad præſcriptum legis obuiam irent, nihil mali ſibi metuentes, prouidente Deo. Igitur excitatus ex ſomno, magnopere gauiſus eſt, et indicato cunctis eo oraculo, factisque omnibus, quæ ei in ſomnis mandata fuerant, regis aduentum præſtolabatur. Atque vbi eum non procul abeſſe ab vrbe intellexit, prodit vna cum ſacerdotibus, et ciuili turba, venerabili, et diuerſo ab aliis gentibus occurſu, in quemdam locum nomine Sapha, hoc eſt, ſpecula, quod inde Hieroſolyma, et templum conſpiciebatur. Quumque Phœnices, et Chaldæi, qui regem ſequebantur, fore putarent, vt rex præ iracundia vrbem eis diripiendam, et pontificem excarnificandum addiceret, contra accidit. Alexander enim procul adhuc conſpicatus multitudinem in albis veſtibus, et ſacerdotes præcedentes in byſſinis tunicis, et pontificem in hyacinthina veſte aurea, et in capite gerentem tiaram, et auream in ea laminam, in qua Dei nomen inſcriptum erat: ſolus acceſſit, et nomen veneratus eſt, priorque pontificem ſalutauit: et Iudæi omnes vna voce Alexandrum ſalutarunt, atque circumſteterunt. Quo facto, reges Syriæ reliquique obſtupuerunt, et regem mentis impotem eſſe, ſunt ſuſpicati.

Et Parmenio ſolus eum adgreſſus, quærit ex eo, qui factum ſit, vt omnibus eum adorantibus, ipſe Iudæorum pontificem adorarit? Cui ille: Non hunc, inquit, adoraui, ſed Deum, cuius ipſe ſummo ſacerdotio decoratus eſt. Hunc enim ſecundum quietem vidi in hoc habitu, quum eſſem in Dio in Macedonia, ac cogitantem me apud me ipſum, quonam pacto potiri poſſem A[illegible] hortatus eſt, ne cunctarer, ſed confidenter traiicerem: ſeſe enim exercitui meo præiturum, mihique Perſarum imperium traditurum. Itaque quum alium nullum in tali veſte viderim, et nunc conſpicatus hunc, et illius in quiete viſi, et cohortationis recordatus ſim, puto me diuino miſſu facta expeditione, Dario ſuperiorem fore, et Perſarum poteſtatem aboliturum, atque omnia quæ mihi ſunt in animo ſucceſſura. Hæc locutus, dataque pontifici dextera, ſacerdotibus eum curſu comitantibus, in vrbem venit, et in templum adſcendit, ac Deo ad ſacerdotis præſcriptum ſacrificauit, ipſumque pontificem magnifice honorauit. Ac oſtenſo ei Danielis libro, in quo fore ſignificabatur, vt Græcorum quidam Perſarum imperium aboleret, ipſe ſe eum eſſe qui ſignificaretur, exiſtimans, lætatus, tunc multitudinem dimiſit. Poſtridie eos aduocat, et quæ velint dona poſtulare iubet. Et pontifice petente, vt liceret patriis vti legibus, vtque ſeptimus an-

nus immunis eſſet, conceſſit omnia. Quumque illi ab eo petiiſſent, vt et eos, qui Babylone et in Media erant, Iudæos legibus ſuis vti ſineret, libenter promiſit facturum, quæ poſtularent. Deinde multitudini dixit, ſi qui ſub ſe militare vellent, patrios mores tenendo, et ſecundum eos viuendo, paratum eſſe ducere: itaque multi in eam expeditionem dederunt nomina. Igitur Alexander compoſitis in hunc modum Hieroſolymæ rebus, in proximas vrbes duxit exercitum. Atque omnibus, quos adiret, amice eum accipientibus, Samaritæ (qui tum Sicima regionis caput habebant, vrbem apud Garizin montem poſitam, et a deſertoribus Iudaicæ gentis habitatam) videntes, Iudæis ab Alexandro tam præclarum honorem habitum, ſtatuerunt, Iudæos ſe profiteri. Sunt enim Samaritæ eo ingenio, vt in Iudæorum rebus aduerſis negent, ſuos eſſe cognatos, in quo quidem verum dicunt. Sed ſi forte eos paullo lautius agere viderunt, continuo in eorum communionem inſiliunt, ſuos eſſe conſanguineos dicentes, genusque ſuum a Ioſephi natis, Ephraimo et Manaſſe deducentes. Igitur apparate et cum magna in eum ſtudii ſignificatione regi occurrunt prope Hieroſolymam: et laudante Alexandro, accedunt, adſumtis, quos Sanaballetes ad eum miſerat militibus: rogantque, vt ipſorum vrbem adeat, fanumque decoret. Ipſe vero ad eos iturum promittit, ſimulatque redierit. Ac poſtulantibus, ſibi anni ſeptimi tributa condonari, quippe quum nec ipſi eo anno ſementem facerent, quæſiuit, Quinam eſſent qui hæc peterent. Quumque dixiſſent, Hebræos ſe eſſe, vocari autem Sicimorum Sidonios: iterum interrogauit, an Iudæi eſſent? Negantibus, dixit: Atqui ego Iudæis hæc dedi: tamen quum rediero, et hæc a vobis accuratius cognouero, faciam quæ viſum fuerit. Quod ad Sanaballetæ milites attinet, iuſſit, vt ſe in Aegyptum ſequerentur: illic enim agros eis diuiſurum: id quod paullo poſt fecit in Thebaide, vbi eis regionem tuendam mandauit. Alexandro vita defuncto, imperium inter ſucceſſores diuiſum eſt, et montis Garizin fanum manſit. Quod ſi quis Hieroſolymæ reus agebatur comeſi profani cibi, aut violati ſabbati, aut alicuius talis peccati, is ad Sicimitas confugiebat, ſeque iniuſte accuſatum dicebat. Per id tempus mortuus erat pontifex Iaddus, eique in pontificatu ſucceſſerat Onias eius filius.

IOSEPHI ANTIQVITATVM IVDAICARVM LIBER DVODECIMVS.

CAPVT I.

Ptolemæus Lagi filius, Hieroſolymis et Iudæa dolo occupatis, multos inde deportat in Aegyptum.

IGitur Alexander Macedonum rex, ſubacto Perſarum imperio, et conſtitutis (vt iam dictum eſt) Iudææ rebus, vitam finiit: ac diſtracto in multos imperio, Antigonus Aſia potitur: Seleucus Babylone, et illius tractus nationibus. Lyſimachus Helleſpontum obtinuit. Macedoniam occupauit Caſſander. Aegyptum tenuit Ptolemæus Lagi filius. Hi dum inter ſeſe diſſident, et de imperio contendunt, fiebat, vt continua longaque bella gererentur, vrbesque adfligerentur, et multos ciuium in certaminibus amitterent, adeo vt omnis Syria a Ptolemæo Lagi filio (qui tum Soter, hoc eſt Seruator, appellabatur) longe aliter adficeretur, quam eius nomine dignum

gnum eſſet. Is etiam Hieroſolymam per fraudem et proditionem occupauit. Ingreſſus enim Sabbato in vrbem per ſpeciem ſacrificandi, ne prohibentibus quidem Iudæis (neque enim hoſtem eſſe putabant: et tum quia nihil mali ſuſpicabantur, tum propter diem, otium agebant) vrbe nullo labore potitus eſt, eamque tractauit inclementer. Cepit et multos captiuos tum ex Iudææ montanis et finitimis Hieroſolymæ locis, tum ex Samaria et Garizin, quos omnes in Aegyptum transtulit. Quumque Hieroſolymitanos iuriſiurandi fideique ſeruantiſſimos ex iis intelligeret, quæ Alexandri legatis poſt victum ab eo Darium reſponderant, multos eorum in præſidiis diſpoſuit, et Alexandriæ ciues Macedonibus pares fecit, ac ſacramento adſtrinxit, ſeruaturos fidem poſteris eius, qui ipſis mandaſſet eam prouinciam. Non pauci præterea reliquorum Iudæorum in Aegyptum ſua ſponte profecti ſunt, adlecti partim bonitate ſoli, partim Ptolemæi liberalitate. Sed inter eorum poſteros et Samaritas inſtituta patria retinere ſtudentes, exſiſtebant contentiones, iique inter ſeſe decertabant, dum Hieroſolymitani ſuum templum ſanctum eſſe contendunt, et victimas eo mitti volunt: Samaritæ contra, in montem Garizin.

CAPVT II.

Ptolemæus Philadelphus Iudaicas leges græce transferendas curat, multosque captiuos manumittit, et multa donaria Deo mittit.

POſtea Aegypti regnum adeptus Philadelphus, (quod quidem tenuit annos vndequadraginta) legem curauit transferendam, et ſeruientes in Aegypto Hieroſolymitanos ſeruitute liberauit, qui fuerunt centum viginti millia, ob huiusmodi cauſſam. Demetrius Phalereus, regiarum librariarum præfectus, conabatur, ſi fieri poſſet, omnes totius orbis libros colligere. Ac quærente aliquando Ptolemæo, quot iam librorum millia collecta haberet? reſpondit, eſſe iam circiter ducenta millia, et breui congeſturum ad quingenta: Præterea ſibi indicatum, multos eſſe apud Iudæos de ipſorum inſtitutis libros, ſtudio dignos, et bibliotheca regia. Sed eſſe illorum litteris et ſermone ſcriptos: ideoque multum laboris exhibituros, ſi transferantur in græcam linguam. Videtur enim, inquit, eorum ſcriptura plane ſimilis eſſe Syrorum ſcripturæ, vocemque reddere conſimilem, ſed eſt ſui generis. Itaque nihil obſtat, quo minus eos transferendos cures (polles enim opibus) et in bibliotheca habeas. Igitur rex Demetrium ſibi optime conſulere exiſtimans, Iudæorum pontifici ſcribit, vt hæc fiant. Erat quidam Ariſtæus, regi in primis amicus atque gratus ob modeſtiam.

Is ſæpe antea regem orare ſtatuerat, vt Iudæos, quicumque in eius regno eſſent, manumitteret: atque id ſibi idoneum ad ea poſtulata tempus arbitratus, primum ea de re agit cum ſatellitum præfectis Soſibio Tarentino, et Andrea, poſtulans, vt ſe in eis quæ ſit a rege poſtulaturus, adiuuent: ac accepta eorum ſententia, regem adit, et cum eo agit in hunc modum.

Non decet committere nos, o rex, vt decipiamur, ſed verum patefacere. Quum igitur hoc agamus, vt Iudæorum leges in tuam gratiam non ſolum transſcribantur, verum etiam vertantur, quanam ratione hoc facere poſſimus, quum multi Iudæi ſeruiant in regno tuo? quod ſi rem tua magnificentia et bonitate dignam facere vis, libera eos calamitate:

 quan-

quandoquidem qui Deus eis leges tulit, is eſt, qui tuum regnum regit, quantum ego quidem quærendo comperi.

Conditorem enim vniuerſitatis Deum et ipſi et nos colimus, Zena (hoc eſt, Iouem) græco ſermone vocantes, indito a viuendo nomine, quod is vitam conferat omnibus. Quapropter ad honorem Dei, iis, qui Deum præcipua religione venerantur, redde patriam, vt eis in natali ſolo vitam agere liceat. Illud quidem ſcito, rex, me nec genere eis, nec natione propinquum, hæc pro eis poſtulare. Sed quum omnes homines Dei ſint opificium, et ſciam eum benefacientibus delectari, ad benefaciendum te cohortor. Hæc locutum Ariſtæum, rex hilari lætoque vultu intuitus: Quotnam, inquit, millia putas eſſe eorum, qui manumittendi ſint? Quumque Andreas, qui aderat, ſubieciſſet, paullo plura eſſe, quam centum decem millia; An vero paruum a nobis, inquit rex, Ariſtæe donum poſtulas? Quumque Soſibius, et qui aderant, dixiſſent debere eum dignam ſua magnificentia gratiam Deo rependere, qui ei regnum conciliaſſet, titillatus ab eis rex, iuſſit, vt cum militibus ſtipendia ſoluerent, etiam pro captiuis, qui apud eos eſſent, penderent in ſingula capita drachmas centum viginti. Ac de Ariſtæi poſtulatis promiſit libellos, ſe magnifice ſcriptos propoſiturum, quibus Ariſtæi propoſitum, et ante id Dei voluntas confirmaretur; ex qua non ſolum ductos a patre ſuo, et eius exercitu liberaturum ſe dixit, ſed etiam eos qui ante erant in regno, et ſi qui poſtea fuerant adducti. Et quum eam liberationem dicerent plusquam quadraginta talenta poſcere, conceſſit. Erat autem mandatum huiusmodi. Quicumque ſub patre noſtro militantes, Syriam et Phœnicen incurſarunt, peruaſtataque Iudæa mancipia inde in vrbes, regionemque noſtram deportarunt ac vendiderunt; itemque qui ante eos erant in meo regno, et ſi qui nunc adducti ſunt, hos manumittunto, qui penes ſeſe habent, accipientes pro ſingulis capitibus drachmas centum viginti, videlicet milites vna cum ſtipendiis: reliqui autem a menſa regis. Arbitror enim eos contra patris voluntatem, contraque æquitatem, captiuos eſſe factos, eorumque terram licentia militari afflictam, et ex eorum in Aegyptum translatione magnam vtilitatem partam eſſe militibus. Quapropter iuſtitiæ rationem habens, et eorum miſericordiam capiens, qui inique opprimuntur, impero iis, qui Iudæos habent in ſuo ſeruitio, vt eos manumittant pro præſcripta ſumma: neue quisquam in hac re dolo malo agat, ſed imperatis obediat. Volo autem hoc edictum, ex quo adlatum erit, in triduum proponi, vt legi poſſit ab eorum generis hominibus, eisque ſimul etiam corpora oſtendi: hoc enim etiam e re mea eſſe duco. Quod ſi qui dicto audientes non fuerint, eorum nomina qui volet deferto, eorumque bona in fiſcum referuntor. Hoc facto, regis iuſſa ſeptem non amplius diebus peracta ſunt, impenſis in eam liberationem talentis plus quadringentis ſexaginta. Nam etiam pro paruulis exigebant domini centenas vicenas drachmas, tamquam rege etiam eorum nomine ſolui iubente, dum ſcripſiſſet accipiendum pro ſingulis capitibus, quod dictum eſt. Deinde iuſſit rex, vt de his ſcriberetur Eleazaro Iudæorum pontifici, eique ſimul manumiſſio declararetur ſeruientium in Aegypto Iudæorum. Itemque ad faciendos crateres et phialas et calices, miſit auri talenta quinquaginta, et gemmarum inæſtimabilem multitudinem; iuſſitque cuſtodes capſarum, in quibus erant gemmæ, artificibus permittere electionem cuiuscumque vellent generis. Mandauit etiam, pecuniæ ad ſacrificia, et reliquo

liquos vſus in templum vsque ad centum talenta erogari. Exponam autem opera, ſi prius exemplar adduxero ſcriptarum ad Eleazarum pontificem litterarum, qui id munus adeptus erat, ob cauſſam quam iam dicam. Defuncto Oniæ pontifici filius eius Simon ſucceſſit, is qui Iuſtus cognominatus eſt, tum propter pietatem in Deum, tum propter beneuolum in ciues animum. Eo mortuo, ſuperſtite ei filio Onia nomine, eius frater Eleazarus, de quo loquimur, eum honorem adeptus eſt, cui ſcripſit Ptolemæus in hunc modum.

REX PTOLEMAEVS ELEAZARO PONTIFICI SALVTEM.

Quum multi in regno meo habitarent Iudæi, quos a Perſis, dum imperium tenebant, captos, meus pater honorauit, et partim ad militiam maioribus ſtipendiis deſtinauit, partim videlicet iis, qui cum eo venerant in Aegyptum, caſtellorum cuſtodiam adſignauit, vt eſſent Aegyptiis terrori; ego principatum adeptus, quum omnes humane tractaui, tum maxime ciues tuos, quorum ſupra centum millia captiuorum in libertatem vindicaui, ſoluto de meis facultatibus pretio dominis eorum: et qui per ætatem arma ferre poſſent, in militiam adlegi. Nonnullos etiam, quorum fides id mereri videbatur, in aulicos meos cooptaui, cogitans gratum Deo pro eius de me cura donarium hoc, et maximum a me oblatum iri. Atque vt tum his, tum omnibus toto orbe Iudæis gratum faciam, ſtatui legem veſtram de hebræo in græcum traducere, et in mea libraria reponere. Quare recte facies, ſi delectos viros bonos, ex vnaquaque tribu ſex, iam ætate prouectos, ad me miſeris, qui et per ætatem legum ſint periti, et eas accurate poſſint interpretari. Sic enim exiſtimo, his perfectis maxima nos gloria adfectum iri. Miſi autem collocuturos hisce de rebus tecum, Andream ſatellitum præfectum, et Ariſtæum, homines magnæ apud me exiſtimationis, per quos etiam donariorum primitias ad templum, et ſacrificiorum, reliquorumque miſi, argenti talenta centum. Et tu ſi nobis, quæ voles, ſcripſeris, rem gratam feceris. His regis litteris ad Eleazarum perlatis, reſcripſit quam fieri potuit amiciſſime, eique ſeptuaginta ſeniores vna cum lege miſit, et, vt poſtquam eam transſcripſiſſet, tuto remitteret, poſtulauit. Quod ad menſam attinet, cuius ſuperius facta mentio eſt, ea et materia et opere ita excellens fuit, vt nihil ſupra. Dederat enim operam rex, vt ſi magnitudine eam excedere non deberet, quæ ante Deo erat appoſita, arte quidem et operis nouitate elegantiaque longe ſuperaret. Crateres quoque et phialæ ea amplitudine atque arte factæ ſunt, vt nihil deſiderari poſſe videretur. Nam non ſolum artifices (qui erant artis ſuæ peritiſſimi) ad eam rem induſtriam ſuam adhibuerunt, ſed etiam rex ipſe labore ſtudioque ſuo negotium non parum adiuuit. Etenim non ſolum ſumtus ad artifices large ſuppeditabat, verum etiam omiſſa publicorum negotiorum adminiſtratione, ipſe operi faciundo præſens aderat, totumque opus inſpiciebat; quæ quidem regis præſentia et diligentia, opificum diligentiam acuebat. Talia donaria miſit Ptolemæus Hieroſolymam ad templum, eaque Pontifex Eleazarus in templo collocauit, et nuntios honorauit, eisque dona regi ferenda tradidit, et eos ad regem remiſit. Poſtquam ii Alexandriam peruenerunt, Ptolemæus intellecto eorum et ſeptuaginta ſenatorum aduentu, protinus legatos Andræam et Ariſtæum curat accerſendos. Qui vbi ad eum peruenerunt, litteras ei, quas a pontifice adferebant, tradiderunt: et omnia, de quibus eos verbis interrogauit, declararunt. Ipſe

cupiens ſenatores adloqui, Hieroſolymis ob legum interpretationem venientes, reliquos, qui ob negotia aderant, dimitti iuſſit: id quod contra eius conſuetudinem factum eſt. Qui enim ob huiusmodi cauſſas adducebantur, quinto demum die eum conueniebant: legati vero poſt vnum menſem. Tunc igitur dimiſſis aliis, miſſos ab Eleazaro exſpectauit. Atque vbi ſeniores illi aduenerunt, dona ſecum ſibi a pontifice ad regem tradita, et tabulas, in quibus ſcriptas aureis litteris leges habebant, ferentes, interrogauit eos de iis libris. Quumque eos illi detractis tegumentis ei oſtendiſſent, admiratus eſt diutius membranarum tenuitatem, et indiſcretam conglutinationem atque compactionem. Deinde gratias egit eis, qui veniſſent: et maiores ei, qui miſiſſet: ſed longe maximas Deo, cuius eſſent leges. Hic quum ſeniores, et qui vna aderant, regi vno clamore fauſta comprecati eſſent, tanta perfuſus eſt lætitia, vt lacrimas emiſerit. Deinde iuſſit libros iis tradi, quorum id munus erat: ac tum homines complexus eſt, dixitque æquum eſſe, vt prius de iis rebus verba faceret, propter quas eos arcerſiuiſſet, quam alios adloqueretur. Diem quidem eorum aduentus promiſit ſeſe inſignem facturum, et per omnem vitam celebraturum. Nam ſors ita tulit, vt idem dies eſſet eorum aduentus, et victoriæ, quam ipſe de Antigono prœlio nauali reportarat. Igitur eos ſibi conuiuas eſſe iuſſit, eisque pulcherrima hoſpitia ſub ipſa arce dari. Et Nicanor (qui excipiendis hoſpitibus præerat) vocato Dorotheo, qui earum rerum procurationem habebat, iuſſit, vt cuique pararet, quæ ad victum pertinerent. Erat autem ea res a rege in hunc modum conſtituta. Secundum vnamquamque ciuitatum, quæ non eadem victus ratione vtebantur, erat, qui hæc adminiſtraret, et hoſpitibus omnia ad ipſorum morem paranda curaret, vt conſueta victus ratione epulantes, magis delectarentur, nec vlla re tamquam aliena offenderentur. Quod quidem tum illis quoque ſenioribus factum eſt, Dorotheo propter rerum peritiam his rebus præfecto. Is per ſeipſum omnia ad illos accipiendos parauit, geminamque accubationem fecit iuſſu regis. Imperauit enim rex dimidiam eorum partem in ſua menſa vna ex parte collocari, alteram partem in altera menſa poſt ſuam, nihil omittens, quod ad eorum honorem pertineret. Poſtquam ita diſcubuerunt, mandat Dorotheo, vt quo ritu vterentur omnes, qui ad eum ex Iudæa veniſſent, eodem iis miniſtraret. Itaque ſacros præcones, et ſacrificos, et alios quibus preces peragere mos erat, repudiauit rex: et hoſpitum vnum nomine Eliſæum, ſacerdotem, rogauit, vt preces ageret. Atque is ſtans in medio, regi, eiusque ſubditis fauſta precatus eſt. Deinde omnes cum lætitia applauſerunt atque acclamarunt: et eo facto, ad epulas ſe conuerterunt. Et rex interpoſita mora, quantam ſatis eſſe iudicabat, philoſophari cœpit, et ſingulis quæſtionem aliquam proponere naturalem, et ad propoſitum pertinentem. Quumque accurate de quauis re, quæ eis proponeretur, diſſererent, delectatus eo rex, id conuiuium duodecim dies perpetuauit, dixitque ſeſe iam ex eorum aduentu maxima bona percepiſſe, quippe qui ab eis didiciſſet regis officium: iuſſitque ſingulis tria talenta dari, et eos in hoſpitium deduci. Deinde tribus peractis diebus, Demetrius ducit eos in ſemotam quamdam domum, poſitam in litore, et ad eam rem idoneam: et eis ibi congregatis, rogat, vt poſtquam omnia, quibus ad legum interpretationem opus eſſet, ad arbitrium ſuum haberent, negotium expedirent. Illi tranſlationem ſummo ſtudio adgreſſi, in ea ad horam diei nonam elaborabant: deinde corpori curando ſe dabant, iis, quæ ad victum pertinerent, large ſuppetentibus. Nam præter quotidianum demenſum, quod eis abunde miniſtrabatur, Dorotheus eis multa ex regis

Digitized by Google

regis culina, ipſius regis iuſſu, adferebat. Mane regem ſalutatum ibant: deinde eumdem locum repetebant: et lotis in mari manibus luſtrati, ita demum ad legum interpretationem ſeſe conferebant. Deinde transſcripta lege, et interpretationis opere duobus et ſeptuaginta diebus abſoluto, Demetrius congregatis eum in locum, in quo verſæ leges fuerant, Iudæis omnibus, præſentibus etiam interpretibus, eas recitauit. Et multitudo interpretes legis approbauit: et Demetrii etiam inuentionem collaudarunt, qui eis magnorum bonorum inuentor exſtitiſſet: ab eoque petierunt, vt etiam rectoribus ſuis legem daret legendam: poſtularuntque omnes, tum ſacerdos, tum interpretum ſeniores, et reipublicæ adminiſtratores, vt quandoquidem recte haberet interpretatio, maneret vt erat, neue immutaretur. Quumque omnes eorum ſententiam laudaſſent, iuſſerunt, vt ſi quis in lege vel ſuperfluum aliquid ſcriptum videret, vel curtum, id iterum inſpiceret, planumque faceret et corrigeret, vt quod ſemel rectum iudicatum eſſet, id perpetuo maneret. Qua quidem re gauiſus eſt rex videns inſtitutum ſuum vtiliter perfectum: et maxime lætatus eſt recitatis ei legibus et legiſlatoribus mentem atque ſapientiam ſtupuit. Itaque cum Demetrio verba facere cœpit, qui fieret, vt quum tam admirabilis eſſet ea lex, nullus nec hiſtoricorum nec poetarum eius meminiſſet? Ad quod Demetrius reſpondit, propterea neminem auſum eam attingere, quod diuina eſſet et auguſta: iamque nonnullos, quoniam tale aliquid attentaſſent, læſos fuiſſe diuinitus. Eique demonſtrauit, vt Theopompus, quum horum aliquid ſcribere inſtituiſſet, mentem plus quam triginta dies perturbatam habuiſſet: itaque intermittente malo, Deum precibus placaſſet, inde ſibi inſaniam ortam eſſe ſuſpicatus. Quinetiam in ſomnio vidiſſet id ſibi propterea eueniſſe, quod diuina tractaſſet, et in profanum vulgus proferre voluiſſet. Itaque quum deſtitiſſet, mentem ei conſtitiſſe. Narrauit etiam ei de Theodecte tragico poeta, qui (vt perhiberetur) quum voluiſſet in quadam fabula mentionem facere eorum, quæ in ſacro libro ſcripta forent, in oculorum morbum, quem glaucoma vocant, incidiſſet: et intellecta cauſſa, conualuiſſet propitiato Deo. Igitur rex iis acceptis a Demetrio, libros veneratus, iuſſit diligentem curam haberi, vt in integro manerent: hortatusque eſt interpretes, vt ad ſe frequenter ex Iudæa venirent: id enim eis vtile futurum, tum propter honorem, quo eos adfecturus, tum propter dona, quibus ornaturus eſſet. Nunc quidem æquum eſſe, vt eos dimitteret: verum ſi deinceps ad ſe ſua ſponte venirent, adſecuturos omnia, quæ et ipſorum ſapientiæ deberentur, et a liberalitate ſua præſtari poſſent. Igitur eos tum dimiſit, quum quidem vnicuique tres egregias veſtes, et auri talenta duo dediſſet, et calicem vnius talenti, et tori veſtem ſtragulam. Hæc ipſis dono dedit. Pontifici autem Eleazaro per eos miſit decem lectos argenteis pedibus, vna cum eorum inſtrumento, et calicem talentorum triginta. Præterea veſtes decem purpureas, et elegantem coronam, et byſſinæ telæ vlnas centum, et inſuper phialas, et catinos, et pocula, et crateres duos, in templo reponendos. Hortatus eſt etiam eum per litteras, vt ſi qui illorum hominum ad ſe venire vellent, permitteret. Hoc honore Iudæos adfecit Ptolemæus Philadelphus.

CAPVT

CAPVT III.

Vt Iudæorum gentem honore adſecerint reges Aſiæ, et conditarum a ſe vrbium ciuitate donauerint.

COnſecuti ſunt et ab Aſiæ regibus honorem, quoniam ſub eis militasſent. Etenim Seleucus Nicanor, in iis vrbibus, quas condidit in Aſia et interiore Syria, et in ipſo regni capite Antiochia, eos ciuitate donauit, et eodem, quo Macedones et Græcos, numero habuit: quo iure etiamnum vtuntur. Argumento eſt, quod Iudæis nolentibus alieno oleo vti, certa pecunia ſoluitur a gymnaſiorum præfectis, ad oleum comparandum. Quem morem quum Antiochenſis populus proximo bello abrogare conaretur, Mucianus (qui tum Syriæ prætor erat) tamen retinuit. Et poſtea imperante Veſpaſiano, et Tito eius filio, orantes Alexandrini et Antiochenſes, vt Iudæi priuarentur iure ciuitatis, non impetrarunt. Idem fecit et Marcus Agrippa. Nam commoti Iones aduerſus Iudæos Agrippam orarunt, vt ciuitate, quam eis dederat Antiochus Seleuci nepos, is qui apud Græcos Deus appellatur, ſoli fruerentur: poſtularuntque, vt ſi Iudæi eorum eſſent cognati, eoſdem cum ipſis deos colerent. Ac conſtituto ea de re iudicio, obtinuerunt Iudæi, vt ſibi ſolitis moribus vti liceret: vſi patrocinio Nicolai Damaſceni. Agrippa enim pronuntiauit, nihil ſibi innouare fas eſſe. Sed vt ad propoſitum reuertar, regnante in Aſia Antiocho Magno, accidit vt tum Iudæi, tum qui Cœleſyriam incolebant, multa aduerſa paterentur. Eo enim belligerante cum Ptolemæo Eupatore, et cum eius filio Ptolemæo Epiphane, ſiue is ſuperior erat, ſiue inferior, ipſi, qui in medio iacebant, ſemper adfligebantur, non ſecus ac nauis duabus vexata tempeſtatibus. Tamen victo Ptolemæo, Antiochus Iudæam occupauit. Deinde mortuo Philopatore, eius filius magnam manum, et ducem Scopam miſit in Cœleſyriæ incolas: qui multas eorum vrbes, nec non gentem noſtram cepit: oppugnata enim, in eius partes conceſſit. Non multo poſt, Scopam prœlio vicit Antiochus, ad fontes Iordanis, magnamque eius copiarum partem deleuit. Poſtea quum Antiochus eas Cœleſyriæ vrbes, quas Scopas obtinuerat Samariamque ſubegiſſet, Iudæi vltro deditionem fecerunt, eumque vrbe admiſerunt, et eius omni exercitui et elephantis omnia abunde ſuppeditarunt, et relictos a Scopa in arce hieroſolymitana præſidiarios oppugnantem ſtrenue adiuuerunt. Itaque Antiochus æquum eſſe iudicans, vt Iudæorum erga ſe ſtudium remuneraretur, litteras ſcripſit ad ſuos duces et amicos, quarum exemplar infra poſitum eſt.

REX ANTIOCHVS PTOLEMAEO SALVTEM.

Quum Iudæi, ſimulac in eorum fines ingreſſi ſumus, ſtudium erga nos ſuum declarauerint, et in vrbem ſuam venientes ſplendide acceperint, cumque Senatu obuiam prodierint, et militibus elephantiſque omnia abunde præbuerint, noſque in expugnando Iudæorum in arce præſidio adiuuerint: viſum eſt nobis eos pro his remunerari, et eorum vrbem caſibus labefactatam, recreare atque frequentare, reuocatis in eam iis, qui ſunt diſperſi. Ac primum eis decreuimus, religionis cauſſa præbenda conficere ad ſacrificia, videlicet ad comparandas hoſtias, et vinum, et oleum, et tus, argenti viginti millia, et ſiliginis ſacras artabas ex gentis conſuetudine: frumenti medimnos mille quadringentos ſexaginta, et ſalis medimnos trecentos ſexagintaquinque. Atque hæc eis ſolui volo, quemadmodum imperaui: tem-

templique opus expediri, et porticus, et ſi quid aliud ædificandum eſt. Materia autem apportetur ex ipſa Iudæa, aliiſque regionibus, et Libano, nec vllum eius nomine vectigal exigatur. Idem dico de aliis, quibus ad ſpecioſiorem templi apparatum opus erit. Viuant autem omnes eius nationis homines ex legibus patriis: immuniſque ſit ſenatus, et ſacerdotes, et ſcribæ templi, et ſacri cantores, ab eo quod pro capite pendunt, et ab auro coronario, aliiſque tributis. Ac quo citius frequentetur vrbs, concedo iis, qui nunc eam habitant, quique intra vltimum anni menſem eo migrauerint, immunitatem in triennium: et in poſterum tertiam tributorum partem eis remittimus, ad eorum damnum reſarciendum. Et quotquot ex vrbe abrepti ſeruiunt, et ipſos et eorum natos manumittimus, et facultates eis reddi imperamus.

Hoc erat litterarum exemplar. Item in honorem templi libellos toto regno publicauit, qui hæc continerent: Nemini liceat alienigenæ, intra templi conſeptum ingredi, quemadmodum Iudæis interdictum eſt, niſi quibus luſtratis mos eſt ex lege patria. Neue in vrbem importetur equina caro, neue mulina, neue aſini, ſiue feri, ſiue cicuris: neue pardalina, aut vulpina, aut leporina, aut cuiuſuis omnino eorum animalium quæ Iudæis vetita ſunt. Neue pelles inferre liceat, ſed nec vllum tale animal in vrbe alere: ſed ſolis maiorum ſacrificiis vti liceat, quibus placari Deus debeat. Qui contra aliquid horum fecerit, ſoluito ſacerdotibus argenti drachmarum tria millia. Scripſit et ad Zeuxim ducem, amicumque ſuum intimum, de Iudæis, in hunc modum.

REX ANTIOCHVS ZEVXIDI PATRI SALVTEM.

Quum intelligerem in Lydia et Phrygia tumultuari, magnopere mihi proſpiciendum curaui: ac conſultandi mihi cum amicis, quid facto ſit opus, viſum eſt in caſtella et loca maxime neceſſaria transferre ex Meſopotamia et Babylonia, Iudæorum bis mille familias, cum eorum ſupellectili. Credo enim noſtrarum rerum cuſtodes fore beneuolos, tum propter eorum erga Deum pietatem: tum quia noui, eis a maioribus noſtris teſtimonium datum fidei, et promti obſequii, in eis ad quæ rogantur. Itaque quamuis eos traducere laborioſum ſit, tamen quia promiſi, volo eos vti ſuis legibus. Quum autem eos in ea quæ dixi loca transtuleris, dabis ſingulis ad ædificandas domos locum, et agrum ad agriculturam, vinearumque ſationem, et immunitatem frugum terræ concedes in annos decem: ac donec terræ fruges perceperint, demenſum frumentum accipiant in famulorum alimoniam: deturque iis, qui eis inſeruient, quantum opus erit, vt benigne a nobis habiti, ſtudioſiores ſe rerum noſtrarum præbeant. Da operam, quoad eius fieri poteſt, vt ei genti a nemine incommodetur. Hactenus de amicitia, quæ Antiocho magno cum Iudæis interceſſit. Poſtea amicitiam et fœdus cum Ptolemæo fecit Antiochus: eique filiam ſuam Cleopatram nuptum locauit, et Cœleſyriam et Samariam et Iudæam et Phœnicen dotis nomine tribuit: ac diuiſis in duos reges tributis, optimates ſuæ quiſque patriæ tributa redimebant: et redactam, quæ imperata erat, ſummam regibus pendebant. Eo tempore Samaritæ, rebus ſuis ſecundis, multos Iudæos læſerunt, agros eorum vaſtando, et corpora prædando: quæ quidem Onia pontifice acciderunt, Eleazaro enim vita defuncto, ſucceſſit in pontificatum Manaſſes eius auunculus: poſt cuius deceſſum, munus excepit Onias Simonis filius, eius cui Iuſto cognomen fuit, qui Simon frater erat Eleazari, ſicuti iam dixi.

dixi. Hic Onias ſordidi animi homo, et pecuniæ cupidus erat: eamque ob rem tributum pro populo non ſoluit, quod eius maiores regibus de ſuo pendere ſoliti erant, videlicet argenti talenta viginti: quæ res exacerbauit regem Ptolemæum Euergetem, qui pater erat Philopatoris. Itaque miſſo Hieroſolymam legato, incuſauit Oniam, qui tributa non ſolueret, minatusque eſt, ſeſe eorum agrum diuiſurum, niſi ſoluerentur, et eo militum coloniam deducturum. Qua re audita, Iudæi territi ſunt: ſed Onias, qua erat auaritia, hæc pro nihilo habuit.

CAPVT IIII.

Ioſephus Tobiæ filius ei malo medetur, inita cum Ptolemæo Epiphane amicitia.

ERat Ioſephus quidam, ætate iuuenis ille quidem, ſed grauitate et prudentia et iuſtitia apud Hieroſolymitas celebris, patre Tobia natus, ex ſorore Oniæ pontificis. Hic Ioſephus, quum a matre didiciſſet aduentum legati (aberat enim tum in quodam pago nomine Phicola, ex quo erat ipſe) profectus in vrbem Oniam obiurgat, qui ciuium ſalutis rationem non haberet, ſed genti periculum creare vellet, pecuniam auertendo, propter quam et populi adminiſtrationem, et ſummi ſacerdotii honorem adeptus eſſet. Quod ſi pecuniæ adeo cupidus erat, adiret regem, et ſibi vel totam, vel certe partem condonari poſtularet. Ad hæc Onias reſpondit, ſe neque principatum velle: et ſi fieri poſſit, paratum eſſe ſacerdotium deponere: ad regem quidem non iturum, hæc enim ſeſe omnino non curare. Tum Ioſephus rogauit, vtrum ſibi permitteret legationem publicam ad Ptolemæum ſuſcipere? atque illo permittente, populum conſolatur, ſeque legatum ad regem iturum oſtendit. Deinde Ptolemæi legatum hoſpitio accipit et magnis muneribus donatum, multorumque dierum conuiuiis honoratum, præmittit ad regem: ſeque ſubſecuturum dicit. Nam regem conuenire eo magis auebat, quod legatus eum ad eundum in Aegyptum inuitauerat, ſeque ei quæcumque a Ptolemæo poſtulaſſet, impetraturum promiſerat: quippe Ioſephi liberalitate et grauitate magnopere delectatus. Igitur vbi venit legatus in Aegyptum, Oniæ ſordes regi commemorat, et Ioſephi bonitatem oſtendit, venturumque dicit ad eum ad populi culpam deprecandam, quippe populi gubernatorem. Breuiter iuuenem tantis laudibus extulit, vt et regis, et eius vxoris Cleopatræ beneuolentiam nondum præſenti conciliauerit. Et Ioſephus miſſis in Samariam, qui pecuniam ab amicis mutuarentur, paratiſque iis, quæ ad iter pertinerent, et veſtibus populiſque et iumentis comparatis, quæ ſumma efficiebatur viginti millium drachmarum, in Alexandriam proficiſcitur. Accidit eo tempore, vt ex vrbibus Syriæ et Phœnices primarii homines ad vectigalium auctionem proficiſcerentur, quæ rex quotannis cuiusque vrbis potentiſſimis vendebat. Hi videntes in via Ioſephum, deridebant ob paupertatem atque inopiam. Qui poſtquam Alexandriam peruenit, et regem Memphi eſſe audiuit, adſcendit ei obuiam. Sedebat autem rex in curru cum vxore, et Athenione amico ſuo, eo qui Hieroſolymam legatus iuerat. Is Athenio ſimulac Ioſephum vidit, regi indicauit: et Ptolemæus Ioſephum prior ſalutauit, et vt in currum adſcenderet hortatus eſt. Deinde ſedente Ioſepho, cœpit de Oniæ facto expoſtulare. Sed Ioſephus: Da veniam, inquit, eius ſenectuti. Neque enim te præterit, ſenum et infantium eamdem eſſe mentem. Sed a nobis iuuenibus omnia conſequeris, ita vt nihil

hil

hil conquereris. Hac iuuenis venuſtate et vrbanitate delectatus rex, eum magis amare cœpit, adeo vt eum in regia degere iuſſerit, et quotidianum conuiuam habuerit. Deinde poſtquam Alexandriam rex venit, videntes primi Syriæ ſedentem cum eo Ioſephum, grauiter ferebant. Poſt vbi dies venit auctionis vectigalium, qui in ſuis patriis dignitate præſtabant, licebantur: quumque vectigalia Cœleſyriæ et Phœnices et Iudææ cum Samaria ad octo millia talentorum excreſcerent, acceſſit Ioſephus, et licitatores criminatus eſt, tamquam ex compoſito paruo licitarentur: ipſe duplum daturum ſe pollicetur, eique bona miſſurum eorum qui in eius domum peccauiſſent: nam et hoc vna cum vectigalibus vendebatur. Id rex libenter audiuit: ſeque ei vectigalia addicturum dixit: ſimulque rogauit, vtrum ſponſores dare poſſet. Ego vero (reſpondit ille feſtiue) et quidem bonos et honeſtos homines, quibus non diffidetis. Quos tandem? Teipſum, inquit, o rex, coniugemque tuam pro vtraque parte ſponſuros tibi do. Hic ſubridens Ptolemæus, ei vectigalia ſine fideiuſſoribus addixit: quam rem grauiſſime tulerunt alii, domumque non ſine pudore redierunt. Ipſe ſumtis a rege duobus peditum millibus, vt ſi qui contemnerent, cogere poſſet: et mutuatus Alexandriæ a regis amicis quingenta talenta, in Syriam contendit. Vbi Aſcalonem venit, tributa exigit, atque eis non modo nihil ſoluere volentibus, ſed etiam ei conuiciantibus, comprehendit eorum primarios circiter viginti, eosque interficit: et redacta ex eorum facultatibus pecunia, ad mille talenta regi mittit, eique negotium demonſtrat. Itaque Ptolemæus admiratus eius animum, approbatoque facto, ei quæ velit faciendi poteſtatem permittit. Hoc audito, perterriti Syri, Ioſepho libenter portas aperiebant, et vectigalia ſoluebant. Idem fecit et Scythopolitis, quod Aſcalonitis. Atque vbi ex vectigalibus grandem pecuniam collegit, vt eam potentiam retinere poſſet, abuſus eſt ſuis facultatibus. Multa enim regi et Cleopatræ, eorumque amicis, et omnibus in aula potentibus clanculum dona miſit, hac ratione eorum beneuolentiam emens: atque ea felicitate annos duos et viginti vſus eſt. Natos habuit ex vna vxore ſeptem, et ex ſui fratris Solemii filia vnum nomine Hyrcanum. Hic Hyrcanus præſtantis animi fuit, et ingenioſus atque animoſus: qua de cauſſa patri longe carior fuit quam eius fratres: quæ res eis, qui tardi ſegnesque forent, magnam commouit inuidiam. Accidit aliquando, vt patri nuntiaretur, Ptolemæo natum eſſe filium, omnesque primos Syriæ et ditionis Ptolemæi ad celebrandos pueri natales magno cum apparatu in Alexandriam proficiſci. Igitur ipſe qui ſenectute retineretur, filios tentauit, ecquis ad regem proficiſci vellet? Quumque grandiores recuſaſſent, et ſeſe ad tales congreſſus ruſticiores eſſe dixiſſent, vtque fratrem Hyrcanum mitteret ſuaſiſſent, delectatus ea re pater, Hyrcanum vocat, et an regem adire poſſit, paratusque ſit, interrogat. Ille iturum dicit: nec multa ad iter egere pecunia: victurum enim frugaliter, vt ſatis futura ſint ei drachmarum decem millia: qua pueri moderatione delectatus eſt pater. Deinde interiecto paruo ſpatio, patri conſuluit puer, ne inde dona regi mitteret, ſed ſibi litteras ad Alexandrinum procuratorem daret, vt ipſi pecuniam præberet ad coemenda, quæ inueniret pulcherrima atque pretioſiſſima. Pater arbitratus, eum ſumtum fore ad decem talenta, filii admonitionem laudauit: et Arioni diſpenſatori ſcripſit, qui totius eius Alexandriæ pecuniæ procurationem habebat, quæ erat non minus quam trium millium talentorum. Ioſephus enim Syriæ pecunias mittebat Alexandriam: et inſtante die, qua regi ſoluenda erant vectigalia,

lia, ſcribebat Arioni vt id faceret. Igitur acceptis ad hunc Arionem litteris a patre, Hyrcanus Alexandriam ire contendit. Eo profecto, ſcribunt eius fratres omnibus regis amicis, vt eum interficiant. Poſtquam Alexandriam peruenit, et litteras Arioni tradidit, quæſiuit Arion, quot talenta poſtularet. Sperabat enim poſtulaturum decem, aut paullo amplius. Sed ille ſibi mille opus eſſe dixit: qua re iratus Arion, eum obiurgat, vt luxurioſe viuere volentem: eique demonſtrat, quo pacto pater eius eas facultates, vt laborans, et cupiditatibus reſiſtens, congeſſerit: monetque, vt parentis imitatorem ſe præbeat: ſe quidem non amplius quam decem talenta daturum, et ea ad regem munerandum. At puer iratus, Arionem dedit in vincula. Cuius rei certior factus rex, Hyrcano ſignificatum miſit, ſeſe magnopere mirari, quod in ſuum conſpectum non veniſſet, et inſuper procuratorem in vincula conieciſſet: itaque iuſſit, vt ad dicendam cauſſam veniret. Ille vero regis nuntio reſpondit, ipſum regem habere legem, quæ vetaret, ne natus filius ſacrificium guſtaret, niſi prius in templum intraſſet, Deoque ſacrificaſſet. Hac de cauſſa neque ſe ad eum veniſſe, quod exſpectaret dum dona ferre poſſet, homini de ſuo patre bene merito. Quod ad ſeruum attineret, ſeſe in eum propterea animaduertiſſe, quod ſibi dicto audiens non fuiſſet. Nihil enim intereſſe, vtrum paruus ſit herus, an magnus. Quod niſi tales puniemus, exſpecta tu quoque futurum, vt a tuis ſubditis contemnaris. His auditis, Ptolemæus riſit, et tantum pueri animum admiratus eſt. Quo cognito, Arion puero mille talenta dedit, atque ita vinculis ſolutus eſt. Hyrcanos triduo interiecto, reges (i. e. regem et reginam) ſalutauit: qui eum libenter viderunt, et comiter conuiuio exceperunt, propter eius patris reuerentiam. Deinde mercatores ſecreto adgreſſus, coemit ab eis centum pueros, litterarum peritos, eoſdemque valentiſſimos, talento vnumquemque: et totidem puellas eodem pretio. Poſt vbi dies venit, aliis regi offerentibus ad ſummum vicena talenta, ipſe pueris virginibusque ſingula talenta ferenda tradidit, et illos regi, has Cleopatræ adduxit. Ac mirantibus cunctis, ipſiſque adeo regibus inſperatam munificentiam: inſuper regis amicis famuliſque dona multorum talentorum dedit, vt eorum inſidias caueret. Eis enim ſcripſerant eius fratres, vt Hyrcanum perimerent. Et Ptolemæus gratam habens magnanimitatem adoleſcentis, iuſſit, vt quod vellet donum, poſtularet. Ille vero nihil amplius ab eo petiit, quam vt ad patrem et ad fratres de ipſo ſcriberet. Et rex eum maximo honore proſecutus, ampliſque donis muneratus, ſcriptis ad patrem et ad fratres, et ad omnes ſuos præſides procuratoreſque litteris, eum dimiſit. Quo accepto nuntio, eius fratres ei obuiam prodierunt, vt eum necarent, etiam patre ſciente, quippe qui ei propter inſumtas in dona pecunias iraſceretur: tametſi iram diſſimulabat, metu regis. Igitur fratribus cum Hyrcano prœlio congreſſis, quum alios ex eorum hominibus multos, tum duos ſuorum fratrum interfecit: ceteri Hieroſolymam ad patrem euaſerunt. Ipſe in vrbem profectus, quum eum admitteret nemo, timuit: ſeque trans Iordanem recepit, et ibi Barbaros ſibi tributa ſoluere cogens, commoratus eſt. Per id tempus regnabat in Aſia Seleucus, cognomine ſeruator, Antiochi Magni filius. Moritur et Hyrcani pater Ioſephus, vir magni animi, qui Iudæum populum ex paupertate et tenuitate eripuit, et in ſplendidiorem ſtatum perduxit, et Syriæ Phœniceſque et Samariæ vectigalia viginti annos tenuit. Moritur et eius auunculus, Onias: Simonique filio ſuo pontificatum relinquit. Huic porro

porro Onias eius filius ſucceſſit, ad quem Lacedæmoniorum rex Arius legatos miſit, et litteras, quarum exemplum infra ſcriptum eſt.

CAPVT V.

Amicitia et ſocietas Lacedæmoniorum cum Onia Iudæorum pontifice.

REX LACEDAEMONIORVM ARIVS, ONIAE SALVTEM.

INcidimus in quoddam ſcriptum, in quo inuenimus, eiusdem generis eſſe Iudæos et Lacedæmonios, ex Abrahami gentilitate. Quamobrem æquum eſt, vt vos, qui ſitis fratres noſtri, nobis ſignificetis, ſi quid eſt quod velitis. Nos idem faciemus, et veſtra pro noſtris, et noſtra vobiscum communia habebimus. Demoteles tabellarius is eſt, qui vobis has reddit. Scriptura eſt quadrata, ſigillum eſt aquila draconem tenens. Hactenus Arii litteræ. Mortuo Ioſepho, ortum eſt in populo diſſidium, propter eius natos. Quum enim grandiores, Hyrcano, qui natu minimus erat, bellum intuliſſent, ſciſſa eſt multitudo: maiorque pars a grandioribus ſtabat, necnon pontifex Simon propter cognationem. Hyrcanus vero Hieroſolymam deinceps non redire ſtatuit, ac trans Iordanem capta ſede, cum Arabibus continenter bellum gerebat, ita vt eorum multos partim interfecerit, partim captiuos ceperit. Aedificauit etiam validum caſtellum, quod Tyrum nominauit: locus eſt inter Arabiam et Iudæam, trans Iordanem, non procul ab Eſſebonitide: illosque tractus rexit per annos ſeptem, toto tempore quo Seleucus regnauit in Aſia. Seleuco vita defuncto, ſucceſſit eius frater Antiochus Epiphanes. Moritur et Ptolemæus Aegypti rex, qui et ipſe cognomen habebat Epiphanes, ſuperſtitibus duobus filiis adhuc iuuenibus: quorum grandiori Philometor, minori Phyſcon cognomen erat. Et Hyrcanus videns Antiochi magnam potentiam, veritus ne ab eo propter illatas Arabibus iniurias caperetur, et ſupplicio adficeretur, mortem ſibi conſciuit: et Antiochus in eius bona omnia inuaſit.

CAPVT VI.

Iudæi potentiores inter ſeſe diſſidentes, Antiochum Epiphanem inuocant.

PEr id tempus mortuo Onia pontifice, rex eius fratri Ioſuæ ſummum ſacerdotium dedit. Nam quem filium reliquerat Onias, is infans adhuc erat. Deinde Ioſuam ſummo ſacerdotio priuauit rex, iratus ei, idque dedit Oniæ eius fratri minori. Habuit enim Simon hos tres filios, qui omnes fuere pontifices, vt declarauimus. Et Ioſua quidem Iaſoni ſibi nomen impoſuit: Onias vero, Menelaus appellatus eſt. Igitur orta ſeditione inter priorem pontificem Ioſuam et Menelaum, qui pontifex poſtea factus eſt, ſciſſa eſt in partes multitudo, ſteteruntque a Menelao Tobiæ filii: maxima vero populi pars Iaſonem ſecuta eſt: cuius vim non ſuſtinentes Menelaus et Tobiæ filii, ad Antiochum ſeſe receperunt: eique demonſtrarunt, velle ſe, relictis patriis legibus et inſtitutis, ſequi regia, et græcanicos mores tenere. Itaque eum orarunt, vt ſibi permitteret ædificare gymnaſium Hieroſolymis. Atque vbi id impetrarunt, inſuper ſeſe præputiarunt, vt nudi quoque eſſent Græci: omnibusque aliis, quæ eis patria erant, omiſſis, ceterarum gentium facta imitati ſunt. Antiochus vero, regni negotiis ei ad ipſius arbitrium ſuccedentibus, ſtatuit in Aegyptum expeditionem facere,

eius occupandæ cupidus: ſimulque Ptolemæi filios contemnens, qui debiles adhuc eſſent, necdum res tantas adminiſtrare poſſent. Igitur ad Peluſium cum magnis copiis profectus, et circumuento fraudibus Ptolemæo Philometore, Aegyptum occupat: et profectus ad Memphim, eaque potitus, Alexandriam contendit, vt eam obſidione caperet, et regnantem ibi Ptolemæum in ſuam poteſtatem redigeret. Verum repulſus eſt non ſolum ab Alexandria, ſed etiam ab vniuerſa Aegypto, iubentibus Romanis, vt ab ea regione abstineret.

QVAE POST MACHABAEOS GESTA SVNT.

EX FLAVII IOSEPHI ANTIQVITATVM LIBRO DECIMO TERTIO

CAPVT XV.

Ptolemæus principatum adſectat, Hyrcanus occupat.

IGITVR Ptolemæus ſeſe in arcem quamdam recepit, ſupra Hierichuntem poſitam, nomine Dagon. At Hyrcanus, qui et Ioannes dicitur, patrium pontificatum adeptus, quum primis ſacrificiis litaſſet, fecit aduerſus Ptolemæum expeditionem, locumque oppugnauit: et aliis quidem rebus ſuperior erat: tantum miſericordia erga matrem et fratres vincebatur. Eos enim Ptolemæus in murum ſubductos, in conſpicuo loco cruciabat: et præcipitaturum minabatur, niſi ille ab obſidione deſiſteret, quæ res illum remiſſiorem ad oppugnandum faciebat. Quamquam mater paſſis manibus eum orabat, ne ſua cauſſa remolleſceret: quin eo acrius oppugnationem vrgeret, hoſtemque in poteſtatem ſuam redigeret, et ſibi amiciſſimos vlciſceretur. Sibi enim ſuaue eſſe cruciatibus necari, dummodo pœnas daret hoſtis. Hæc dicente matre, Hyrcanus ad capiendam munitionem animabatur: ſed dum eam verberari lacerarique videbat, remolleſcebat, vincente miſericordia. Ita durante diutius obſidione, venit annus ſeptimus, in quo Iudæis otiari mos eſt: et Ptolemæus hac de cauſſa leuatus bello, Hyrcani fratres, et matrem interfecit: eoque facto ad Zenonem ſe recepit, cognomine Cotylam, Philadelphenſium vrbis tyrannum.

CAPVT XVI.

Antiochus Pius aduerſus Hyrcanum expeditionem facit: et acceptis ab eo trecentis talentis, init cum eo ſocietatem.

ANtiochus vero Simonis aduerſum ſe facta ægre ferens, Iudæam inuaſit anno regni ſui quarto, qui primus fuit annus potentatus Hyrcani: vaſtatiſque agris, Hyrcanum in vrbem compulit, et eam ſeptenis caſtris cinxit: ac principio nihil proficiebat, tum propter murorum firmitatem, tum propter obſeſſorum virtutem. Adde, quod aquæ penuria liberauit eos, delatus ſub occaſum vergiliarum multus imber. A parte autem muri ſeptentrionali, qua ex parte locus erat planus, excitatis cen-

centum turribus trinum contabulationum, cohortes in eis collocauit: et quotidianis oppugnationibus, ductaque alta et lata foſſa, eaque duplici, Iudæos concluſit. Illi contra crebris excurſionibus, ſicubi imparatos hoſtes offenderent, magnas eis clades inferebant: ſin ſenſiſſent, facile ſe in tutum recipiebant. Hyrcanus vero animaduertens ſuorum multitudinem ſibi eſſe detrimentoſam, propterea quod et commeatus celerius a tanta multitudine abſumeretur, et nullum ab ea operæ pretium fieret, inutilem turbam ſecreuit, et eiecit: quodque roboris erat, et ad pugnandum idoneum, id ſolum retinuit. Sed Antiochus excluſos prohibebat exitu: itaque illi inter muros oberrantes, fame miſerabiliter conficiebantur. Verum vbi vmbraculorum feſta venerunt, qui erant in vrbe, eos, miſeratione commoti, rurſum intro receperunt. Et Hyrcanus miſit ad Antiochum petitum inducias in ſeptem dies, propter feſta: quas Antiochus, qua præditus erat religione, conceſſit: et præterea magnificum ſacrificium intromiſit, tauros auratis cornibus, et cum omni genere aromatum pocula aurea et argentea: necnon vrbanorum milites conuiuio excepit. Itaque propter eius ſingularem religionem, omnes eum Pium nuncuparunt. Hanc ob rem Hyrcanus, hac æquitate approbata, cognitoque eius erga Deum ſtudio, legatos miſit ad eum, petitum, vt ipſis patria reſtitueret inſtituta. Ille vero repudiato eorum conſilio, qui gentem delendam, propter morum inſociabilitatem, cenſebant: legatis reſpondit, vt obſeſſi arma traderent, et ſibi Ioppes, reliquarumque vrbium, excepta Iudæa, vectigalia penderent, præſidiumque acciperent, atque hac conditione bello liberarentur. Illi in cetera conſenſerunt: ſed præſidium non admiſerunt, propter morum diſſimilitudinem: verum pro præſidio obſides dederunt, et argenti talenta quingenta, quorum in præſentia trecenta dederunt, ſimulque obſides, quos inter erat et Hyrcani frater. Deiecit et murorum vrbis pinnas. Hac conditione Antiochus ſoluta obſidione diſceſſit. Hyrcanus vero aperto Dauidis ſepulcro, tria millia talentorum inde extulit, et his opibus primus Iudæorum cœpit externum militem alere. Iniit et cum Antiocho amicitiam atque ſocietatem: eoque in vrbem accepto, omnia exercitui abunde et cupide ſubminiſtrauit: et in expeditione contra Parthos eum comitatus eſt. In ea expeditione Antiochus commiſſo prœlio cum Arſace Partho, magnam exercitus ſui partem amiſit, et ipſe mortuus eſt. Et in regno Syriæ ſucceſſit eius frater Demetrius, per Arſacem liberatus a captiuitate.

CAPVT XVII.

Hyrcani expeditio in Syriam.

HYrcanus audita Antiochi morte, confeſtim in vrbes Syriæ fecit expeditionem, ratus (id quod erat) inuenturum vacuas a propugnatoribus. Igitur Medabam magno cum exercitus ſui labore cepit ſex menſibus: deinde Samegam, et finitima loca: itemque Sicima et Garizim, Chuthæorumque gentem, quæ templum accolebat Hieroſolymitani ſimile, de quo ſupra diximus: quod quidem Garizimum templum, poſtquam ducentos durauit annos, deletum eſt. Cepit et Adora, et Mariſſam, vrbes Idumææ: ſubactiſque omnibus Idumæis, permiſit in finibus ſuis manere, ſi virilia ſua circumcidere, Iudæiſque legibus vti vellent. Quam conditionem illi admiſerunt, ac deinceps Iudæi eſſe cœperunt. Hyrcanus vero volens amicitiam cum Romanis renouare, legatos miſit ad eos; et ſenatus acceptis eius litteris, amicitiam cum eo fecit in hunc modum: FANIVS M. F. Pr.

Senatum conuocauit octauo Idus Februarii, in campo, præſente L. Manlio L. F. Mentina, et C. Sempronio C. F. Falerna, propter eas res, quas legati retulerunt, Simon Doſithei, et Apollonius Alexandri, et Diodorus Iaſonis, viri honeſti et boni, miſſi a populo Iudæorum, qui etiam egerunt de amicitia et ſocietate, quæ eis cum Romanis intercedit, et de publicis negotiis, vt Ioppe, et portus, et Gazara, et fontes, et quaſcumque alias eorum vrbes, et loca bello cepit Antiochus citra Senatus decretum, hæc eis reddantur, neue regiis militibus liceat per ipſorum aut ſubditorum fines iter facere. Item, vt quæ per id bellum ab Antiocho præter Senatus ſententiam decreta ſint, irrita fiant: vtque miſſis legatis curent eis reddenda, quæ per Antiochum ablata ſunt: et regionem æſtiment, quæ ab eo bello vaſtata eſt: vtque eis ad reges et liberos populos dentur litteræ ad redeundum tuto domum. Igitur de his rebus decreta ſunt hæc, renouari amicitiam et ſocietatem cum viris bonis: et a bono amicoque populo miſſis. De litteris autem reſponderunt deliberaturos, quum Senatui per ſua negotia vacabit: operamque daturos, vt in poſterum nulla tali adficiantur iniuria. Mandatumque eſt prætori Fanio, vt eis pecuniam det ex ærario ad domum reditionem. Ita Fanius Iudæorum legatos dimiſit, data eis pecunia ex ærario, nec non ſenatusconſulto, ad eos, qui deducere, et tutum iter domum vſque eis præſtare deberent. Et Hyrcani quidem pontificis rerum ſtatus hic erat. Demetrius autem rex Hyrcano bellum inferre cupiens, tempus et opportunitatem non habuit, quod tum Syris eſſet, tum militibus propter improbitatem ſuam inuiſus. Itaque miſſis ad Ptolemæum Phyſconem legatis petierunt, vt ſibi daret aliquem de Seleuci genere, qui in regnum inuaderet. Et Ptolemæus miſit Alexandrum Zebinam cum exercitu: commiſſoque prœlio victus Demetrius, ad Cleopatram vxorem confugit Ptolemaidem: et ab ea non admiſſus, inde Tyrum profectus capitur: multaque paſſus ab oſoribus ſuis, moritur. Alexander vero regnum adeptus, amicitiam iniit cum Hyrcano pontifice: deinde bello petitus a Demetrii filio Antiocho Grypo, in pugna occubuit. Antiochus regno Syriæ potitus, in Iudæam exercitum ducere reformidabat, audiens fratrem ſuum ex matre (cui et ipſi Antiocho nomen erat) contra ſe apud Cyzicum habere delectum. Itaque ſtatuit intra fines ſuos ſe continere, et ad fratris aduentum præparare, qui Cyzicenus a Cyzico vrbe, in qua nutritus eſſet, cognominatus eſt, patre Antiocho Seruatore, qui in Parthis occubuit: eratque is Antiochus Seruator frater Demetrii, patris Grypi, tamen vtrique fratri nupſit eadem Cleopatra. Cyzicenus vero Antiochus in Syriam profectus, multos annos contra fratrem bellum geſſit, ac toto eo tempore Hyrcanus in pace degebat. Etenim poſt obitum Antiochi, a Macedonibus defecerat, neque quidquam eis iam nec vt ſubditus, nec vt amicus præſtabat: quin rebus ſecundiſſimis vtebatur Alexandri Zebinæ temporibus, et maxime ſub his fratribus. Bellum enim, quod inter eos gerebatur, facultatem Hyrcano præbebat fruendi Iudæa ſecure, ita vt pecuniæ vim innumerabilem congeſſerit. Tamen Cyziceno agros vaſtante, ipſe quoque voluntatem ſuam aperte oſtendebat: et deſertum ab Aegypti auxilio videns Antiochum, ac tum ipſum tum eius fratrem mutuis certaminibus adfligi, vtrumque contemnebat.

CAPVT XVIII.

Antiochus Cyzicenus Samaritis auxilium ferens, victus aufugit.

ITaque expeditionem fecit aduerſus Samariam, vrbem munitiſſimam: eamque adortus magna vi obſedit, Samaritanis infenſus propter iniurias, quas Mariſſenis Iudæorum colonis et ſociis intulerant iuſſu regum Syriæ. Igitur vrbem foſſa vndique et duplici muro per octoginta ſtadia cinxit: iisque filios ſuos præfecit Antigonum et Ariſtobulum: quibus prementibus, in eam famis neceſſitatem adducti ſunt Samaritæ, vt inſuetis veſcerentur: et Antiochi Cyziceni opem implorarent: qui eo libenter profectus, ab Ariſtobulo vincitur: et Scythopolim vsque fugatus a fratribus, effugit. Illi in Samaritas conuerſi, eos iterum intra muros compellunt, ita vt denuo eumdem Antiochum arceſſiuerint in auxilium. Ille accitis a Ptolemæo Lathuro hominum ad ſex millia (quos ille inuita matre, et ab ea principatu pæne deturbatus, miſit) primum Hyrcani fines cum illis Aegyptiis latrocinando depopulabatur, cum eo congredi non audens (neque enim viribus par erat) ſed fore ſperans, vt agrorum vaſtatione Hyrcanum cogeret ſoluere obſidionem Samariæ. Verum poſtquam delatus in hoſtium inſidias, multos ſuorum militum amiſit, Tripolim ſe recepit, quum quidem Callimandrum et Epicratem bello contra Iudæos præfeciſſet. Callimander dum audacius in hoſtes inuehitur, in fugam verſus occubuit. Epicrates pecunia corruptus, Scythopolim, et alia finitima loca prodidit manifeſte Iudæis, neque Samariam obſidione leuare potuit. Hyrcanus igitur vrbem vno anno obſeſſam cepit, nec eo contentus, eam funditus deleuit, inductis eo torrentibus, quibus eam ita ſubruit, vt in foueas delapſa, ne veſtigium quidem vrbis vllum retineret. Narratur Hyrcanum, quod die eius filii cum Cyziceno dimicarunt, quum ſolus in templo ſuffiret, vocem audiuiſſe, quæ ſignificaret ſuperatum modo ab eius pueris Antiochum: idque ipſe egreſſus ex templo, toti populo indicauit, atque ita factum contigit. Et hoc quidem in ſtatu erant res Hyrcani.

Accidit eodem tempore, vt non ſolum qui Hieroſolymis et in ea regione erant Iudæi, bene agerent: ſed etiam qui Alexandriæ, et in Aegypto atque Cypro degebant. Cleopatra enim regina, a filio ſuo Ptolemæo Lathuro diſſidens, duces conſtituit Helciam, et Ananiam Oniæ filios, eius qui templum in heliopolitana præfectura Hieroſolymitani ſimile conſtruxerat. His tradito exercitu, Cleopatra nihil abſque eorum ſententia faciebat. Hyrcano vero inuidiam Iudæorum commouerunt res ſecundæ, et maxime Phariſæi erant in eum male animati. Secta eſt Iudæorum, qui tantæ ſunt auctoritatis apud plebem, vt ſi quid vel contra regem, vel contra pontificem dicant, continuo credatur. Erat autem Hyrcanus eorum diſcipulus, eisque in primis carus. Quumque aliquando eos ad conuiuium vocaſſet, et opipare accepiſſet, animaduertens vehementer delectari, cœpit eis dicere, ſeſe (vt ſcirent ipſi) velle eſſe iuſtum, et omnia facere, quibus Deo placere poſſet, id quod ipſi quoque Phariſæi profiterentur: petere tamen, ſi quid peccare ſe, et de via deflectere viderent, vt ſe in eam reuocarent. Illi ei omnium virtutum teſtimonium dederunt, quibus quidem laudibus delectatus eſt. Sed conuiuarum quidam nomine Eleazarus, homo ingenii praui, et ſeditionis amans: Poſtquam, inquit, verum ſcire expetis, ſi vis eſſe iuſtus,

pon-

pontificatu tete abdica, et ſolo populi principatu contentus eſto. Ac cauſſam quærenti Hyrcano: Quoniam, inquit, audimus a maioribus natu, captiuam fuiſſe tuam matrem regnante Antiocho Epiphane. Erat autem id falſum; eoque Hyrcanus exacerbatus, neque non Phariſæi omnes grauiter offenſi ſunt. Et quidam Ionathan de ſecta Sadducæorum, qui contrarium tenent Phariſæis inſtitutum, Hyrcani cum primis amicus, dixit Eleazarum de communi Phariſæorum omnium ſententia illa maledicta dixiſſe: idque ipſi Hyrcano fore manifeſtum, ſi ab illis quærat, quanam pœna dignus ſit Eleazarus ob illud dictum. Ad quod illi reſponderunt, fuſtigio et vinculis dignum eſſe: neque enim videbatur eis conuicii gratia capite plectendus: et ſunt alioquin Phariſæi in pœna irroganda clementes. Ea re grauiter offenſus Hyrcanus, Eleazarum ex illorum ſententia contumeliam dixiſſe arbitratus eſt. Et maxime eum Ionathan inſuper incendit, et ita adſecit, vt ab illis defecerit ad Sadducæorum partes, et præſcripta a Phariſæis populo iura antiquarit: atque in eos, qui ea ſeruarent, animaduertit. Hinc natum eſt multitudinis tum in eum, tum in eius filios odium, quibus de rebus poſtea dicemus. In præſentia demonſtrare volo, Phariſæos multa inſtituta populo tradidiſſe a patribus accepta, nec in Moſis legibus ſcripta: ideoque ea Sadducæorum genus repudiat, dicitque, ea pro inſtitutis habenda, quæ ſcripta ſunt: quæ autem a patribus tradita ſunt, non eſſe ſeruanda. De his quæſtiones eis, grauesque contentiones oriebantur, Sadducæis locupletes ſolum in ſuas partes pertrahentibus, neque plebem ſibi obſequentem habentibus: Phariſæis autem multitudinis fauore nitentibus. Hyrcanus vero ſedata contentione, quum poſt eam feliciter vixiſſet, et rebus optime annos vnum et triginta præfuiſſet, obiit, ſuperſtitibus quinque filiis: tria maxima conſecutus a Deo, potentatum gentis, pontificalem honorem, et vaticinationem. Aderat enim ei numen, futurorumque præſenſionem et prædictionem præbebat; ita vt de duobus ſuis filiis prædixerit, non manſuros in imperio.

CAPVT XIX.

Ariſtobulus principatum adeptus, diadema primus ſibi imponit.

Mortuo Hyrcano, Ariſtobulus eius filiorum natu maximus volens principatum in regnum commutare, diadema ſibi primus imponit, annis quadringentis octoginta vno, et vno menſe, poſtquam liberatus babylonica ſeruitute populus domum reuenerat. Et quia Antigonum fratrum ſuorum poſt ſe natu maximum amabat, eum dignitatis ſocium, ceteros in vinculis habebat. Matrem etiam coniecit in carcerem, quod ea cum ipſo de principatu contenderat: quippe quum eam Hyrcanus omnium dominam reliquiſſet: eoque crudelitatis proceſſit, vt vinctam fame necarit. Addidit et matri fratrem Antigonum, quem amare videbatur, regnique ſocium habebat, calumniis alienatus ab eo, quibus primum non credebat, tum quia eum amabat, tum quod ea maledicta ab inuidia proficiſci credebat. Accidit aliquando, vt Antigonus ab exercitu magnifice reuerſus, feſtis vmbraculorum, Ariſtobulo propter morbum decumbente, adſcenderet ſplendidiſſime ornatus in templum, ad celebrandum feſtum, vna cum ſuis militibus armatis, et potiſſimum pro fratris ſalute vota faceret. Ex hoc Antigoni apparatu, rebusque ab eo feliciter geſtis, occaſionem nacti homines mali, et eorum

con-

Digitized by Google

concordiæ dirimendæ cupidi, regem adeunt: eique feſti apparatum, rem malitioſe in maius augentes, exponunt: demonſtrant, ſingula, quæ ab illo fierent, non eſſe hominis priuati, ſed animi regii argumenta: venturum illum ad ipſum interficiendum cum armatorum valida manu: quod ſtultum exiſtimet, quum regnare liceat, communicato honore contentum eſſe. Ariſtobulus his ægre inductus, quo et fratris ſuſpicionem vitaret, et ſimul ſaluti ſuæ proſpiceret, ſatellites ſuos in obſcuro quodam loco ſubterraneo collocauit (decumbebat autem in turri quadam, quæ nominabatur Antonia) eisque imperauit, vt ſi inermis ad ſe intraret Antigonus, eum nemo tangeret: ſin armatus, interficerent: ipſe quidem Antigono ſignificatum miſit, vt inermis veniret. Sed regina, et qui cum ea Antigono inſidiabantur, nuntio perſuadent, vt contraria dicat: fratrem, quoniam eum arma ornatumque bellicum paraſſe audierit, rogare, vt ad ſe veniat armatus, quo eum apparatum videat. Antigonus vero nihil fraudis ſuſpicatus, ſed fratris beneuolentia fretus, ſicut erat toto corpore armatus, adit Ariſtobulum, arma ei oſtenſurus. Sed poſtquam venit ad turrim, quæ Stratonis appellabatur, qua obſcuriſſimus erat aditus, occiditur a ſatellitibus. Erat quidam Iudas genere Eſſæus, qui futuris prædicendis numquam aberrauerat. Is Antigonum conſpicatus præter templum euntem, exclamauit apud ſocios familiaresque ſuos, qui eum diſcendæ futurorum prædictionis gratia frequentabant, ſibi mortem eſſe optandam, poſtquam falſum dixiſſet, viuente Antigono: quem quum prædixiſſet moriturum eo die in turri Stratonis, nunc ambulantem videret: quum is locus, in quo eum occiſum iri prædixiſſet, illinc ſtadiis ſexcentis abeſſet, diei iam maiore parte præterita: periculum eſſe, ne falſum ſit ſuum oraculum. Hæc dum mæſtus loquitur, nuntiatur mortuus Antigonus in ſubterraneo loco, qui et ipſe Stratonis turris appellabatur, ſicut et maritima Cæſarea: quæ res vatem turbabat. Ariſtobulum autem continuo cepit necis fraternæ pœnitentia, tantaque vis morbi, vt corruptis immodico dolore partibus interioribus, ſanguinem emiſerit. Eum ſanguinem dum quidam puerorum, qui ei miniſtrabant, exportat, prætereundo per eum locum, qui Antigoni cæde adhuc cruentus erat, prolapſus effudit. Hinc orto clamore ab iis, qui viderunt, quaſi puer data opera ſanguinem illic effudiſſet, eo audito Ariſtobulus cauſſam ſciſcitatus eſt. Atque illis non dicentibus, eo magis ſcire auebat: tandemque minis et terrore veritatem ab illis extorſit: tantaque inde labe conſcientiæ perculſus eſt, vt multum lacrimarum emiſerit, et alte ingemiſcens ita dixerit, Ergo fieri non poterat, vt mea tam impia et conſcelerata facinora Deum laterent: quin me celer pœna cognatæ cædis inuaſit. Et quouſque, o corpus impudentiſſimum, retinebis debitam fratrum matriſque manibus animam? Cur ver[illegible] non vniuerſam reddis, ſed paullatim meum ſanguinem iis libo: quos nefarie interfeci? Hæc fatus, moritur inter loquendum. Regnauit vnum annum, et Græcorum amator dictus eſt, multaque in patriam beneficia contulit, debellata Ituræa, et multa eius regionis parte Iudææ addita: coactiſque incolis, ſi in ſuis finibus manere vellent, circumcidi, et ad Iudæorum leges viuere.

CAPVT XX.

Alexandri Iudæorum regis expeditiones.

ARiſtobulo vita defuncto, Salome eius vxor, quæ a Græcis Alexandra dicitur, ſolutis eius fratribus (eos enim in vinculis, vt iam diximus, habebat Ariſtobulus) Ianneum (qui idem eſt Alexander) regem creauit, qui et ætate et moderatione præſtabat. Hic Alexander ſimulatque natus eſt, patri fuit inuiſus, nec numquam per omnem vitam venit in eius conſpectum. Odii cauſſam tradunt hanc. Quum maxime amaret Hyrcanus filiorum ſuorum grandiores, Antigonum et Ariſtobulum, interrogauit Deum (qui ei apparuit in ſomnis) quisnam filiorum ſibi futurus eſſet ſucceſſor? Quumque Deus ei huius Alexandri formam oſtendiſſet, grauiter ferens Hyrcanus, eum ſibi omnium bonorum heredem fore: vbi ille natus eſt, curauit in Galilæa educandum: neque tamen Deus Hyrcanum fefellit. Igitur hic Alexander regnum adeptus, alterum fratrum regnum adfectantem peremit: alterum otioſam vitam agere inſtituentem, in honore habuit. Compoſito deinde principatu, quomodo ſibi conducere putabat, expeditionem facit in Ptolemaidem: victosque prœlio compellit intra vrbem, et admoto exercitu obſidet. Nam maritimarum vrbium Ptolemais ei et Gaza ſolæ ſubigendæ reſtabant, necnon Zoilus tyrannus, qui Stratonis turrim Doraque tenebat. Ac dum Philometor Antiochus, eiusque frater Antiochus Cyzicenus, inter ſe bellum gerunt, ſuasque vires atterunt, erat nullum Ptolemaidenſibus ab eis auxilium. Verum quum premerentur obſidione, adfuit Zoilus, vna cum legione militum, quam alebat: et quod propter regum mutuum certamen tyrannidem adfectabat, paullulum Ptolemaidenſibus auxilii ferebat. Nam neque reges eis ita fauebant, vt ab eis ſperari aliquid ſubſidii poſſet. Erant enim ambo laſſitudine exanimati: ſed quia cedere pudebat, perſeuerabant: et quieſcentes, atque reſpirantes, pugnam differebant. Supererat Ptolemaidenſibus vna ſpes ab Aegypti regibus, et Ptolemæo Lathuro, qui a matre Cleopatra imperio deiectus, in Cyprum venerat, et eam tenebat. Igitur hunc oratum miſerunt Ptolemaidenſes, vt ſibi ſuppetias ferret: ſeque ab Alexandro liberaret. Præterea legati ſpem ei fecerunt, ſi in Syriam traieciſſet, habiturum ſtantes a Ptolemaidenſibus Gazæos et Zoilum: itemque Sidonios, et multos vna cum eis acceſſuros: quibus rebus elatus ille, nauigationem adornat. Interea Demenetus, homo popularis, qui tum auctoritate apud Ptolemaidenſes valebat, eorum animos mutauit, dicens præſtare incerto euentu periclitari cum Iudæis, quam manifeſtam accipere ſeruitutem, domino ſeſe tradentes: et inſuper non modo præſens habere bellum, ſed etiam multo maius ab Aegypto. Neque enim commiſſuram Cleopatram, vt Ptolemæus vires ſibi comparet a vicinis, ſed eos magna manu adgreſſuram: quippe quæ Ptolemæum etiam ex Cypro deiicere conetur. Eſſe autem Ptolemæo, ſi ea ſpe deiectus ſit, receptum rurſus in Cyprum: ipſis vero extremum periculum. Ita Ptolemaidenſes conſilium mutarunt: quo cognito Ptolemæus, qui iam profectus erat, nihilominus nauigauit, et in eam, quæ Sycaminus dicitur, appulſus, ibi vires ſuas expoſuit. Erat in vniuerſum eius exercitus, qua peditum, qua equitum, ad triginta millia, quibus prope Ptolemaidem ductis, factisque caſtris, quum illi neque ipſius legatos admitterent, neque verba audirent, mago-

gnopere æſtuabat. Interea adeunt eum Zoilus et Gazæi, orantque, vt ſibi auxilietur aduerſum Iudæos et Alexandrum, a quibus eorum ager vaſtetur. Itaque ſoluit obſidionem Alexander, Ptolemæum veritus: et abducto domum exercitu, deinceps aſtu rem gerebat, clanculum Cleopatram aduerſus Ptolemæum arceſſens, aperte vero amicitiam et ſocietatem cum eo ſimulans. Quinetiam quadringenta argenti talenta daturum ſe promiſit, ea lege, vt Zoilus de medio tolleretur, et ager Iudæis attribueretur. Ac tum quidem Ptolemæus libenter inita cum Alexandro amicitia, Zoilum in poteſtatem ſuam redigit: verum poſtea vbi audiuit Alexandrum clam ad matrem ſuam Cleopatram nuntios mittere, ſoluit, quod ei præſtiterat iusiurandum: et Ptolemaidem, quæ eum non admiſiſſet, adortus obſidet: ac relictis in obſidione ducibus, et parte copiarum, ipſe cum reliquis ad populandam Iudæam proficiſcitur. Alexander intellecta mente Ptolemæi, coegit et ipſe ad quinquaginta incolarum millia, aut, vt nonnulli ſcripſerunt, octoginta: et adſumtis iis copiis, Ptolemæo obuiam proficiſcitur. Ptolemæus vero Aſochim Galilææ oppidum Sabbato de improuiſo adortus, expugnat: et circiter decem corporum millia, multamque aliam prædam capit.

CAPVT XXI.

Ptolemæi Lathuri cum Alexandro pugna et victoria, et alia varia.

TEntauit et Sepphorim, quæ ab ea quam populatus erat, prope aberat: multisque ibi amiſſis, abiit conflicturus cum Alexandro. Ei occurrit Alexander apud Iordanem fluuium, ad quemdam locum nomine Aſophum, et prope hoſtes caſtra fecit. Habebat in prima acie octo pugnatorum millia, qui ære tectis ſcutis vtebantur: itemque Ptolemæi prima acies tectos ære clipeos habebat. Et ceteris quidem rebus inferiores erant Ptolemæani, eoque timidius periculum ſubierunt: ſed non parum eis audaciæ addidit Philoſtephanus, aciei ordinandæ præfectus: iubens tranſire fluuium, qui inter caſtra poſitus erat. Alexander vero eos exitu prohibendos non exiſtimauit, ratus ſi fluuium a tergo haberent, facilius ſuperatum iri, quod ex prœlio fugere nequirent. Igitur principio erat anceps et manibus et animis prœlium: magnaque vtriusque exercitus cædes fiebat. Cumque ſuperiores fierent Alexandri milites, Philoſtephanus partitus copias, cædentibus commode ſubſidia mittebat: ac nemine inclinanti Iudæorum parti ſuccurrente, fiebat vt ea pars fugeret, proximi vero non ſubuenirent, ſed fugæ ſocii fierent. At Ptolemæani contra, Iudæos perſequentes occidebant, et ad extremum omnibus in fugam actis, tantam eorum cædem fecerunt, vt eis et ferrum obtunderetur, et manus delaſſarentur. Triginta hominum millia in eo prœlio occiſa tradunt. Timagenes millia quinquaginta dixit: alios partim captos, partim domum fuga dilapſos. Ptolemæus poſt victoriam populatus agros, veſpere manſit in quibusdam Iudææ pagis: quos feminarum puerorumque plenos nactus, militibus imperauit, vt eos iugularent, et fruſtatim diſſectos in feruentia ahena conicerent, ac ſacrificarent, vt qui ex prœlio elapſi ad eos venerant, hoſtes humana carne veſci arbitrarentur, et ea re illos magis perterrefacerent. Expugnarunt etiam Ptolemaidem. Cleopatra vero videns filium creſcere, Iudæam arbitratu ſuo vaſtare, Gazamque in ſua poteſtate habere: ſtatuit eum non pati, qui ad portas eſſet, maiorque factus Aegypti imperium cuperet. Itaque confeſtim cum naualibus pedeſtribusque copiis aduerſus eum

proficiſcitur, mandata totius exercitus cura Helciæ et Ananiæ Iudæis. Magnam autem facultatum ſuarum partem, nepotesque et teſtamentum ad Coos depoſitum miſit: iuſſoque filio ſuo Alexandro in Phœnicen ingenti cum claſſe nauigare, quum ea regio deditionem feciſſet, ad Ptolemaidem venit: et a Ptolemaidenſibus non admiſſa, vrbem obſidet. Ptolemæus vero a Syria profectus, in Aegyptum properat, ſperans ab exercitu vacuam poſſe de improuiſo opprimi: ſed eum ſpes fefellit. Eodem tempore accidit, vt Helcias alter Cleopatræ dux moreretur in Cœleſyria, dum Ptolemæum perſequitur. Et Cleopatra audito filii conatu, et vt in Aegypto non qualem ſperabat ſucceſſum habuiſſet, miſſa exercitus parte eum finibus expulit. Atque ille ab Aegypto iterum reuerſus, Gazæ hibernauit. Cleopatra interea Ptolemaidis præſidium vrbemque vi capit. Et Alexander eam cum donis et quali decebat cultura adit: quippe qui a Ptolemæo vexatus, aliud perfugium nullum haberet. Itaque quidam amicorum Cleopatræ ei ſuadebant, vt et dona acciperet, et regionem occuparet: neque permitteret, vt tanta bonorum Iudæorum multitudo vni viro pareret. At Ananias longe aliter conſulebat, dicens iniuſte facturam, ſi ſocium hominem ſua poteſtate priuaret: idque cognatum noſtrum, inquit. Neque enim ignorare te volo, ſi huic facta fuerit iniuria, nos omnes Iudæos tibi futuros hoſtes. His Ananiæ monitis adducta eſt Cleopatra, vt Alexandrum non violaret: quin ſocietatem cum eo fecit Scythopoli in Cœleſyria. Alexander vero Ptolemæi metu liberatus, continuo expeditionem facit in Cœleſyriam, et Gadara decem menſium obſidione capit. Cepit et Amathuntem, munitionem omnium quæ ad Iordanem ſitæ erant maximam, vbi rerum ſuarum pulcherrimas et cariſſimas Theodorus Zenonis filius habebat. Is Iudæos nec opinantes adgreſſus, decem eorum millia interfecit, et Alexandri impedimenta deprædatus eſt. Tamen his Alexander non eſt attonitus, quin in maritimas oras Raphiam et Antedonem (cui poſtea rex Herodes Agrippiadi nomen impoſuit) expeditionem fecit, eamque vi cepit. Quumque videret Ptolemæum a Gaza in Cyprum, eiusque matrem Cleopatram in Aegyptum ſe contuliſſe, iratus Gazæis, quoniam Ptolemæi opem imploraſſent, eorum vrbem obſedit, agrumque vaſtauit. Apollodotus vero Gazæorum dux cum duobus peregrinorum millibus, et vno domeſticorum, noctu Iudæorum caſtra inuaſit: ac quantiſper nox erat, vincebant Gazæi, arbitrantibus aduerſariis Ptolemæum eſſe qui ipſos adortus eſſet. Verum orta die animaduerſo errore, Iudæi ſeſe confirmant, et cum Gazæis congreſſi, eorum circiter mille interficiunt. Tamen Gazæi reſiſtebant, neque ob timiditatem, neque ob cæſorum multitudinem cedebant. Adde quod eis animos faciebat Aretas Arabum rex, quem ſibi auxilio venturum ſperabant, quod ita promiſerat. Sed accidit, vt Apollodotus ante perimeretur. Lyſimachus enim eius frater ei obtrectans, quoniam apud ciues gratia valeret, eum interfecit, collectoque milite vrbem Alexandro tradidit. Alexander protinus placide ingreſſus eſt: verum poſtea milites in Gazæos immiſit, et eos vlciſci permiſit. Illi vero diuerſi Gazæos interficere: quamquam ne Gazæi quidem ſegnes animos præbuerunt, quin occurrentibus ita reſtiterunt, vt interfecerint Iudæorum non pauciores, quam quot erant ipſi. Nonnulli deſerti domos incenderunt, ne vlla præda potirentur hoſtes. Alii liberos vxoresque ſuas ſuis manibus occiderunt, coacti eos hoſtium ſeruitute ita liberare. Erant conſiliariorum omnino quingenti, qui in Apollinis fanum confugerunt: nam accidit, vt dum capta vrbs eſt, ſenatus haberetur. Eos interfecit Alexander,

ſimul-

ſimulque vrbem ſolo æquauit, poſtquam eam vnum annum obſedit, atque ita Hieroſolymam rediit. Ibi feſtis vmbraculorum fit in eum gentis ſeditio, ac aræ adſtantem et parantem ſacrificare, citriis petunt (eſt enim Iudæis mos per ea feſta, vt ſinguli ramos ferant palmarum, atque citriorum) eique exprobrant fuiſſe captiuum, ideoque arcendum a ſacris. Quibus ille iratus, occidit eorum ad ſex millia: et exſtructo circa aram et templum ſepto ligneo vsque ad cellam, in quam ſolis ſacerdotibus introire fas erat, hac ratione multitudinis ad ſe aditum obſtruxit. Alebat et peregrinos milites Piſidas et Silicas: nam Syris quidem, quod eis erat infenſus, non vtebatur. Item euerſis Moabitarum et Galaaditarum, qui Arabes ſunt, finibus, vt inde tributum exigeret, demolitus eſt etiam Amathunta, Theodoro non audente cum eo congredi: et commiſſo cum Obeda Arabum rege prœlio, delatus in inſidias in locis aſperis atque difficilibus, a multitudine camelorum in altam vallem detruſus eſt apud Gadara pagum Galaaditidis: ægreque euaſit ipſe, et illinc fuga Hieroſolymam venit. Et præter acceptam cladem laceſſitus a gente, cum ea bellum geſſit ſex annos, occiditque Iudæorum non minus quinquaginta millia. Ac dum eos, vt ſimultatem deponant, hortatur, eo magis eum oderunt, propter ea quæ acciderant mala: rogantique quid facto opus eſſet, omnes clamarunt, vt moreretur: et ad Demetrium Eucærum miſerunt, qui auxilium adſciſcerent.

CAPVT XXII.

Demetrius Eucærus Alexandrum bello petit, et ſuperat.

ILle cum exercitu profectus, adſumtis iis qui ſe acciuerant, apud oppidum Sicima caſtra facit. Alexander verò cum mercenariorum ſex millibus et ducentis, adſumtis Iudæorum circiter viginti millibus, qui eius partes tuebantur, Demetrio aduerſus incedebat, habenti equitum tria millia, et peditum quadraginta millia: et multa quidem vtrimque tentata ſunt, dum hic mercenarios, vtpote Græcos, ad defectionem ſollicitat: ille vero ſtantes a Demetrio Iudæos. Sed quum neuter obtinere poſſet, fit prœlium, in quo vincit Demetrius: mortuique ſunt fideliter et fortiter omnes Alexandri mercenarii, necnon multi ex Demetrii militibus. Alexandro in montes fuga elapſo, miſerati eius fortunam, congregantur ad eum ſexies mille Iudæi: ac tum metuens Demetrius diſceſſit. Poſtea Iudæi bellum intulerunt Alexandro, victique frequentes occubuerunt in prœliis. Ipſe compulſis eorum potentiſſimis in oppidum Bethomam, oppugnat: captoque oppido potitus iis, adducit eos Hieroſolymam, et ibi inter epulandum in conſpicuo loco cum ſuis concubinis, imperat eorum circiter octingentos in crucem tolli: eiſque adhuc viuentibus eorum liberos et vxores in ipſorum conſpectu iugulat. Itaque eius aduerſarii milites, qui erant circiter octo millia, noctu fugerunt: et quamdiu vixit Alexander, fugitiui fuerunt. Alexander his turbis liberatus, regnauit deinceps quietiſſime. Et Demetrius a Iudæa Berrœam profectus eſt: deinde iuit oppugnatum fratrem ſuum Philippum: ſed Philippus eiuſmodi auxilia habuit, vt captus ſit Demetrius, et ad Mithridatem Parthorum regem perductus, vbi honorifice habitus eſt, donec morbo interiit. Philippus vero ſtatim poſt pugnam profectus eſt Antiochiam, eaque potitus, Syriæ rex factus eſt.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Antiochi Dionyſi in Iudæam expeditio.

POſtea Antiochus cognomine Dionyſius, Philippi frater, ad principatum adſpirans, Damaſcum venit, et ibi fit rex. Deinde expeditionem fecit in Arabas. Quibus auditis, Philippus Damaſcum ſe contulit: eaque potitus, rurſus eam perdidit opera Mileſii, cuius eiusdem opera eam obtinuerat: qui eam ſeruare voluit Antiocho. His auditis, Antiochus reuertitur ab Arabia, confeſtimque ducit in Iudæam peditum octo millia, et equites octingentos. Eius aduentu veritus Alexander, altam foſſam ducit a Chabarzaba (quæ nunc Antipatris appellatur) ad Ioppicum mare, qua ſola parte aditus patebat: excitatoque muro, et ligneis turribus, et pluteis, per ſtadia centum quinquaginta Antiochum opperitur. Ille vero illo omni opere incenſo, copias illac traiecit in Arabiam. Arabs primum ceſſit, deinde cum decem equitum millibus repente ſeſe oſtendit: cum quibus congreſſus Antiochus, acriter dimicauit, et quidem vincens occubuit, dum laboranti parti ſubuenit. Occiſo Antiocho, exercitus fugit in vicum Canam, vbi plurima eorum pars fame confecta eſt. Poſt Antiochum regnauit Aretas in Cœleſyria, vocatus ad principatum ab iis qui Damaſcum tenebant, odio Ptolemæi Mennæi. Inde duxit in Iudæam exercitum, et Alexandro apud Addidam locum prœlio victo, facta pace diſceſſit ex Iudæa. Alexander vero adgreſſus iterum Diam vrbem, capit, deinde exercitum ducit ad Eſſam, vbi erant Zenonis optima quæque, locumque triplici muro cingit: et expugnato oppido, ad Gaulanam et Seleuciam contendit: et his quoque potitus, cepit etiam Antiochi vallem, et præſidium Gamala: et grauiter de Demetrio eorum locorum præfecto conqueſtus, ei prouinciam ademit: atque ita conſumto in ea expeditione triennio, domum repetiit, Iudæis eum magno ſtudio ob res feliciter geſtas excipientibus. Eo tempore iam Syrorum et Idumæorum et Phœnicum vrbes tenebant Iudæi, ad mare Stratonis turrim, Apolloniam, Ioppem, Iamniam, Azotum, Gazam, Anthedonem, Raphiam, et Rinocuram. Mediterraneas autem apud Idumæam, Adora, Mariſſam, Samariam, montem Carmelum, montem Taborem, Scythopolim, Gadara, Gaulanitidem, Seleuciam, et Gabala. Moabitidas autem, Eſebonem, Medabam, Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram, Ciliciam vallem, et Pellam: quam quidem euerterunt, recuſantibus incolis in patrios Iudæorum mores concedere. Tenebant et alias Syriæ vrbes præcipuas, quæ erant euerſæ. Poſtea Alexander ex ebrietate lapſus in morbum, et tribus annis quartana febre vexatus, tamen militia non deſtitit: donec laboribus exhauſtus obiit in Geraſenorum montibus, obſidens præſidium Ragaba trans Iordanem. Regina autem videns eum iam in extremis eſſe, flebat et lamentabatur, ſe ſuosque natos deplorans, qui deſerti relinquerentur, propterea quod Alexander nationi eſſet inuiſus. Ille vero ei conſuluit, quo regnum tuto pueris conſeruaret, vt mortem ſuam milites celaret, donec locum expugnaſſet. Deinde victoriam adepta, ſplendide Hieroſolymam ſe conferret, et Phariſæis poteſtatem aliquam præberet. Hos enim eam ob honorem laudantes, conciliaturos ei nationis beneuolentiam. Poſſe autem apud Iudæos multum, et lædere quos oderint, et iuuare quibus bene velint: maxime enim eis vulgo credi, ſi de quopiam, quamuis per inuidiam, maledicant: ſeque adeo in odium gentis propter eos incurriſſe, quod eos adfeciſſet contumelia. Quare tu, vbi Hieroſolymam perue-

perueneris, arceſſito eorum primarios, et oſtenſo meo corpore, poteſtatem eis facito, probe compoſita ad fidem oratione, vtendi me arbitratu ſuo: teque nihil in regno ſine eorum ſententia facturam promittito. Hæc te ad eos locuta, et ego ſplendidiore funere ab eis efferar, quam a te efferer, propterea quod, quia eis meo corpori illudere licebit, non libebit: et tu tuto regnabis. Hæc ille poſtquam vxorem monuit, vitam finiit, quum quidem regnaſſet annos vigintiſeptem, vixiſſet vndequinquaginta.

CAPVT XXIIII.

Poſt obitum Alexandri, eius vxor Alexandra regnum tenet.

ALexandra vero expugnato præſidio, vt mariti monita poſtulabant, Phariſæos conuenit, et omnibus in eorum poteſtate poſitis, tum de mortuo, tum de regno, eorum in Alexandrum iram ſedauit, eosque beneuolos et amicos reddidit. Itaque in vulgus progreſſi conciones habebant, res geſtas Alexandri celebrantes, et iuſtum ſibi regem periiſſe dicentes: tantumque laudationibus effecerunt, vt populus eum luxerit atque deplorauerit: ita vt magnificentius ſit elatus, quam quiſquam eorum regum qui eum anteceſſerant. Reliquit Alexander filios duos, Hyrcanum et Ariſtobulum: ſed regnum Alexandræ teſtamento commiſit. Ex pueris erat Hyrcanus ad res adminiſtrandas parum habilis, et otioſæ vitæ magis amans: iunior vero Ariſtobulus nauus erat et audax: tamen mulier erat in multitudinis gratia, propterea quod mariti peccata grauiter ferre videbatur. Ea pontificem fecit Hyrcanum, quum propter ætatem, tum multo magis propter eius ſegnitiem, et omnia Phariſæis gerenda permiſit: eisque multitudinem obedire iuſſit. Quod ſi quod inſtitutum Hyrcanus eius ſocer aboleuerat, eorum quæ Phariſæi a patribus accepta tradiderant, id illa reſtituit: denique regni nomen habebat ipſa, ſed poteſtatem habebant Phariſæi. Nam et exſules reuocabant, et vinctos ſoluebant, et vt in pauca conferam, nihil a dominis differebant. Quamquam et femina regni curam gerebat, multosque milites conduxit, et ſuas vires maiores effecit, adeo vt finitimos tyrannos terruerit, et obſides ab eis acceperit: eratque vniuerſa regio quieta, exceptis Phariſæis. Hi enim reginam turbabant, ſuadentes vt eos interficeret, qui Alexandrum monuerant, vt quos ſupra diximus, octingentos necaret. Tandemque ipſi eorum vnum occiderunt, nomine Diogenem: et poſt eum alios ſuper alios, donec tandem potentiores in regiam ingreſſi, vna cum Ariſtobulo (videbatur enim ægre ferre quæ fiebant: et præ ſe ferebat, ſi ſemel vires nactus eſſet, non ſe ea permiſſurum matri) reginæ demonſtrant quantis rebus quanta per pericula feliciter geſtis, ſuam fidem Domino probauerint, pro quibus ab eo magna præmia conſecuti ſint: orantque ne ſuas ſpes velit prorſus in contrarium vertere. Elapſos enim ex hoſtium periculo, nunc domi ab inimicis mactari more pecudum, inultos. Quod ſi aduerſarii iam interfectis contenti ſint, eo ſe eſſe in dominos animo, vt præteritos caſus modice laturi ſint. Sin in eo perſeuerare velint, petere ſe miſſionem. Neque enim eos eſſe, qui ſine regina ſalutem vllam ſibi quærere ſuſtineant: qui libenter in regia morituri ſint, ſi ipſis venia non detur. Turpe quidem et ipſis eſſe, et reginæ, ſi ab ea neglecti, a mariti aduerſariis admittantur. Quiduis enim meritur os Aretam Arabem, ceterosque principes, ſi liceat conducere tot viros, quorum vel nomen fortaſſis terribile ſit eis prius quam auditum. Quod ſi hoc non placeat, at certe ſi Phariſæis tantum tribuere ſtatuit, ſe diuerſos in præſidiis diſponat. Si enim vsque

que adeo Alexandri domum agitent neſcio quæ intemperiæ, ſe quidem non recuſare quo minus in humili conditione viuant. Hæc illis et alia multa dicentibus, et ad mortuorum periclitantiumque miſericordiam Alexandri manes inuocantibus, omnes circumſtantes in lacrimas proruperunt: et maxime Ariſtobulus quomodo eſſet animatus oſtendebat, multum matrem obiurgans. Itaque ipſa non habens quid honeſte faceret, cuſtodiam locorum eis commiſit, excepta Hyrcania, et Alexandrio, et Machærunte, vbi pretioſiſſima quæque habebat. Et haud multo poſt filium ſuum Ariſtobulum cum exercitu miſit Damaſcum, aduerſus Ptolemæum Mennæum, qui grauis erat vrbi vicinus: ſed Ariſtobulus nulla re memorabili geſta, reuerſus eſt. Eo tempore nuntiatur, Tigranes Armeniorum rex cum quingentis hominum millibus inuaſiſſe Syriam, et adorturus Iudæam: quare territa regina atque gens, multa ei magnique pretii dona mittunt, obſidenti Ptolemaidem. Regina enim Selene, quæ et Cleopatra dicebatur, Syriæ imperabat: ea incolas induxit, vt Tigrani portas clauderent. Igitur eum conuenerunt legati, et vt de regina deque gente Iudæorum nihil niſi bonum ſtatueret, orarunt. Ille collaudatis eis, quod ex longinquo ſe coluiſſent, bonam ſpem eis fecit. Iam vero Ptolemaide modo capta, nuntiatur Tigrani, Lucullum, dum Mithridatem perſequitur, illum quidem non eſſe adſecutum, quia in Iberos effugiſſet: ſed Armeniam depopulatum eſſe, atque oppugnare. Itaque Tigranes his cognitis, domum ſe recipere contendit. Poſt hec regina difficili morbo correpta, Ariſtobulus adgrediendas ſibi res arbitratus, noctu clam egreſſus cum vno famulo, adit præſidia, vbi paternos amicos diſpoſitos habebat. Iampridem enim iniquo animo ferens facta matris, longe etiam magis timebat, ne ea mortua, eius vniuerſum genus eſſet in Phariſæorum poteſtate: videbat enim infirmitatem fratris, qui in principatum ſucceſſurus erat. Eius facti conſcia erat ſola coniux, quam ibi cum prole ſua reliquit. Ac primum ad Agaba profectus, vbi Galæſtes homo potens erat, admiſſus eſt ab eo. Orta autem die, ſenſit regina fugam Ariſtobuli, et aliquamdiu arbitrata eſt non rerum nouarum ſtudio diſceſſiſſe. Verum poſtquam alii ſuper alios venerunt, qui nuntiarent illum primum occupaſſe, deinde ſecundum, et omnia (ſtatim enim facto ab vno initio, omnia ad illius arbitrium ſequebantur) tum vero in maximis turbis eſſe, tam regina quam gens. Videbant enim, non multum abeſſe Ariſtobulum, quin ſibi principatum confirmare poſſet: maximeque metuebant, ne pœnam irrogaret eis, quoniam in eius domum debacchati fuiſſent. Itaque viſum eſt eis, eius vxorem et liberos in præſidio collocare, quod ſupra fanum erat. Ariſtobulus autem tam magnam manum fecit, vt iam ornatu regio ſtiparetur. Nam diebus fere quindecim occupauit loca vigintiduo, quibus opibus exercitum colligebat a Libano et Trachone, et principibus. Homines enim maiorem partem ſequentes, facile obtemperabant: accedebat eo, quod ſperabant, ſi eum in rebus non ſperatis adiuuiſſent, non minus ſe quoque futuros in regno, vt qui ei eius obtinendi cauſſa extitiſſent. Iudæorum vero ſeniores, et Hyrcanus, reginam adierunt, et vt ſuper inſtantibus periculis conſilium daret, orarunt. At illa iuſſit, vt quod vtile iudicarent, id facerent: reſtare eis multas facultates, gentem validam, exercitum, et fiſci pecuniam: ſibi quidem parum iam curæ eſſe negotia, poſtquam iam corpore deficeretur. Hæc fata, non multo poſt obiit, cum quidem regnaſſet annos nouem, vixiſſet tres et ſeptuaginta.

FLA-

FLAVII IOSEPHI ANTIQVITATVM IVDAICARVM LIBER DECIMVS QVARTVS.

CAPVT I.

Ariſtobuli et Hyrcani de regno bellum, vtque inter eos ita conuenerit, vt Ariſtobulus regnaret, Hyrcanus priuatam vitam degeret.

IGitur quum Hyrcanus pontificatum iniiſſet, Quinto Hortenſio, Quinto Metello conſulibus, bellum ei confeſtim intulit Ariſtobulus: et commiſſo apud Hierichuntem prœlio, multi de Hyrcani militibus ad fratrem defecerunt. Quo facto, fugit in arcem Hyrcanus, in qua Ariſtobuli vxor et liberi a matre in cuſtodiam dati fuerant, vt iam diximus: et aduerſarios, qui intra templi ſeptum confugerant, expugnauit. Deinde cum fratre de compoſitione verba fecit, pacemque compoſuit iis conditionibus, vt regnaret Ariſtobulus, ipſe otioſam vitam ageret, ſuiſque facultatibus frueretur placide. Hoc fœdere facto, in eorum præſentia, qui erant in templo, quum quidem pacta iureiurando et dexteris confirmaſſent, et inuicem ſpectante vniuerſa multitudine complexi fuiſſent, diſceſſerunt: Ariſtobulus in regiam: Hyrcanus, vt homo priuatus, in ædes Ariſtobuli.

CAPVT II.

De Antipatro, et eius genere: et quomodo ad claritatem et potentiam ipſe eiusque filii peruenerint: item Hyrcani fuga ad Aretam regem Arabum.

ERat Hyrcano amicus quidam Idumæus, nomine Antipater, homo pecunioſus, natura nauus et ſeditioſus, qui ab Ariſtobulo diſſidebat Hyrcani beneuolentia. Hic Antipater, Antipas primum dicebatur, patre eiusdem nominis: quem quum rex Alexander et eius uxor totius Idumææ præfectum conſtituiſſent, aiunt feciſſe amicitiam cum Arabibus, et Gazæis, et Aſcalonitis, qui ſecum ſentirent, eosque ſibi multis et magnis muneribus conciliauiſſe. Igitur hic iuuenis Antipater ſuſpectam habens Ariſtobuli potentiam, et ſibi propter ſuum in illum odium metuens, excitat aduerſus eum clandeſtinis colloquiis Iudæorum primates: iniquum eſſe dicens, pati, vt Ariſtobulus iniuſte principatu potiatur: et de eo fratrem deiecerit, cui propter ætatem deberetur imperium. Hos ille ſermones adſidue cum Hyrcano habebat: eique de vita periculum eſſe dicebat, niſi caueret, et illum de medio tolleret. Amicos enim Ariſtobuli nullum omittere tempus, quin ei conſulerent, vt Hyrcanum tolleret, quaſi ita demum firmum habiturus principatum. His ſermonibus Hyrcanus non credebat, quod erat natura bonus, et calumniam pro ſua æquitate haud facile admittebat. Igitur Antipater vbi Hyrcanum ſuis dictis aurem non præbere videt, non deſinebat quotidie Ariſtobulum apud eum fictis criminibus in inuidiam vocare, quaſi qui eum vellet interficere: vixque tandem perpulit, vt ad Aretam Arabum regem perfugeret, pollicitus, ſi ſibi obtemperaſſet, ſe ei opem eſſe laturum. Itaque miſit Hyrcanus primum Antipatrum ad regem Arabum, vt ab eo fidem acciperet, non eſſe inimicis traditurum, ſi ad eum ſupplex veniſſet Hyrcanus. Hac fide accepta, Antipater ad Hyrcanum rediit Hieroſolymam:

nam: et haud multo poſt adſumto eo, noctu egreſſus vrbe, et longo itinere expedito, eum in vrbem Petram perducit, vbi erat Aretæ regia: et vt regi in primis amicus, orat, vt Hyrcanum reducat in Iudæam: et idem ſingulis diebus ſine intermiſſione faciendo, quinetiam dona dando, perſuadet. Neque non Hyrcanus Aretæ promiſit, ſi reductus, et in regnum reſtitutus eſſet, redditurum regionem, et duodecim vrbes, quas Alexander ipſius pater ab Arabum rege abſtuliſſet. Eæ erant, Medaba, Naballo, Libias, Tharabaſa, Agalla, Athone, Zoara, Oronæ, Mariſſa, Rydda, Luſſa, et Oryba.

CAPVT III.

Ariſtobulus prælio victus Hieroſolymam compellitur.

His promiſſis permotus Aretas, expeditionem fecit in Ariſtobulum, cum quinquaginta equitum ſimul et peditum millibus, eumque prælio vicit: poſtquam victoriam quum multi ad Hyrcanum defeciſſent, deſertus Ariſtobulus, Hieroſolymam fugit. At rex Arabum vna cum toto exercitu fanum adgreſſus, oppugnat Ariſtobulum, populo ab Hyrcano ſtante, et oppugnationem adiuuante, ſolis ſacerdotibus Ariſtobulum defendentibus. Igitur Aretas, iunctis Arabum Iudæorumque caſtris, obſidionem acriter vrget, id quod tempore feſtorum Paſchæ factum eſt: quamobrem Iudæorum præcipui, relictis ſuis finibus, fugerunt in Aegyptum. Erat quidam Onias vir iuſtus, et Dei amicus, qui aliquando quum ſiccitas eſſet, pluuiam a Deo precibus impetrauerat, et ardores depulerat: is ſeſe abdidit, quoniam durare ſeditionem videbat. Sed illi eo in Iudæorum caſtra perducto, poſtulant, vt quemadmodum ſiccitatem precibus finierat, ita nunc Ariſtobulum et eius factionis homines diris ageret. Quumque contradicens et deprecans, coactus eſſet a multitudine, ſtans in medio eorum ſic fatur: O Deus rex vniuerſitatis, quandoquidem qui mecum nunc ſtant, tuus populus eſt: Itemque qui obſidentur, ſacerdotes tui ſunt: precor, vt neque contra hos illos audias, neque quæ hi contra illos orant, ad exitum perducas. Hæc illum precatum circumſtantes Iudæorum peſſimi quique, lapidibus necarunt: cuius rei pœnam Deus eis mox irrogauit, vt iam dicemus. Ariſtobulus et ſacerdotes obſeſſi, petierunt ab obſeſſoribus, vt quoniam eiusdem gentis eſſent, victimas ſibi in Paſcha præberent, et pro iis quantam vellent pecuniam acciperent. Quumque illi in ſingula capita mille drachmas exigerent, Ariſtobulus et ſacerdotes conditionem libenter acceperunt, et demiſſam per muros pecuniam illis dederunt. At illi accepta pecunia, victimas non præbuerunt. Itaque decepti contra fidem datam ſacerdotes, Deum orarunt, vt ſe in conſanguineos ſuos vlciſceretur: id quod ille nulla interpoſita mora fecit. Nam immiſſo magno violentoque vento, totius regionis fruges corrupit, adeo vt tritici modius vndecim drachmis emeretur.

CAPVT IIII.

Hyrcani et Ariſtobuli legationes de auxilio ad Scaurum.

Interea mittit Scaurum in Syriam Pompeius, qui erat in Armenia, et adhuc aduerſus Tigranem belligerabat. Scaurus ad Damaſcum profectus, Lolliumque et Metellum, qui modo vrbem ceperant, nactus, ipſe in Iudæam contendit. Eo poſtquam venit, conueniunt eum ab Ariſtobulo et ab Hyrcano legati, auxilium poſtulantes vtrique, pollicente Ariſtobulo quadringenta talenta, Hyrcano vero non pauciora. At ille Ariſtobuli promiſſionem accepit, quippe hominis pecunioſi et magnifici, et æquiora poſtulantis:

tis: quum Hyrcanus pauper et parcus eſſet, et incredibilia polliceretur, quum maiora poſtularet. Nec enim eiusdem facilitatis erat, vrbem expugnare longe munitiſſimam atque potentiſſimam, aut fugitiuos depellere cum Nabatæorum turba ad bellum non admodum idonea. Has ob cauſſas cum Ariſtobulo paciſcitur: acceptaque pecunia ſoluit obſidionem, iubens Aretam diſcedere, niſi velit Romanorum hoſtis declarari. Et Scaurus quidem Damaſcum iterum petiit. Ariſtobulus vero cum magnis copiis in Aretam et Hyrcanum expeditionem fecit: et cum eis ad locum, qui Papyron appellatur, congreſſus, prœlio ſuperat: et hoſtium circiter 7000 interficit, cum quibus cecidit Cæphalio frater Antipatri.

CAPVT V.

Ariſtobulus et Hyrcanus Pompeium conueniunt de regno diſceptaturi.

Non multo poſt, quum Pompeius Damaſcum veniſſet, et Cœleſyriam obiret, venerunt ad eum legati ex tota Syria et Aegypto et Iudæa. Miſit enim ei ingens donum Ariſtobulus, vitem auream ex quingentis talentis. Itemque non multo poſt venerunt rurſus ad eum legati, Antipater pro Hyrcano, et Nicodemus pro Ariſtobulo, qui Nicodemus eos accuſauit, qui pecunias acceperant, primum Gabinium, deinde Scaurum: quorum hic quinquaginta, ille trecenta talenta acceperat: quæ accuſatio hos quoque præter alios Hyrcano fecit inimicos. Pompeius iuſſis iis, qui controuerſias habebant, ineunte vere venire, educto ex hybernis exercitu, in Damaſcenum agrum contendit: et in tranſitu arcem Apamiæ, quam tenebat Cyzicenus Antiochus, ſolo æquauit: et Ptolemæi Mennæi filii regionem conſiderauit, hominis mali, qui mille talentis peccatorum ſuorum pœnam redemit, quibus Pompeius militibus ſtipendium ſoluit. Expugnauit et Lyſiadem, cuius loci tyrannus erat Silas Iudæus. Hoc facto venit Damaſcum, vbi Iudæos eorumque duces audiuit, videlicet Hyrcanum et Ariſtobulum, qui et ipſi inter ſeſe diſſidebant, et gens ab vtroque. Imperium enim detrectabat: quippe patrium eſſe ſacerdotibus eius Dei, qui apud ipſos coleretur, vt obedirent: nunc hos ſacerdotibus prognatos, conari in aliam principatus rationem transferre gentem, vt in ſeruitutem redigatur. Hyrcanus Ariſtobulum accuſabat, quod ab eo grandior ipſe, priuatus eſſet iure ætatis: paruamque terræ partem ſub ſe haberet, reliquam vi abſtuliſſet Ariſtobulus: eumque eſſe criminabatur, qui et incurſionum in finitimos agros, et in mari piratarum auctor exſtitiſſet: gentem quidem numquam fuiſſe rebellaturam, niſi ille violentus et turbidus fuiſſet. Atque hæc ei atteſtabantur ſupra mille de Iudæorum illuſtrisſimis, ab Antipatro ſubornati. Ariſtobulus vero eum principatu excidiſſe ſuæ ipſius naturæ culpa contendebat, quæ ignaua eſſet, ideoque facile contemneretur: ſe vero, ne imperium ad alios transferretur, id neceſſario ſubiiſſe, quod ſi rex appellaretur, et patrem ſuum Alexandrum idem ante ſe appellatum fuiſſe. Atque harum teſtes citabat iuuenes quosdam inſolentiores, purpura et coma, et reliquo nobilitatis inuidioſo ornatu comatos, quem non quaſi cauſſam dicturi, ſed quaſi pompam obituri ſumſerant. Pompeius his auditis, Ariſtobulum de vi condemnauit, ac tum eos comiter adlocutus dimiſit: ſeque in eorum terram profectum, omnia compoſiturum dixit, poſtquam prius Nabatæorum res inſpexiſſet. Interea quietos ſe tenere iuſſit: Ariſtobulum ſimul colens, ne nationem auerteret, quæ res ipſi Pompeio aditus præcluderet. Neque tamen non eſt id ab Ariſtobulo factum. Nam nulla re exſpectata earum, de

quibus cum eo Pompeius collocutus erat, in vrbem Delium, et inde in Iudæam profectus eſt.

CAPVT VI.

Pompeius callide præſidia occupat.

HIs iratus Pompeius, adſumto quem in Nabatæos ducebat exercitu, et a Damaſco reliquaque Syria auxilio cum his quas habebat legionibus romanis in expeditionem profectus eſt aduerſus Ariſtobulum. Atque vbi præterita Pella et Scythopoli, ad Coreas venit, quod per mediterranea obeunti initium eſt Iudææ, miſit ſignificatum Ariſtobulo (qui ſe in pulcherrimum caſtellum Alexandrium, illic in montis vertice ſitum, receperat) vt ad ſe veniret. Ille, monentibus multis, ne cum Romanis bellum gereret, deſcendit: et poſtquam cum fratre de potentatu diſceptauit, iterum in arcem adſcendit permiſſu Pompeii: idque iterum et tertio fecit, ſimul ſpe regni Pompeio obſecundans, et ad omnia eius imperata ſe obedientem eſſe ſimulans: ſimul in caſtellum ſe, ne vires amitteret, recipiens, et ad bellandum opes ſibi parans, veritus ne principatum Pompeius transferret ad Hyrcanum. Ac iubente Pompeio, vt caſtella traderet, et præſidiorum præfectis ſua manu ſcriberet (alioquin interdictum erat, ne Pompeium admitterent) paruit ille quidem: ſed ægre id ferens, Hieroſolymam conceſſit, ſeque ad bellum præparauit. Atque haud multo poſt, Pompeio aduerſus eum copias ducenti, quidam in via, qui a Ponto venerant, Mithridatis, obitum nuntiant, qui a Pharnace filio ſuo peremtus erat.

CAPVT VII.

Hieroſolymitani portas Romanis claudunt.

QVumque apud Hierichuntem caſtra habuiſſet, mane Hieroſolymam contendit. Et Ariſtobulus mutata ſententia, eum adit, et pecuniam offert: ſeque eum intra Hieroſolymam admiſſurum dicit: orat vt bello ſuperſedeat, et quæ velit cum pace faciat. Itaque veniam dans oranti Pompeius, Gabinium mittit et milites, ad pecuniam et vrbem accipiendum:, neque tamen quidquam horum factum eſt. Quin reuerſus eſt Gabinius vrbe excluſus, nec accepta pecunia, quod Ariſtobuli milites conuenta ſeruari non permiſerunt. Has ob cauſſas ira incenſus Pompeius, Ariſtobulum in cuſtodiam dat: ipſe ad vrbem vadit, cetera firmam, tantum ſeptentrionali parte leuius munitam. Circumdabat enim eam lata profundaque vallis, intra ſe fanum comprehendens, lapideo muro firmiſſime cinctum.

CAPVT VIII.

Pompeius fanum et inferiorem vrbem expugnat.

ERat autem hominum intus disſidium, dum alii dedendam vrbem Pompeio cenſent: alii, qui Ariſtobulo fauebant, claudendas portas, et armis repugnandum monent: quoniam Ariſtobulus in vinculis haberetur. Atque hi fanum occuparunt, et pontem, qui ab eo in vrbem ferebat, interrupuerunt, ſeſe ad ſuſtinendam obſidionem parantes. Alii admiſſo exercitu, vrbem Pompeio et regiam tradiderunt. Pompeius

iùs miſſo Piſone legato cum exercitu, vrbem et regiam præſidiis firmat: domoſque fano adiacentes, et omnia quæ foris circa templum erant munit: ac primum iis, qui intus erant, de pace verba facit. Deinde quum illi in quas offerebat conditiones non deſcenderent, circumiecta loca muro ſepſit, Hyrcano ad omnia ſtudioſe ei ſubſeruiente: ipſe caſtra collocauit extra, a fani parte ſeptemtrionali, qua erat expugnabile. Stabant et ibi magnæ turres, et depreſſa foſſa, circumdante profunda valle. Erat enim prærupta pars ea, quæ in vrbem ſpectabat, interrupto ponte, qua parte degebat Pompeius, et agger quotidie magno labore ſurgebat, ſecantibus proximas arbores Romanis. Perfecto opere, et foſſa ægre, propter infinitam altitudinem completa, Pompeius admotis machinis, et tormentis a Tyro adlatis, fanum ſaxis miſſilibus quatere inſtitit. Quod niſi nobis patrium fuiſſet, ſeptimis diebus feriari, non fuiſſet, perfectus agger, illis prohibentibus. Prœlio enim laceſſentes et ferientes hoſtes repellere permittit lex: ſed aliud quidpiam agentes, non patitur. Id intelligentes Romani, ſabbatis neque Iudæos telis petebant, neque cum eis manus conſerebant: ſed aggerem et turres excitabant, et machinas admouebant, quibus poſtridie vterentur. Interea ſacerdotes nihilo ſecius rem diuinam ad aram bis quotidie facere, mane et hora nona: neque ſi quid in oppugnatione detrimenti acceptum erat, ſacrificia omittere. Etenim capta vrbe (id quod accidit menſe tertio, die ieiunii, Gaio Ant. et M. Tul. Cic. conſulibus) cum vi ingreſſi hoſtes eos qui erant in fano iugularent: tamen qui ſacra procurabant, nihilo ſecius rem diuinam facere perſeuerabant. Igitur poſtquam admota machina, concuſſa maxima turrium cecidit, ſecumque ruinam traxit, irrupuerunt hoſtes, et omnia cæde complerunt: ac Iudæorum alii a Romanis, alii a ſuis occidebantur: nonnulli per prærupta ſeſe deiiciebant, aut ſuccenſis domibus ſeipſos comburebant: cecideruntque Iudæorum ad duodecim millia, Romanorum autem perpauci. Captus eſt Abſalomus, Ariſtobuli auunculus, et idem ſocer. Pompeius vero, et eius comitum non pauci, in penetrale ingreſſi ſunt, quod antea acciderat numquam, et ea viderunt, quæ ſolis pontificibus videre fas erat. Quamquam templi ſupellectilem, et aromata, et ſacram pecuniam (ea erat ad duo millia talentorum) non attigit: ac poſtridie æditimis, vt fanum purgarent, iuſſit, vtque Deo libarentur, quæ lex iuberet: et pontificatum reſtituit Hyrcano, tum propter alia eius erga ſe officia, tum quia Iudæos incolas Ariſtobulo auxiliari prohibuerat. Item belli auctores ſecuri percuſſit, et Hieroſolymam Romanis vectigalem fecit: quæque Cœleſyriæ oppida incolæ ſubegerant, ab eis abſtulit, et Romano prætori ſubiecit: vniuerſamque gentem, quæ prius tantopere efferebatur, intra ſuos fines concluſit. Item Gadara paullo ante euerſa inſtaurauit, in gratiam Demetrii Gadarenſis, liberti ſui. Reliqua oppida, Hippum, Scythopolim, Pellam, Dium, Samariam, itemque Mariſſam, Azotum, Iamniam, et Arethuſam, ſuis habitatoribus reſtituit. Hæc omnia oppida mediterranea, præter euerſa: itemque maritima, Gazam, Ioppem, Dora, et turrim Stratonis, Pompeius libera eſſe ſiuit, prouinciæque attribuit. Deinde Cœleſyria vſque ad Euphratem Scauro tradita, necnon duabus Romanorum legionibus in Ciliciam contendit, Romam ire feſtinans. Duxit etiam ſecum Ariſtobulum vinctum, cum eius prole, videlicet duabus filiabus, et totidem filiis: quorum Alexander aufugit, iunior vero Antigonus Romam vna cum ſuis ſororibus deportatus eſt.

CAPVT IX.

Scaurus in Petram facit expeditionem: et Antipater Arabi perſuadet, vt cum eo fœdus faciat.

QVum autem Scaurus in Petram (ea eſt Arabiæ regia) expeditionem feciſſet, et propter difficilimum ad eam aditum, finitimum agrum depopularetur, et exercitus fame laboraret, Antipater Hyrcani iuſſu frumentum ex Iudæa, et alia quibus opus erat, præbebat: miſſusque ad Aretam legatus a Scauro, quoniam eius hoſpes eſſet, perſuaſit, vt pecunia vaſtationem agri redimeret: et ipſe trecentorum talentorum ſponſor fuit. His conditionibus Scaurus bellum finiuit: neque minus eo lætatus eſt, quam ipſe Aretas.

CAPVT X.

Alexander a Gabinio pugna victus, et in caſtellum quoddam compulſus obſidetur.

ALiquanto tempore poſt Alexandro Ariſtobuli filio Iudæam incurſante, imperator Gabinius Roma venit in Syriam: et præter alia memoratu digna, in Alexandrum arma mouit, quum quidem Hyrcanus Alexandri vires ſuſtinere amplius nequiret, ſed iam Hieroſolymæ murum a Pompeio dirutum erigere inſtitueret, quod fieri prohibuerunt, qui illic erant Romani. Itaque regionem obiens multos Iudæorum armabat, collegitque celeriter decem millia peditum, et mille quingentos equites, et Alexandrium munire adgreſſus eſt (id apud Coreas caſtellum eſt) et Machæruntem apud montes Arabiæ. Igitur eum adgreditur Gabinius, præmiſſo Marco Antonio cum aliis ducibus, qui armatis quos ducebant Romanis, et præterea Iudæis, qui eis parebant, quibus Pitholaus et Malichus præfecti erant, adſumto inſuper Antipatri auxilio, obuiam iuerunt Alexandro, ſequente cum graui armatura Gabinio. Alexander vero prope Hieroſolymam ſe recepit; et commiſſo ibi prœlio, interfecerunt Romani hoſtium circiter tria millia, ceperuntque non pauciores. Interea Gabinius ad Alexandrium profectus, eos qui intus erant inuitabat ad compoſitionem, veniam eis ante peccatorum ſeſe daturum promittens. Deinde relicta ibi parte exercitus, ad expugnandum locum ipſe in reliquam Iudæam proficiſcitur: ac in quæcumque incidebat euerſa oppida, inſtaurari iubebat. Itaque refecta ſunt Samaria, Azotus, Scythopolis, Anthedon, Raphia, Dora, Mariſſa, Gaza, et alia non pauca: dumque homines Gabinii mandatis parent, accidit tum vt ea oppida tuto incolerentur, poſtquam diu deſerta fuerant. His ille per regionem factis, reuertitur ad Alexandrium: et dum obſidionem intendit, mittit ad eum legationem Alexander, veniam petens, et de caſtellis tradens Hyrcaniam et Machæruntem, tandemque etiam Alexandrium, quæ quidem Gabinius diruit. Quumque mater Alexandri quæ Romanorum partes propterea fouebat, quod eius vir ceterique liberi Romæ habebantur, ad eum veniſſet, conceſſit ei quæ poſtulabat: et compoſitis eius negotiis, Hyrcanum duxit Hieroſolymam, habiturum fani curam. Deinde conſtitutis quinque iuridicis conuentibus, in totidem partes gentem diuiſit, ita vt alii ius peterent ad Hieroſolyma, alii ad Gadara, alii ad Amathuntem, quarti ad Hierichuntem, et quinti ad Samphora Galilææ. Ita principatu liberati Iudæi, deinceps ab optimatibus regebantur.

CAPVT

CAPVT XI.

Ariſtobulum a Roma in Iudæam profugum comprehendit Gabinius, Romamque reuertitur.

QVum autem Ariſtobulus Roma in Iudæam profugiſſet, et Alexandrium, quod nuper fuerat euerſum, reficere inſtitueret, miſit Gabinius aduerſus eum milites, et duces Siſennam et Antonium, et Seruilium, qui locum ab eo occupari prohiberent, ipſumque comprehenderent. Multi autem Iudæorum ad Ariſtobulum confluebant, tum propter veterem eius gloriam, tum quia nouis rebus ſtudebant: itaque Pitholaus quidam, qui Hieroſolymis legatus erat, cum mille hominibus ad eum perfugit. Sed eorum qui ei ſe adiungebant, plerique erant inermes: itaque quum ad Machæruntem ſe conferre ſtatuiſſet Ariſtobulus, eos dimiſit, quod non eſſent inſtructi, adſumtisque armatis, qui erant circiter octo millia, profectus eſt. Sed Romanis eos acriter adgreſſis, victi ſunt egregie Iudæi: et animoſe prœliati, hoſtium vi in fugam verſi ſunt, amiſſis ſuorum ad quinque millia. Reliqui palantes, vt poterant, ſibi conſulere conabantur. Ariſtobulus tamen, plus mille ſecum habens, effugit ad Machæruntem, locumque munire inſtituit: et quamuis rebus adflictis, nihilominus bonas ſpes habebat. Sed poſtquam duos dies obſidionem ſuſtinuit, multis vulneribus acceptis, capitur cum Antigono filio ſuo, qui vna cum eo Roma aufugerat, et ad Gabinium ducitur, atque ita Romam iterum mittitur, quum quidem rex et pontifex fuiſſet annos tres et ſex menſes, vir præclarus et magni animi. Verum eius liberos dimiſit ſenatus, propterea quod ſcripſit Gabinius, id ſe eorum matri caſtella tradenti promiſiſſe; atque ita rediere tum in Iudæam. Gabinius vero dum in Parthos ducit exercitum, traiecto iam Euphrate, mutauit ſententiam: reuerſusque eſt in Aegyptum, vt ibi Ptolemæum in integrum reſtitueret. Atque in ea quidem expeditione quam fecit aduerſus Hyrcanum, Antipater ei frumentum et arma et pecuniam ſuppeditauit; eique Iudæos, qui ſupra Peluſium collocati, cuſtodes erant adituum Aegypti, conciliauit, ſociosque fecit. Deinde reuerſus ex Aegypto Gabinius, Syriam offendit ſeditione et tumultu laborantem. Nam Ariſtobuli filius Alexander, recuperato iterum per vim principatu, multos Iudæorum ad defectionem impulit: ingentique manu regionem incurſans, interficiebat quotquot nactus erat Romanos, qui in montem Garizim confugerant, eosque acriter obſidebat. Igitur Gabinius hunc Syriæ ſtatum nactus, Antipatrum hominem prudentem præmittit ad rebelles, ſi forte eos ad ſaniorem mentem reuocare poſſet. Antipater eo profectus, multos ad ſanitatem reduxit; verum Alexandrum retinere non potuit. Quum enim triginta Iudæorum millia haberet, obuiam iuit Gabinio: et cum eo congreſſus, victus eſt, amiſſis ſuorum decem millibus, apud montem Taborem. Deinde Gabinius conſtitutis ad Antipatri voluntatem vrbis Hieroſolymæ rebus, in Nabatæos vadit, eosque prœlio ſuperat. Hoc facto Romam repetiit, tradita Craſſo prouincia.

CAPVT XII.

Craſſus in expeditione contra Parthos in Iudæam adſcendit, ſacrasque pecunias depeculatur.

CRaſſus autem in Parthos expeditionem parans, venit in Iudæam: et ſublata quæ in templo erat pecunia, quam Pompeius reliquerat, (ea erat duo millia talentorum) paratus erat omni auro (ea erant

octo millia talentorum) ſpoliare templum. Cepit et trabem ſolido auro factam ex minis trecentis (vna mina apud nos valet duas libras et dimidiam) quam quidem trabem ei tradidit quæſtor ſacerdos Eleazarus, non malitia ille quidem, quippe vir bonus et iuſtus. Sed quum concreditam haberet velorum templi cuſtodiam, quæ et pulchritudine miranda, et opere ſumtuoſa erant, et ab ea trabe dependebant, videretque Craſſum colligendo auro incumbentem, metuens de vniuerſo templi ornatu, trabem ei auream, in omnium redemtionem dedit: quum quidem eum iureiurando adſtrinxiſſet, nihil aliud ex templo moturum, ſed eo contentum fore, quod ab ipſo daretur, quod quidem eſſet multorum millium. Erat autem ea trabs in lignea trabe caua, quam rem ſolus ſciebat Eleazarus. At Craſſus et hanc, tamquam nihil aliud tacturus eorum quæ eſſent in templo, ſumſit: et contra iusiurandum omne templi aurum ſuſtulit, quod quidem erat vrbis ærarium. Nam Iudæi nullum habent publicum theſaurum, ſed tantum diuinum. Deinde omnibus arbitratu ſuo compoſitis, in Parthyæam profectus eſt, et ibi cum vniuerſo exercitu conciſus. Caſſius vero in Syriam fugit, eaque potitus, Parthos arcebat, qui eam, ob partam de Craſſo victoriam, incurſionibus vexabant. Deinde rurſus ad Tyrum profectus, adſcendit etiam in Iudæam, et Tarichæas primo impetu expugnauit, et triginta circiter millia captiuorum cepit, et Pitholaum Ariſtobuli ſeditionis ſucceſſorem interfecit hortatu Antipatri. Habebat is Antipater apud eum magnam auctoritatem, et magnæ tum erat exiſtimationis etiam apud Idumæos, a quibus vxorem duxit ex nobili Arabiæ familia nomine Cyprum, ex qua liberos quatuor ſuſtulit, Phaſaelum, et Herodem, eum qui poſtea rex fuit, et Ioſephum, et Pheroram, et filiam Salomen. Coniunxerat et alios ſibi principes amicitia et hoſpitio, et potiſſimum Arabem, apud quem etiam liberos depoſuit, dum bellum gerit cum Ariſtobulo. Igitur Caſſius motis caſtris, ad Euphratem contendit, vt inuadentibus illac hoſtibus occurreret.

CAPVT XIII.

Pompeii fuga in Epirum, et Scipionis aduentus in Syriam.

Aliquanto poſt Cæſar potitus Roma, poſtquam Pompeius et Senatus trans Ionium mare fugerant, ſolutum vinculis Ariſtobulum decreuerat in Syriam mittere, traditis ei duabus legionibus, vt illic negotia poſſet componere. Sed antequam fieri id poſſet, Pompeiani Ariſtobulum veneno ſuſtulerunt, eumque Cæſariani ſepeliuerunt: iacuitque corpus eius diu melle conditum, donec id Antonius poſtea miſit in Iudæam, et in regum feretris condendum curauit. Scipioni vero ſcripſit Pompeius, vt Alexandrum Ariſtobuli filium, propter eius ſuperiora in Romanos commiſſa, interficeret: id quod ille fecit, eumque Antiochiæ ſecuri percuſſit. Eius fratres ad ſe recepit Ptolemæus Mennæi filius, rector Chalcidis, vrbis ſub monte Libano poſitæ: miſſoque filio ſuo Philippione Aſcalonem ad Ariſtobuli coniugem, iuſſit eam vna mittere filium ſuum Antigonum, et filias: quarum alterius Alexandræ amore captus Philippio, eam duxit vxorem. Poſtea pater eius Ptolemæus eo interfecto, duxit Alexandram, eiusque fratrum deinceps curam gerebat.

CAPVT

CAPVT XIIII.

Cæſaris in Aegyptum expeditio, et vt ei Iudæi ſuccurrerint.

POſt Pompeii mortem, Cæſariſque victoriam, ei in Aegypto bellum gerenti, ad multa vtilem ſe præbuit Antipater Iudæorum adminiſtrator, Hyrcani iuſſu. Ad Mithridatem enim Pergamenum auxilium ducentem, neque per Peluſium iter facere valentem, ſed apud Aſcalonem hærentem, venit Antipater, ſecum habens Iudæorum peditum tria millia: perfecitque vt ex Arabia primates venirent auxilio: eiusque opera Syri omnes auxilium Cæſari tulerunt, videlicet Iamblichus dynaſta, et Ptolemæus eius filius, et Tholomæus Sœmi, Libani montis incola, et ciuitates pæne omnes. Mithridates vero a Syria profectus, Peluſium venit. Quumque ab illis non admitteretur, vrbem oppugnauit, ibique fortem operam nauauit Antipater, et primus detracta muri parte, ceteris aditum in vrbem patefecit: atque id Mithridates Peluſium obtinuit. Deinde Antipatrum et Mithridatem ad Cæſarem euntes, prohibebant Aegyptii Iudæi, regionem, quæ Oniæ dicebatur, incolentes. Verum Antipater eis perſuaſit, vt idem cum cognatis ſuis ſentirent, maxime oſtenſis Hyrcani pontificis litteris, in quibus eos, vt eſſent Cæſaris amici, monebat, et exercitum muneribus omnibusque neceſſariis iuuarent. Itaque quum viderent Antipatrum et pontificem conſentire, paruerunt: quos vbi acceſſiſſe audiuerunt Memphitici, vocauerunt et ipſi Mithridatem: et Mithridates eo profectus, eos quoque adſumſit.

CAPVT XV.

Antipatri egregium factum, et cum Cæſare amicitia.

DEinde vbi ad locum ventum eſt, qui Delta vocatur, congreſſus eſt cum hoſtibus ad caſtra Iudæorum (vt dicuntur) quo quidem in congreſſu habebat Mithridates dextrum cornu, Antipater ſiniſtrum. Ibi commiſſo prœlio inclinat Mithridatis cornu, et in extremo periculo verſatur. Sed Antipater ſecundum fluminis ripam cum ſuis militibus currens, victis iam a ſe hoſtibus, illum liberat, et victores Aegyptios in fugam vertit: et in iis perſequendis ita perſeuerat, vt eorum caſtris potitus ſit, Mithridatemque reuocauerit, qui pulſus longiſſime aberat. Ceciderunt ex Mithridatis hominibus ad octingentos, Antipatri quinquaginta. Mithridates vero de his ſcripſit ad Cæſarem, victoriam ſimul ſalutemque ſuam Antipatro acceptam ferens: ita vt Cæſar et tunc Antipatrum collaudauerit, et eius opera toto bello in maximis periculis vſus ſit, vsque adeo, vt Antipatrum in prœliis vulnerari contigerit. Aliquanto tempore poſt Cæſar, quum finito bello in Syriam nauigaſſet, magnum ei honorem habuit, Hyrcano pontificatum confirmando, et Antipatrum Romana ciuitate, omniumque immunitate donando. Tunc et Antigonus Ariſtobuli filius Cæſarem adgreſſus, fortunas ſuas deplorat, Hyrcanumque et Antipatrum accuſat, qui gentem per vim regerent, et ipſi Antigono iniuriam feciſſent. Verum Antipater, qui præſens aderat, ita cauſſam ſuam defendit, vt Cæſar Hyrcanum pontificem pronuntiarit: et Antipatro poteſtatem dederit, quantam Antipater ipſe, opinione data, eligere voluit, eumque Iudææ procuratorem fecerit.

CAPVT XVI.

Quem honorem Romani et Athenienſes Hyrcano habuerint.

PErmiſit et roganti Hyrcano Hieroſolymæ muros reficere, qui adhuc iacebant, a Pompeio diruti: ſcripſitque Romam ad conſules, vt id ſcriptum proponeretur in Capitolio: qua de re factum eſt ſenatus conſultum. Eidem Hyrcano honos habitus eſt a populo Athenienſi, quoniam in eos multa beneficia contuliſſet: ſcripſeruntque ea de re plebiſcitum, quod ei decreta ad eam rem nominatim legatione miſerunt. Cæſar vero ordinatis Syriæ rebus, per mare diſceſſit. Et Antipater, poſtquam deducto a Syria Cæſare in Iudæam rediit, confeſtim deiecta a Pompeio mœnia reficit: et regionem obiens, tumultum, qui in ea erat, opprimit, partim minando, partim vt quieſcerent conſulendo. Si enim ab Hyrcano ſtarent, acturos feliciter, et ſuis bonis abſque turba fruituros: ſin rerum nouarum ſpe ducerentur, et ab eis quæſtum ſectarentur, ipſum Antipatrum habituros pro præfecto dominum, Hyrcanum pro rege tyrannum, Romanos vero et Cæſarem pro ducibus hoſtes acerbos: neque enim paſſuros eum ſubmoueri, quem conſtituiſſent ipſi.

CAPVT XVII.

Antipater filiis adminiſtrationem mandat, Herodi Galilæa, Phaſaelo Hieroſolymorum. Sextus Cæſar magnum et glorioſum facit Herodem.

VIdens autem Hyrcanum tardum eſſe atque ſegnem, Phaſaelum filiorum ſuorum natu maximum Hieroſolymorum finitimique agri præfectum conſtituit. Herodi vero, qui illum ætate ſequebatur, Galilæam commiſit, iuueni plane: neque enim decimum quintum ætatis annum exceſſerat. Sed licet iuuenis, inuenit tamen exercendæ ſuæ virtutis rationem. Nactus enim Ezechiam latronum ducem, magna manu finitima Syriæ incurſantem, comprehendit atque interficit, et multos eius gregales latrones: quod quidem eius facinus Syris accidit gratiſſimum. Itaque eum hanc ob cauſam paſſim per vrbes vicosque prædicabant. Hæc res fecit vt innoteſceret Sexto Cæſari, cognato magni Cæſaris, et Syriæ res procuranti. Ex hoc Herodis facto æmulatio nata eſt Phaſaelo eius fratri; adeoque eius celebritate motus eſt, vt ſtuduerit non deteriorem ſibi parare famam, et Hieroſolymitas ſibi reddiderit amiciſſimos, vrbem quidem per ſe regendo, ſed ita vt nec inhoneſte rebus vteretur, neque poteſtate ad cuiuſquam iniuriam abuteretur. His rebus efficiebatur, vt Antipater a gente regio more coleretur, et honoribus omnium domino dignis adficeretur. Neque tamen in tanto ſplendore quidquam de ſua erga Hyrcanum beneuolentia atque fide diminuit. Itaque Iudæorum primarii videntes Hyrcanum et eius filios multum creſcere tum nationis beneuolentia, tum Iudææ et Hyrcani pecuniarum redditu, erant in eum male animati. Etenim amicitiam inſtituerat Antipater cum Romanis imperatoribus, et impulſo ad pecuniam eis mittendam Hyrcano, ipſe eius muneris gratiam ad ſe tranſtulerat: nam vt propriam, non vt Hyrcano dante miſerat. Hæc Hyrcanus audiens, non curabat: quinimmo magnopere lætabatur. Erant vero in metu primi Iudæorum, videntes Herodem violentum et audacem, et dominandi

cupi-

cupiditate ardentem. Itaque Hyrcanum adorti, aperte iam Antipatrum accuſant: et, Quouſque hæc, inquiunt, quietus feres? An non vides Antipatrum et eius filios principatu ſuccinctos, teipſum vero regni ſolum nomen audientem? Atqui hæc ignorare non debes, neque te extra periculum putare, dum et tui et regni ſecurus es: non enim iam rerum tuarum procuratores ſunt Antipater et eius filii, ne tu fallaris, ſed domini manifeſte habentur. Nam Herodes eius filius Ezechiam et eius ſocios interfecit contra legem noſtram, quæ hominem, quamuis malum, indicta cauſſa interfici vetat: et tamen ille non accepta a te potentia, id auſus eſt. His auditis Hyrcano perſuaſum eſt, atque inſuper eius iram accenderunt matres occiſorum ab Herode, quæ ſingulis diebus in fano regem et populum orare non intermittebant, vt facti cauſſam diceret Herodes in concilio. His commotus Hyrcanus, Herodem euocat ad dicendam cauſſam ſuper iis, quorum inſimulabatur. Herodes vero eo venit, monente patre, non vt priuatus homo, ſed cum præſidio, corporiſque cuſtodia, compoſitis Galilææ rebus quomodo conducibile eſſe iudicauit, tanto comitatu, quantus ei ad iter ſatis eſſet, vt nec Hyrcano metuendus videretur, ſi cum maioribus copiis veniſſet, neque nudus et incuſtoditus committeret ſe iudicio. Adde quod Sextus Syriæ prætor Hyrcanum litteris monuit, vt Herodem crimine abſolueret: et minas addidit, niſi pareret. Ex his Sexti litteris occaſionem ſumſit Hyrcanus, Herodem indemnem ex concilio dimittendi, quippe quem amaret vt filium. Poſtquam Herodes in concilio cum copiis ſuis conſtitit, omnes ita terruit, vt eum iam accuſare auderet nemo, eſſetque ſilentium, et quid agi deberet dubitatio. His ſic adfectis, Sameas quidam, iuſtus homo, ideoque timere neſcius, ſurrexit, et in hunc modum verba fecit: Equidem iudices, et tu rex, neque ipſe quemquam vmquam noui, neque vos nominare poſſe arbitror, qui in iudicium vocatus ita ſe ſtiterit: quin quiſquis vmquam in hoc concilium cauſſam dicturus venit, humilis comparet, et habitu metuentis, et a nobis miſericordiam aucupantis, promiſſo capillo pullatus. At iſte bonus Herodes, cædis reus, et ob tam graue crimen appellatus, adſtat hic purpuratus, eleganter compoſita cæſarie, ſtipatus armatis hominibus, vt ſi eum ex lege condemnauerimus, trucidet nos: ipſe violato iure euadat. Quamquam Herodem haud equidem reprehenderim, ſi vtilitatem ſuam pluris quam ius facit: ſed vos et regem, qui tantam ei licentiam præbuiſtis. Verumtamen ſcitote futurum, auctore ſupremo Deo, vt iſte ipſe, quem nunc propter Hyrcanum vultis abſoluere, et de vobis, et de ipſo rege pœnas ſumat. Hæc Sameas; nec eum feſellit opinio: nam regnum adeptus Herodes, omnes qui tum fuerant in concilio, atque adeo Hyrcanum ipſum interfecit: excepto Samea, quod eum propter ipſius iuſtitiam magno habebat in pretio: quodque poſtea obſeſſa vrbe ab Herode et Soſio, populum monuiſſet, vt Herodem admitterent, negans eum ab ipſis propter peccata poſſe vitari. Hyrcanus vero videns iudices in Herodis necem inclinare, iudicium in alium diem diſtulit, et clam Herodi conſultum miſit vt ab vrbe profugeret: ita enim euaſurum ex periculo. Atque ille Damaſcum ſe, vt regem fugiens, contulit; et profectus ad Sextum Cæſarem, rebusque ſuis in tuto collocatis, ſic erat animatus, vt ſi denuo ei dies diceretur, non ſiſteret. Hæc ægre ferebant iudices, et Hyrcanum docere conabantur, ea omnia eius periculo fieri: idque eum non latebat, ſed quid ageret non habebat: ea erat ignauia atque ſocordia. Quum autem Sextus Herodem Cœleſyriæ ducem feciſſet, eique pecuniam ſuppeditaſſet, erat Hyrcanus in metu, ne Herodes ſibi bellum inferret; id quod non multo poſt accidit.

accidit. Venit enim ducens Herodes exercitum, aduerſus eum iratus, quod in ius vocatus fuiſſet. Verum eius pater Antipater, et frater, ei obuiam profecti, ſuis admonitionibus perfecerunt, vt Hieroſolymam non inuaderet, ſed poteſtatem ſuam genti oſtendiſſe ſatis haberet. Et hoc quidem in ſtatu erat Iudæa. Cæſar vero Romam profectus, nauigationem adornabat in Africam, cum Scipione et Catone bellum geſturus. Et Hyrcanus ad eum miſit, rogatum vt ſecum amicitiam renouaret, et ſocietatem: id quod ille fecit, et ea de re decretum fieri, inque tabulis æneis græce et latine incidi curauit, et in Capitolio, et Sidone, et Tyri, et Aſcalone, et in templis proponi: in quo decreto (quemadmodum etiam in multis aliis, tum ipſius Cæſaris, tum aliorum Romanorum) Iudæorum libertas et iura defendebantur. Per eadem tempora tumultuatum eſt in Syria, ob cauſſam quam iam dicam. Baſſus Cecilius, Pompeianarum partium, Sextum Cæſarem per inſidias interfecit: ipſe accepto eius exercitu, rerum potitus eſt. Hinc graue bellum apud Apamiam conflatum eſt, Cæſaris ducibus eum cum equitatu et peditatu adortis: quibus et Antipater ſubſidium miſit cum filiis, recordatione beneficiorum in ipſos a Cæſare collatorum. Hoc bello diu durante, Marcus Sexto ſucceſſit, et Cæſar a Caſſio et Bruto in curia occiſus eſt, poſtquam principatum tenuit annos tres et ſex menſes.

CAPVT XVIII.

Caſſius Iudæam adfligit, et octingenta talenta ab ea exigit.

BEllo deinde ex morte Cæſaris conflato, omnibusque primariis vltro citroque ad contrahendas copias diſperſis, venit in Syriam Caſſius, accepturus exercitum qui erat ad Apamiam: ſolutaque obſidione, ambos ſibi conciliat, Baſſum et Marcum: vrbesque peragrans, arma comparat et milites, et vrbibus grauia tributa imperat: ſed potiſſimum Iudæam adflixit, exactis ab ea ſeptingentis argenti talentis. Antipater vero res magno in metu eſſe videns, pecuniarum exactionem diuidit, et vtrique filio redigendas committit, partim etiam Malicho, ſibi parum amico, partim aliis. Ac primus Herodes redacto ex Galilæa quantum ei imperatum erat, maximam apud Caſſium gratiam iniit. Ceterarum vrbium gubernatores omnes cum ſuis hominibus venumdabantur. Et quatuor vrbes haſtæ ſubiecit. Caſſius, quarum erant potentiſſimæ Gophna et Emmaus, reliquæ Lydda et Thamna. Quinetiam Malichum Caſſius præ iracundia occiſurus fuit, niſi eius impetum cohibuiſſet Hyrcanus, miſſis ei per Antipatrum centum talentis de ſuo. Deinde Caſſio a Iudæa profecto, Malichus Antipatro maxime inſidiabatur, eius mortem Hyrcani principatus firmitatem fore putans: neque tamen eius animus latuit Antipatrum. Id enim ſentiens, recepit ſe ſe trans Iordanem, et ex Arabibus ſimul et indigenis exercitum contrahere inſtituit. Quamquam Malichus homo callidus inſidias inficiabatur, ſeque cum iureiurando purgabat tum Antipatro tum eius filiis, negans Phaſaelo Hieroſolymorum præſidium tenente, Herode vero armorum cuſtodiam habente, ſe tale quidquam mente concipere potuiſſe. Ac videns ſibi negotium non ſuccedere, reconciliatus eſt Antipatro, conuentumque eſt inter eos Marco Syriæ prætore, qui ſentiens Malichum in Iudæa res nouas molientem, parum abfuit quin eum interfecerit: ſed Antipatri precibus eius vitam condonauit.

CAPVT

CAPVT XIX.

Malichus per inſidias Antipatrum veneno tollit.

SEd neſciebat Antipater, ſe ſui interfectorem conſeruaſſe. Caſſius enim et Marcus contracto exercitu, curam omnem Herodi tradiderunt, et eum Cœleſyriæ præfectum fecerunt, attributa ei claſſe, et equeſtribus pedeſtribusque copiis: polliciti etiam Iudææ regem eum creaturos poſt bellum, quod tum cum Antonio et iuuene Cæſare gerebant. Malichus vero tunc maxime veritus Antipatrum, curauit veneno tollendum in ædibus Hyrcani, apud quem ambo conuiuabantur, videlicet Antipater et Malichus, per Hyrcani pocillatorem, quem pecunia corruperat: quumque armatos haberet, res vrbanas componebat. Hoc quum reſciuiſſent Herodes et Phaſaelus, et grauiter ferrent, negabat omnia Malichus. Herodes vero protinus patri parentare, et Malichum armis adgredi decreuit: verum natu grandior Phaſaelus, hominem dolo potius opprimendum cenſebat, ne ciuile bellum incepiſſe putarentur. Itaque ille Malichi purgationem accipit, ſeque credere ſimulat nihil illum in Antipatri nece deſignaſſe: ac patri ſepulcrum adornat. Herodes vero Samariam profectus, adflictamque nactus, recreat, et hominum diſſidia componit. Non multo deinde poſt, inſtantibus Hieroſolymorum feſtis, venit cum militibus in vrbem: et Malichus eum veritus, perſuaſit Hyrcano, vt eum intrare non fineret: id quod fecit Hyrcanus, per ſpeciem prohibendi alienigenarum turbam in luſtratam multitudinem admitti. Sed Herodes nuntios parui pendens, noctu ingreditur in vrbem, et Malicho quidem terrori fuit, nec tamen ille ſimulationem depoſuit, quin Antipatrum ploraret, et palam vt amicus inclamaret: ſed clam corporis ſui cuſtodiam agebat. Herodi vero viſum eſt eius ſimulationem non coarguere, ſed ad tollendam ſuſpicionem, eum viciſſim comiter accipere.

CAPVT XX.

Herodes iuſſu Caſſii Malichum dolo interficit.

TAmen ad Caſſium de obitu patris ſcripſit Herodes, et ille ſciens quo ingenio eſſet Malichus, Herodi reſcripſit, vt patrem vleiſceretur; et tribunis qui Tyri erant, clam imperandum curauit, vt Herodem adiuuarent, quatenus æqua facturus eſſet. Deinde quum cepiſſet Gaius Laodiceam, et ad eum communiter iretur, eique coronæ et pecuniæ ferrentur, ſperabat Herodes fore, vt poſtquam eo veniſſet Malichus, pœnas daret: at ille apud Tyrum Phœniciæ rem ſuſpectam habens, maiora moliebatur: et quod eius filius Tyri obſes erat, decreuit eum, ingreſſus in vrbem ſurripere, et in Iudæam proficiſci: et properante aduerſus Antonium Caſſio, gentem ad defectionem perducere, ipſe potentatum occupare. Sed Herodes, aſtutus homo, animaduerſo illius inſtituto, famulum præmiſit quaſi ad parandam cœnam: inuitauerat enim omnes: ſed reuera ad tribunos, vt ad Malichum cum pugionibus egrederentur. Id quod illi fecerunt, et Malichum in litore prope vrbem nacti transfoderunt; quo facto, ſic attonitus eſt Hyrcanus, vt vox eum defecerit: deinde vbi ægre reſipuit, quærit ab Herodianis, quidnam accidiſſet, et quis Malichum occidiſſet. Quumque illi Caſſium id iuſſiſſe dixiſſent, laudauit factum; peſſimum enim fuiſſe hominem, et patriæ

trix inſidiatorem. Deinde Caſſio ex Syria profecto, oritur in Iudæa tumultus. Elix enim relictus Hieroſolymis cum exercitu, Phaſaelum inuaſit, et populus arma ſumſit. Herodes vero Fabium adit Damaſci præfectum: volensque ad fratrem currere, morbo impeditur, donec Phaſaelus per ſe ſuperatum Elicem compellit in turrim: deinde per compoſitionem dimittit, et Hyrcanum incuſat, qui multis per eos beneficiis adfectus, hoſtes adiuuet. Nam Malichi frater non pauca tum loca ad defectionem perducta, præſidio tenebat, in quibus et Maſadam omnium munitiſſimum. Sed poſtquam conualuit Herodes, illuc venit, et illum de omnibus quæ tenebat locis deturbatum, per compoſitionem dimiſit.

CAPVT XXI.

Antigonum Ariſtobuli filium a Tyriorum tyranno adiutum Herodes in fugam vertit, et ex Iudæa pellit.

ANtigonum autem Ariſtobuli filium, qui Fabio ſibi pecuniis conciliato, exercitum comparauerat, adſciſcit ſibi Ptolemæus Mennæi filius, propter adfinitatem, auxiliante ei etiam Marione, quem Tyriorum reliquerat Caſſius tyrannum. Is enim occupatam per vim Syriam præſidiis firmauerat. Marion vero etiam Galilæam, quæ vicina erat, inuaſit: et tribus caſtellis potitus, ea præſidiis muniuit. Sed eum adgreſſus Herodes, omnibus priuauit, et Tyriorum præſidia benigne dimiſit, nonnullis etiam dona dedit: ea erat erga ciuitatem beneuolentia. His confectis, occurrit Antigono, et prœlio ſuperatum, ex ipſo pæne, quo proceſſerat, Iudææ faſtigio depulit. Itaque poſtquam Hieroſolymam venit, Hyrcanus eum et populus coronis redimiuit. Erat autem iam per ſponſalia gener factus Hyrcani familiæ, eoque magis eum tuebatur, quod erat ducturus in matrimonium filiam Alexandri Ariſtobuli filii, Hyrcani ex filia neptem: ex qua poſtea pater factus eſt trium filiorum, et duarum filiarum. Duxerat etiam prius vxorem plebeiam, nomine Doridem, popularem, ex qua filium ſuſtulit natu maximum Antipatrum.

CAPVT XXII.

Herodes Antonium multis pecuniis ſibi conciliat, ideoque Herodem accuſare volentes Antonius non admittit.

POſtquam Caſſium Antonius et Cæſar in Philippis vicerunt, Cæſar in Galliam profectus eſt, Antonius in Aſiam. Atque vbi venit in Bithyniam, occurrebant ei vndique legationes, in quibus adfuerunt et Iudæorum primarii, qui Phaſaelum et Herodem accuſarent, dicentes Hyrcanum regni ſpeciem habere, hos quidem omnem poteſtatem tenere. Herodem autem Antonius habebat in magna exiſtimatione, qui ad eum, vt crimina dilueret, venerat: eamque ob cauſam accidit, vt ne dicendi quidem locum aduerſarii obtinuerint: id quod Herodes ab Antonio pecunia obtinuerat. Vt autem Epheſum venit Antonius, miſit Hyrcanus pontifex et natio noſtra legationem ad eum, quæ ei coronam ferret auream; oraretque vt ſcriberet ad prouinciales, vt liberos dimitterent Iudæos, quos non iure belli Caſſius captiuos reddidiſſet; vtque ei reſtitueretur ager, quo Caſſii temporibus multati fuiſſent. Hæc Iudæorum poſtulata æqua eſſe iudicans Antonius, confeſtim ſcripſit Hyrcano et Iudæis, poſtula-

poſtulata eis concedens: ſimulque Tyriis et Sidoniis et Antiochenis et Aradiis ea de re decretum miſit, idque vt in litteras publicas latine et graece referrent imperauit.

CAPVT XXIII.

Antonius in Syriam profectus, Herodem et Phaſaelum tetrarchas conſtituit.

POſtea quum veniſſet Antonius in Syriam, decem Iudaeorum primarii eum iterum conueniunt, vt Herodem et ſuos accuſarent, delectis ad eam rem ſuorum eloquentiſſimis. Quibus contradicebat Maſalas pro adoleſcentibus, praeſente etiam Hyrcano, qui iam Herodis ſocer erat. Antonius vero auditis apud Daphnen vtrisque, quaeſiuit ab Hyrcano, vtri gentem melius regerent? cui ille reſpondit: Herodem et ſuos. Itaque Antonius, qui iam pridem eis faueret propter eorum patrem, cuius hoſpitio, quum vna cum Gabinio veniſſet, vſus fuerat, ambos tetrarchas conſtituit, eisque Iudaeorum adminiſtrationem mandauit, et ea de re litteras ſcripſit, et quindecim aduerſariorum in vincula dedit: quos quum interfecturus eſſet, Herodis precibus condonauit. Neque tamen illi a legatione reuerſi quieuerunt, quin Antonium rurſus eorum mille adiuerunt ad Tyrum, quo venturum fama erat: et Antonius multis iam pecuniis ab Herode et eius fratre corruptus, eius loci adminiſtratori mandauit, vt de Iudaeorum legatis ſupplicium ſumeret, qui nouis rebus ſtuderent, Herodique principatum ſtabiliret. Herodes vero, qui ante vrbem in arena conſtiterat, protinus antegreſſus, eos vt diſcederent hortatur (aderat vna cum eis etiam Hyrcanus) quippe magno eorum malo futurum, ſi ad contentionem venirent. Sed illi non obtemperarunt, et protinus impetum fecerunt in eos Iudaei cum incolis, qui eorum partem interfecerunt, plures etiam vulnerarunt: reliqui domum fuga dilapſi, quietos ſe trepidi tenuerunt. Ac populo aduerſus Herodem vociferante, exacerbatus Antonius, vinctos interfecit. Anno ſecundo Syriam occuparunt Pacorus regis filius, et Barzapharnes Parthorum ſatrapa. Obiit et Ptolemaeus Mennaei filius: eiusque filius Lyſanias, occupato principatu, amicitiam inſtituit cum Antigono Ariſtobuli filio, vſus ad id opera Satrapae, qui apud Antigonum multum poterat.

CAPVT XXIIII.

Parthorum in Syriam expeditio, in qua Ariſtobuli filium Antigonum in regnum reſtituerunt.

ANtigonus vero Parthis mille talenta et quingentas feminas promiſit, ſi ſibi principatum Hyrcano ereptum traderent, et Herodem cum ſuis interficerent: neque tamen dedit: et tamen Parthi eam ob cauſam in Iudaeam expeditionem fecerunt, Antigonum reducentes: Pacorus per oram maritimam, ſatrapa vero per mediterranea. Et Pacorum quidem excluſerunt Tyrii: Sidonii vero et Ptolemaidenſes admiſerunt. Et Pacorus equitum turmam miſit in Iudaeam, quae regionem ſpecularetur, et Antigonum adiuuaret vna cum regis pocillatore, nomine item Pacoro. Contulerunt autem ſe ad Antigonum Iudaei, qui ſub monte Carmelo quemdam locum nomine Drymum incolebant: parati cum eo vna irrumpere: quo factum eſt, vt ſe nonnullos inſuper regionem obeundo adeptu-

adepturum ſperaret. Quumque nonnullis occurriſſent, Hieroſolymam inuadunt: et quorumdam acceſſione adiuti, facta manu regiam adoriuntur et oppugnant. Sed ſubſidio venerunt Phaſaelus et Herodes: commiſſaque in foro pugna, vicerunt aduerſarios: et eis in fanum compulſis, miſerunt armatos quoſdam in vicinas domos, qui eas cuſtodirent: quos adgreſſus populus auxilio deſtitutos, cum ipſis domibus concremauit. Hanc ob cauſſam Herodes paullo poſt cum aduerſariis prœlio congreſſus, multos eorum interfecit. Quumque quotidianæ velitationes inter eos fierent, exſpectabant hoſtes turbam incolarum, venturam ad feſta Quinquageſimæ. Atque inſtante eo die, multa circum fanum coeunt hominum millia, partim armatorum, partim inermium. Tenebant autem fanum et vrbem illi homines: præter regiam, quam Herodes cum paucis militibus tutabatur, Phaſaelo mœnia cuſtodiente. Et Herodes cum ſuorum manu in hoſtes per ſuburbium eruptionem fecit, et ita acriter pugnauit, vt multa hominum millia verterit, aliis in vrbem fugientibus, aliis in fanum, nonnullis etiam in vallum, qui foris erat: neque non Phaſaelus auxilium tulit. Pacorus vero Parthorum dux cum paucis equitibus, orante Antigono, in vrbem venit per ſpeciem componendæ diſſenſionis: ſed reipſa, vt illum in adipiſcendo principatu adiuuaret. Quumque Pacoro obuiam prodiiſſet Phaſaelus, et eum hoſpitio excepiſſet, perſuadet ei Pacorus, vt ad Barzapharnem legatos mittat, idque fraudulenter faciebat. Et Phaſaelus nihil fraudis ſuſpicatus, obtemperat, non laudante eam rem Herode, propter barbarorum perfidiam, ſed Pacorum ceteroſque venientes inuadi iubente. Igitur in eam legationem profecti ſunt Hyrcanus et Phaſaelus. Et Pacorus relictis Herodi ducentis equitibus et decem eorum, qui liberi nuncupantur, illos deduxit. Vbi in Galilæam ventum eſt, venerunt eis obuiam in armis qui illic præerant vrbibus, et Barzapharnes eos primum ſtudioſe excepit, et muneribus donauit: deinde inſidiabatur. Diuerſabatur autem Phaſaelus cum equitibus in propinquo ad mare: ubi quum audiuiſſent, Antigonum mille talenta et quingentas feminas promiſiſſe Parthis aduerſus ipſos; cœperunt ſuſpectos habere barbaros. Acceſſit eo, quod inſidias eis noctu fieri nuntiauit quidam, et occulte adhiberi cuſtodiam. Et ſane comprehenſi fuiſſent, niſi exſpectatum eſſet, donec Parthi, qui ad Hieroſolymam erant, Herodem cepiſſent: ne ſi hi prius eſſent interfecti, Herodes id ſentiens effugeret. Atque hæc ſic ſe habebant, et eorum cuſtodes cernebantur. Itaque Phaſaelum monebant nonnulli, vt ſtatim equo diſcederet, nec exſpectaret: et maxime Ophellius, qui id a Samarallo, eorum qui tum erant in Syria locupletiſſimo, audiuerat: eique ad fugam nauigia pollicebatur, quippe propinquo mari. Verum Phaſaelus Hyrcanum deſerendum non cenſebat, neque fratri periculum creandum: ſed Barzapharnem adgreſſus, dicit eum non recte facere, qui hæc in ipſos moliatur. Nam ſi pecunia egeat, maiorem a ſe habiturum, quam quantam det Antigonus: et alioquin atrox facinus eſſe, legatos, qui ad eum accepta fide venerint, interficere inſontes. At barbarus hæc dicente, iurabat nihil verum eſſe eorum, quæ ſuſpicarentur, ſed eum falſis ſuſpicionibus perturbari; deinde ad Pacorum profectus eſt.

CAPVT

CAPVT XXV.

Parthi Hyrcanum et Phaſaelum comprehendunt: et Herodes aufugit.

EO digreſſo, Parthorum quidam Hyrcanum conſtringunt, et Phaſaelum, multum deteſtantem Parthorum periuriam. Spado autem ad Herodem miſſus, in mandatis habebat, eum extra muros eductum comprehendere. Erant autem miſſi a Phaſaelo nuntii, ad declarandam Parthorum perfidiam: quos quum hoſtes comprehendiſſent, Herodes Pacorum adit, et Parthorum potentiſſimos quosque, tamquam aliorum dominos. At illi totius rei conſcii, malitioſe diſſimulare, et ei dicere, ſecum extra muros egrediendum, et litteras adferentibus obuiam eundum eſſe: nondum enim eos ab aduerſariis comprehenſos eſſe, et ad ſignificandum Phaſaeli ſucceſſum venire. Verum his Herodes non credebat, quippe qui ab aliis fratris comprehenſionem audiuiſſet. Accedebat eo, quod admonente Hyrcani filia (cuius filiæ filiam ipſe ſibi deſponderat) magis etiam ſuſpectos Parthos habebat: et quamuis alii non auſcultarent, ipſe cordatæ in primis feminæ credebat. Igitur deliberantibus Parthis, et negotium in poſterum diem differentibus, Herodes, vbi veſpera venit, ſtatuit ea ad fugam vti. Itaque adhibitis quos habebat militibus, et impoſitis in iumenta mulieribus, matre ſua, et ſorore, et Alexandri filia, quam vxorem ducturus erat, eiusque matre Hyrcani filia, et fratre ſuo natu minimo, vna cum famulitio, ceteraque turba in Idumæam ire contendit, inſciis hoſtibus. Accidit autem, vt euerſo vehiculo, et matre pæne exanimata, ipſe ſibi pæne manus attulerit, tum propter dolorem quem de matre capiebat, tum quod metuebat, ne hac iniecta mora, comprehenderetur ab hoſtibus. Itaque ſtricto enſe ſeipſum ferire parabat, niſi eum qui aderant prohibuiſſent. Igitur partim vi, partim pudore coactus, abſtinuit: et matre recreata, ac pro temporis anguſtia curata, iter ſuum perſequitur, et ad Maſadam caſtellum magnis itineribus vadit. Interea multis prœliis laceſſitus a Parthis, qui eum perſequebantur, vicit omnia. Neque non Iudæos, qui eum ſexto ab vrbe ſtadio adorti ſunt, præclare vicit atque vertit; et poſtea rex factus, conſtruxit eo ipſo in loco excellentiſſimum palatium, et id vrbe circumdedit, quam Herodiam appellauit. Vbi in Iudææ locum nomine Threſſam venit, occurrit ei frater eius Ioſephus, et de toto negotio quid agendum eſſet, deliberationem propoſuit, quum magna eos multitudo etiam præter mercenarios ſequeretur: et locus Maſadas, in quem confugere decreuiſſent, anguſtior eſſet, quam vt poſſet tantam multitudinem capere. Itaque maiorem partem dimiſit, quæ fuit ſupra nouem millia, iuſſitque vt diuerſi per Idumæam ſaluti ſuæ conſulerent, et eis viaticum dedit. Deinde adſumtis expeditiſſimis quibusque, et maxime neceſſariis, in caſtellum peruenit: et collocatis ibi feminis et comitibus, qui erant circiter octingenti, quum eſſet in eo loco magna omnium rerum neceſſariarum copia, ad Petram Arabiæ ire contendit. Ceterum ſimul ac orta dies eſt, Parthi totam Hieroſolymam et regiam diripuerunt: tantum ab Hyrcani pecunia abſtinuerunt, quæ erat ad talenta trecenta. Herodis quidem multa euaſerunt, præſertim quæ prius in Idumæam eius prouidentia fuerant deportata. Parthi vero vrbis direptione non contenti, etiam agros vexarunt, et Mariſſam vrbem potentem euerterunt. Sic Antigonus in Iudæam a rege Parthorum reductus, Hyrcanum et Phaſaelum vinctos accepit. Erat autem in magna ſollicitudine,

quoniam

quoniam effugerant eum feminæ, quas hoſtibus dare habebat in animo. Metuens vero ne Hyrcanum, qui a Parthis cuſtodiebatur, populus in regnum reſtitueret, aures ei abſcidit, ne deinceps pontifex eſſe poſſet: quippe mutilo corpore, quum lex id munus integrorum eſſe velit. Phaſaelus vero necem ſibi parari intelligens, ne ad hoſtis libidinem moreretur, quum manus vinctas haberet, ſaxo caput adliſit, vt ſe vita priuaret. Ferunt, quum ingenti vulnere ſaucius eſſet, Antigonum ſumſiſſe medicos, qui per ſpeciem eius curandi, letalibus ad vulnus medicamentis vſi, eum occiderint. Tamen antequam prorſus animam egiſſet, audiuit a quadam muliercula, fratrem ſuum Herodem ex hoſtibus euaſiſſe: quæ res effecit, vt mortem magno animo tulerit, quod mortis ſuæ vindicem relinqueret. Herodes vero Malchum Arabiæ regem, multis a ſe beneficiis antea adfectum, adibat, vt ab eo viciſſim, quum maxime opus eſſet, pecuniam vel mutuam vel dono impetraret. Neſciens enim quo in ſtatu res fratris eſſet, properabat, eum ab hoſtibus liberare trecentis talentis. Hanc ob cauſſam ducebat et Phaſaeli filium ſeptennem, vt eum Arabibus pignori daret. Sed Malchus miſſis ei obuiam nuntiis, iuſſit eum diſcedere: interdictum enim ſibi a Parthis, ne Herodem acciperet. Id autem prætexebat, ne mutuum redderet, impellentibus etiam eum ad id primatibus Arabum, vt Antipatri depoſitum, quod acceperant, interuerterent. Ille reſpondit, non ſe veniſſe vt eis vlla in re moleſtus eſſet, ſed vt dumtaxat cum rege de rebus maxime neceſſariis colloqueretur. Deinde vbi diſcedere viſum eſt, abiit Aegyptum verſus: ac tum in fanum quoddam diuertitur, vbi comitum ſuorum multos reliquerat. Poſtero die peruenit ad Rinocura, et ibi fratris negotium cognouit. Malchus quidem pœnitentia ductus, poſt Herodem cucurrit, ſed nihil profecit: quippe quum ille iam abeſſet longiſſime, properans ad Peluſium. Inde nauigauit in Alexandriam, vbi quum Cleopatra retinere eum vellet, non potuit: tantopere Romam properabat, quamuis hiems eſſet, et Italiæ res magno in motu eſſe nuntiarentur. Igitur ſoluit inde Pamphyliam verſus: et graui tempeſtate conflictatus, ægre in Rhodum euaſit, facta iactura: et ibi duobus amicis occurrit, Sappinæ et Ptolemæo. Atque vrbem nactus adflictam Caſſiano bello, quamuis inops, tamen non grauatus eſt ei benefacere, et eam ſupra vires recreare. Deinde parata triremi, et ea cum amicis conſcenſa, inde in Italiam Brunduſium appulit: et illinc Romam profectus, Antonio primum omnem fortunam ſuam exponit, et ſibi omnem in ipſo ſpem ſitam eſſe demonſtrat.

CAPVT XXVI.

Herodes Romam profectus, creatur a ſenatu rex Iudaæ.

Itaque Antonius eius miſeratione commotus, tum Antipatri recordatione, cuius ipſe fuerat vſus hoſpitio, tum propter pecuniam, quam ei daturum ſe promittebat Herodes, ſi rex factus eſſet, quemadmodum antea, quum quartæ partis rex factus fuerat, et multo etiam magis odio Antigoni, quem ſeditioſum et Romanis infenſum exiſtimabat, paratus erat, Herodem in ſuis poſtulatis adiuuare. Cæſar quoque partim propter Antipatri militiam, qua in Aegypto cum ipſius Cæſaris parte functus fuerat, propterque eiuſdem hoſpitium, et omnium rerum beneuolentiam, partim vt Antonio, Herodis ſtudioſiſſimo, gratificaretur, erat ad adiuuandum Herodem paratior. Igitur conuocato ſenatu, Meſſala, et poſt eum Atratinus, producto Herode, eius patris beneficia narrauerunt,

rauerunt, et ipſius erga Romanos beneuolentiam commemorauerunt, accuſantes ſimul, hoſtemque pronuntiantes Antigonum, non modo propter eius primum in eos delictum, ſed etiam quod contemtis Romanis, a Parthis accepiſſet imperium. His commoto ſenatu, procedit Antonius, et eos docet etiam ad Parthicum bellum expedire, vt rex fiat Herodes. Ita omnium ſuffragiis rex creatur Herodes, præter ſpem ſuam. Neque enim regnum ſibi conceſſuros Romanos arbitrabatur, qui id regii generis hominibus dare conſueſſent: ſed id ambiebat vxoris ſuæ fratri Alexandro, Ariſtobuli et Hyrcani conſanguineo. Ita totum Herodis negotium ſeptem diebus expeditum eſt, et ſenatu finito, medium ſtipantes Herodem Antonius et Cæſar exierunt, deducentibus conſulibus, vna cum aliis magiſtratibus, ad ſacrificandum, et decretum in Capitolio proponendum. Ac primo regni Herodis die Antonius ei conuiuium dedit. Toto autem hoc tempore Antigonus eos, qui erant Maſadæ, oppugnabat, ceteris omnibus abundantes, ſed aquæ penuria laborantes, vt eam ob cauſſam Herodis frater Ioſephus cum ducentis ſuorum decreuerit ad Arabes fugere: audierat enim, Malchum commiſſorum in Herodem pœnitere. Sed accidit vt nocte tantum plueret, vt ciſternæ replerentur aqua: qua ex re tantum animi ſumſerunt, vt omiſſo illo inſtituto, in Antigonianos partim aperte, partim clam eruperint, et eorum complures interfecerint. Interea Ventidius Romanorum dux, miſſus ad Parthos Syria arcendos, poſt illos in Iudæam venit, verbis ille quidem, vt Ioſepho ferret auxilium: ſed reipſa callide id agebat, vt pecuniam auferret ab Antigono. Itaque caſtris proxime Hieroſolymam poſitis, ſatis grandem pecuniam obtinuit ab Antigono, atque ipſe diſceſſit cum copiarum parte maiori. Ne tamen facinus deprehenderetur, Silonem cum parte nonnulla militum reliquit: quem etiam coluit Antigonus, ne quid ſibi noceret, ſperans iterum Parthos ſibi ſubſidio futuros.

CAPVT XXVII.

Herodes Roma reuerſus pugnat cum Antigono.

HErodes vero, qui iam ab Italia Ptolemaidem venerat, et copias non mediocres partim conductitiorum, partim popularium contraxerat, incedebat per Galilæam aduerſus Antigonum, adiutoribus Silone et Ventidio: quibus Delius ab Antonio miſſus perſuaſerat, vt Herodi reducendo operam darent. Ventidius excitatas propter Parthos in vrbibus turbas componebat. Silo vero in Iudæa pecuniis ab Antigono corruptus erat. Herodi quidem progredienti quotidie vires augebantur, omniſque Galilæa, paucis exceptis, ſtabat ab eius partibus. Atque ad Maſadam contendenti, impedimento fuit Ioppe: quæ quum hoſtis eſſet, capienda prius erat, ne qua a tergo relinqueretur hoſtibus munitio, dum Hieroſolymam adoritur. Hanc occaſionem nactus Silo, profectus eſt, et Iudæis eum perſequentibus, ſubuenit cum exigua manu Herodes: verſiſque Iudæis, Silonem male repugnantem ſeruauit. Deinde capta Ioppe, ad liberandos ſuos, qui Maſadæ erant, properat, incolis ei ſe partim propter paternam amicitiam adiungentibus, partim propter ipſius gloriam, nonnullis vt vtrique gratiam referrent: pleriſque vero propter ſpes, quas in eo, rege deinceps certo futuro, habebant. Ita magna manu coacta quum procederet, occupabat Antigonus inſidiis aditus et opportuna loca: ſed nihil hac ratione hoſtibus, aut certe perparum nocebat. Herodes vero ſuis ex Maſada receptis, nec non munitione Threſſa, ducit ad Hieroſolyma, comitantibus Silonis copiis, cum multis

Hieroſolymitanis, tanta potentia perterritis. Vbi ad vrbis occidentalem partem caſtra fecit, qui illa parte diſpoſiti erant cuſtodes, eum miſſilibus propellebant: nonnulli etiam cateruatim excurrebant, et cum principiis manus conferebant. Herodes vero primum proclamari iuſſit circa mœnia, ſeſe propter populi vtilitatem vrbiſque ſalutem adeſſe: ne apertos quidem aduerſarios vlturum, ſed ſuis etiam inimiciſſimis veniam daturum. Ad hæc Herodis præconia dicebat Antigonus Siloni et Romanorum exercitui, præter ipſorum iuſtitiam facturos, ſi Herodi regnum darent, homini priuato et Idumæo, hoc eſt ſemiiudæo: quum id Iudaici generis hominibus præberi deberet, vt erat eorum conſuetudo. Quod ſi nunc ſibi ſuccenſent, et a ſe regnum auferre, quoniam id a Parthis acceperit, ſtatuerunt, eſſe quidem multos ſui generis, qui poſſent in regnum ex lege ſuccedere, qui neque quidquam contra Romanos peccaſſent, et ſacerdotes eſſent, et inique eo munere ſpoliarentur. Hæc dum vtrimque dicuntur, et ad conuicia proceditur, Antigonus ſuis de muro propugnare permittit: qui miſſilibus illos cupide protelantes, facile a turribus auerterunt. Tum Silo facile oſtendit, ſe corruptum pecunia: ſubmiſit enim militum ſuorum non paucos, qui clamitarent commeatus eſſe penuriam, et pecuniam ad alimoniam peterent, ſeque in idonea loca ad hibernandum deduci poſtularent, vaſtatis circum vrbem agris, quoniam ab Antigonianis ſublata fuiſſent omnia. Ita exercitum mouebat, et diſcedere conabatur. Verum Herodes inſtabat, ſubiectos Siloni duces et milites cohortando ne ſe derelinquerent, miſſum a Cæſare et Antonio et ſenatu. Eorum enim commeatui prouiſurum, eiſque abundantiam eorum, quæ poſtularent, facile præbiturum. Ac ſtatim poſt eas preces in agros profectus, nullam iam Siloni diſcedendi occaſionem reliquit. Tantam enim commeatus copiam apportauit, quantam nemo ſperaſſet: ſuiſque apud Samariam amicis ſignificauit, vt frumentum, vinum, oleum, pecudes et alia omnia Hierichuntem deportarent, vt ne deinceps quidem milites cibariis deficerentur. Hæc Antigonum haud latuerunt, quin protinus dimiſit in eam partem, qui frumentatores prohiberent ac circumuenirent. Atque illi ingenti armatorum multitudine ad Hierichuntem coacta, conſederunt in montibus, vt illos obſeruarent. Hæc dum fiunt, Herodes adſumtis decem cohortibus, quarum quinque Romanorum, alteræ Iudæorum erant, adiunctis promiſcuis, mercenariis, et præterea paucis equitibus, ad Hierichuntem proficiſcitur: vrbemque vacuam nactus, quingentos homines (qui vna cum ſuis vxoribus et liberis arcem occupauerant) captos dimiſit. Romani vero impetu in vrbem facto, eam diripuerunt, domos nacti omni genere bonorum refertas. Igitur relicto Hierichunte præſidio, rex rediit, et Romanum exercitum in eas regiones, quæ deditionem fecerant, videlicet Idumæam, Galilæam, et Samariam, in hiberna dimiſit. Ita factum eſt, vt Romani rebus omnibus abundarent, et ab armis quieſcerent. Herodes vero fratrem ſuum Ioſephum cum peditibus mille, et equitibus quadringentis miſit in Idumæam. Ipſe in Samariam profectus, et depoſita ibi matre, aliiſque ſuis conſanguineis, in Galilæam contendit, expugnaturus quædam loca ab Antigono præſidiis occupata. Ac imbre coorto, profectus ad Sefforim, et Antigoni præſidio clam inde profecto, nactus eſt ſummam commeatus copiam. Inde equitum turmam et peditum cohortes tres miſit aduerſum latrones quoſdam in antris habitantes, vt eos latrociniis prohiberet. Erat is locus proxime vicum nomine Arbela. Ipſe quadrageſimo die eo venit cum omni exercitu: in quem adeo audacter exierunt latrones, vt eius aciei ſiniſtra pars inclinauerit. Sed ipſe cum ſua parte copiarum ſeſe

oſten-

oſtendens, iamdudum vincentes vertit, et fugientes reuocat, et hoſtes vſque ad Iordanem diuerſis viis fugientes perſequitur: atque ita totam Galilæam recepit, exceptis iis, qui habitabant in antris. Deinde ſuos pecunia donatos in hiberna dimiſit, et Pheroræ fratrum ſuorum natu minimo, vt illis de commeatu proſpiceret, Alexandriumque reficeret, mandauit: id quod ille celeriter fecit. Sub idem tempus Antonius Athenis commorabatur: in Syria vero Ventidius Silonem aduerſus Parthos arceſſens, ei ſignificauit, vt primum Herodem in eo bello adiuuaret, deinde ad Romanum bellum ſocios vocaret. Herodes, qui aduerſus latrones illos properaret, Silonem libenter ad Ventidium dimiſit: ipſe ad latrones illos contendit. Erant ea antra in præruptis montibus, nec niſi peranguſtis tramitibus adiri poterant, qui tramites erant in media rupe, quæ et ſuperne altiſſima imminebat, et infra in immenſam altitudinem deſcendebat in vallem. In his antris habitabant latrones cum ſuis omnibus familiis, ibique commeatum habebant. Igitur rex arcas in hunc vſum compactas, et catenis ferreis adligatas, de montis vertice machinis demittit, plenas hominibus armatis, longos harpagones habentibus, quibus repugnantes attraherent ac præcipitarent. Demiſſis arcis, qui intus erant, latrones eorumque liberos interficiunt, et in ſpeluncas ignem iniiciunt: atque illorum nonnulli deditionem fecerunt. Erat in antris ſenex cum ſeptem liberis, et vxore, qui orantibus liberis, vt ſibi deditionem facere permitteret, ſtetit in oſtio, et vt natorum quiſque exibat, eum iugulabat: donec tandem omnibus, nec non vxore trucidata, corpora deiecit, et ſeipſum inſuper præcipitem dedit, quum quidem prius multa in Herodem conuicia iecisset, licet dexteram (proſpiciebat enim omnia) et impunitatem promittentem. Hac ratione ſubactæ ſunt omnes ſpecus. Deinde rex præpoſito iis, qui illic erant, duce Ptolemæo, in Samariam proficiſcitur cum equitibus ſexcentis, et peditum tribus millibus, vt prœlio dimicaret cum Antigono. Verum qui prius Galilæam turbauerant, ii Ptolemæum adgreſſi occiderunt: deinde in paludes et inacceſſa loca confugerunt, regionem vniuerſam vaſtantes ac diripientes. Igitur Herodes eo reuerſus, rebelles partim necat, partim, qui in munita loca refugerant expugnat, et ipſos interficit, et munitiones complanat: atque ita rebellione coercita, vrbes centum talentis multat. Interea quum Pacorus in prœlio occubuiſſet, et Parthi male pugnaſſent, mittit ſubſidio Ventidius Herodi Machæram, cum duabus legionibus et mille equitibus, iubente Antonio. Hunc Machæram litteris ſollicitauit Antigonus, vt ſibi ferret auxilium: ſeſe ei pecuniam daturum pollicitus. Sed Machæra eum veritus a quo miſſus erat, Herode inſuper etiam largius dante, in proditionem non conſenſit: ſed Antigoni ſe amicum ſimulans, eo ad eius ſpeculandas res profectus eſt, tametſi diſſuadente Herode. Verum Antigonus animaduertens eius conſilium, portas ei clauſit, eumque de muris ſicut hoſtem repulit: quo pudore adfectus Machæra, Emauntem ad Herodem ſe contulit, et offenſionem incommodumque ſuum ſic ægre tulit, vt in quoſcumque in via incurrerat, et interficeret, ſiue hoſtes, ſiue amicos. Quare iratus rex, in Samariam ire contendit, in animo habens, hæc ad Antonium deferre: nihil enim talibus ſociis egere, qui ipſum magis, quam hoſtes læderent: ſe etiam ad debellandum Antigonum ſatis eſſe. At Machæra peccatum ſuum perpendens, ei propere obuiam it, oratque vt maneat: aut ſi adeo ire cupit, at fratrem ſuum Ioſephum apud ſe relinquat, dum Antigonum oppugnant. Ita Herodes Macheræ reconciliatus, Ioſephum ibi cum exercitu reliquit, monuitque ne periclitaretur, neue cum Machæra contenderet. Ipſe quum Antonium audiret magnis copiis oppugnare validam quamdam

vrbem apud Euphratem ſitam, nomine Samoſata, eo celeriter profectus eſt, id tempus idoneum animaduertens ad virtutem ſuam oſtendendam, et gratificandum Antonio. Igitur eius aduentu ſoluta eſt obſidio, quum quidem in itinere complures barbaros interfeciſſet, magnaque præda potitus eſſet; qua de re eum Antonius longe pluris fecit, eique magnum honorem habuit, et rex Antiochus Samoſata dedere coactus eſt. Ita finito bello, Antonius Soſio Syriam tribuit, mandauitque vt Herodem adiuuaret: ipſe in Aegyptum profectus eſt. Soſius duas legiones Herodi auxiliares præmiſit in Iudæam: ipſe cum maiore exercitu ſubſequitur. Erat autem iam mortuus in Iudæa Ioſephus in hunc modum. Obliuione captus eorum, quæ ei mandauerat frater, caſtra fecit apud montes. Acceptis enim a Machæra quinque cohortibus, properabat ad Hierichuntem, volens ſegetes demetere: et quia Romanorum exercitus tironum erat, quippe ex Syria magna ex parte collectus, laceſſentibus hoſtibus, in eas anguſtias venit, vt et ipſe generoſe pugnans occubuerit, et exercitum omnem amiſerit, conciſis ſeptem cohortibus. Et Antigonus occiſorum potitus, Ioſephi caput abſcidit, Pherora eius fratre id quinquaginta talentis redimere volente. Poſtea rebellantes Galilæi a ſuis optimatibus, eos qui ab Herode ſtabant, in lacum demerſos necarunt: neque non in Iudæa multi tumultus exſtiterunt: et Machæra Gittham caſtellum munire adgreſſus eſt. Interea veniunt ad Herodem nuntii ad Daphnen Antiochiæ, qui ei fratris fortunam retulerunt, exſpectanti quidem, propter quædam viſa ſomniorum, quæ ei fratris mortem clare demonſtrabant. Igitur iter facere maturans, poſtquam ad montem Libanum venit, adſumit illinc octingentos homines in auxilium: et vna cum Romana legione quam habebat, Ptolemaidem venit: et inde noctu profectus cum exercitu, per Galilæam progreditur, et hoſtibus decurrit, prœlioque victos compellit in eumdem locum, vnde pridie fuerant profecti. Poſtridie locum oppugnare adgreditur: ſed multo imbre coorto, agere quum nihil poſſet, exercitum in proximos pagos abducit. Quumque ad eum veniſſet ab Antonio altera legio, qui locum tenebant territi, noctu eum deſerunt. Et rex ad Hierichuntem feſtinat, eos de fratre vlciſci habens in animo. Poſtridie ſex hoſtium millia de montium iugis deſcendentia, Romanos armis territabant: leuiſque armaturæ milites progreſſi, in regis ſtipatores pila et lapides iaciebant, eique latus quidam pilo vulnerauit. Antigonus vero ducem mittit in Samariam, nomine Pappum, cum nonnulla manu, volens hoſtibus opinionem creare, ſeſe ex ſuperuacaneo bellum gerere. Atque ille dux Machæræ ſe oppoſuit. Herodes vero captis quinque oppidulis, duo circiter hominum millia, quos ibi comprehenderat, interfecit: oppidiſque incenſis, aduerſus Pappum rediit, qui caſtra fecerat ad vicum quemdam Iſanas appellatum. Ac frequentibus ad eum tum ab Hierichunte, tum a Iudæa confluentibus, vbi prope hoſtes ventum eſt, quum illi audacter eum inuaſiſſent, eos prœlio ſuperat, et vt fratri parentaret, fugientes in vicum perſequitur interficiens. Quumque domus armatis eſſent refertæ, et multi in tecta refugerent, iis potitur: et effractis domorum tabulatis, eas confertis militibus plenas conſpicit. Hos iactis ſuperne ſaxis aceruatim interficiunt: quæ res maxime fregit animos hoſtium, ſollicitorum de futuro. Cernebatur enim procul multitudo maxima coeuntium circa vicum, qui plenos cæſorum vicos conſpicati refugiebant. Quod niſi fœda tempeſtas impediuiſſet, inuaſiſſet Hieroſolymam regis exercitus, victoria fretus: negotiumque peregiſſet. Iam enim fugam plane adornabat Antigonus, et ab vrbe diſceſſionem. Poſtero die Herodes Pappi caput, qui occiſus erat, amputat, et Pheroræ mittit, fratrem

ita

ita vltus, quem Pappus ipſe ſua manu occiderat. Deinde finita tempeſtate, proficiſcitur, et prope Hieroſolymam caſtra facit, anno tertio ex quo Romæ rex creatus erat. Inde caſtra mouet, et prope muros collocat, qua parte vrbs erat maxime expugnabilis, ante templum, eam oppugnare habens in animo, vt ante fecerat Pompeius: atque obſepto tribus aggeribus loco, turres exprimit, magna manu ad id opus vtens, et proximas arbores ſecans. Ac præfectis operi idoneis hominibus, ſedente adhuc exercitu, ipſe Samariam ad nuptias proficiſcitur, filiam ducturus Alexandri Ariſtobuli filii, quæ ei deſponſata erat.

CAPVT XXVIII.

Antigonus a Soſio et Herode opprimitur.

POſt nuptias venit per Phœnicem Soſius præmiſſis per mediterranea copiis: venit et dux, agens equitum peditumque multitudinem. Ipſe quoque rex aduenit a Samaritide, non paruum exercitum, præter veterem, agens: quippe qui eſſet circiter triginta millium. Hi omnes ad mœnia Hieroſolymæ conuenerunt, et a muri parte ſeptemtrionali conſederunt, quum quidem eſſent peditum legiones vndecim, et equitum millia ſex, præter alia auxilia a Syria. Duces erant duo, Soſius ab Antonio miſſus in auxilium, et Herodes pro ſe ipſo, vt Antigono de principatu deiecto (quippe qui Romæ hoſtis declaratus eſſet) ipſe pro illo regnaret ex ſenatusconſulto. Iam vero Iudæi magno animo et contentione (vtpote vniuerſa gente congregata) Herodi repugnabant, intra mœnia concluſi: multaque circa templum iactabant, et populo fauſta ominabantur, tamquam Deo eos periculis liberaturo. Neque non extra vrbem alimenta omnia tum hominum tum pecorum diripuerunt, et clandeſtinis latrociniis hoſti difficultatem adferebant. At Herodes aduerſum latrocinia, locis opportunis inſidias diſponebat: annonam autem mittendis armatorum legionibus procul comportabat, ita vt breui tempore rebus neceſſariis abundauerint. Iam vero quum multa manus continenter in opere verſaretur, facile perfecti ſunt tres aggeres, vtpote quum æſtas eſſet, nec opus vlla aeris intemperie vel alia re impediretur. Itaque admotis machinis, muros quatiunt, et omnia experiuntur. Nec tamen perterrebantur, qui erant intus, quin excogitabant et ipſi contra oppugnatores non pauca, et eorum opera excurſionibus incendebant: et ad manus venientes, nihilo Romanis inferiores erant audacia: ſed ingenio ſuperabantur. Itemque aduerſus machinas, dirutis primis ædificiis alia exſtruebant, et ſub terra cuniculos agentibus occurrentes pugnabant: ac deſperatione magis quam virtute vtentes, bellum ad extremum perſequebantur, quamuis magno exercitu circumſeſſi, et fame rerumque neceſſariarum penuria laborantes: erat enim quietis annus, qui ſeptimus eſt. Tandem muros conſcenderunt, electi homines viginti: deinde Soſii centurio. Eſtque murus primus quadraginta diebus expugnatus, ſecundus quindecim: et quædam circa templum porticus combuſtæ ſunt, quas poſtea Herodes ab Antigono incenſas calumniabatur, vt eum Iudæorum inuidia grauaret. Expugnato exteriore templo, et vrbe inferiore, Iudæi in templum interius et vrbem ſuperiorem confugerunt: veritique ne a Romanis quotidiana Deo ſacra peragere prohiberentur, legatos miſerunt, qui poſtularent vt eis victimas tantum introducere permitteretur. Herodes vero deditionem facturos arbitratus, conceſſit: deinde vbi nihil ab eis eorum, quæ ſuſpicabatur, fieri videt, ſed eos fortiter pro Antigoni regno propugnare, vrbem adgreſſus vi cepit, atque omnia protinus plena cædibus erant, Romanis ob obſidionis

ſex menſium moram iratis, Herodianis autem Iudæis nullum aduerſarium relinquere ſtudentibus. Ita denſi in angiportibus, et per domos conſtipati, et in templo, in quod refugerant, iugulabantur: nec paruulis, nec ſenibus, nec mulieribus parcebatur: ac quamuis ſuperueniſſet rex, et vt parceretur oraret, nemo dexteram continebat, quin tamquam rabioſi in omnem ætatem ſæuirent. Ipſe Antigonus ab arce digreſſus, Soſio ad pedes accidit: atque ille ei intemperanter inſultauit, et Antigonam appellauit, atque in vincula coniecit adſeruandum. Accedebat autem peregrinorum militum vulgus ad fanum, ſacrasque templi res adſpiciendas: verum rex partim precibus, partim minis, nonnullos etiam armis repreſſit, vrbemque diripi prohibebat, Soſium etiam atque etiam interrogans, vtrum Romani, vrbe pecuniis virisque exinanita, regem ſe ſolitudinis eſſent relicturi? ſe vel totius orbis imperium, tam multorum ciuium cæde emendum eſſe non putare. Quumque ille pro obſidionis labore prædam ſe militibus merito concedere dixiſſet, reſpondit Herodes: ſe ſua pecunia ſingulis ſtipendia ſoluturum: atque ita reliqua vrbe redemta, promiſſum præſtitit. Nam et ſingulos milites magnifice, et duces pro rata parte, et Soſium plane regie muneratus eſt. Hoc vrbi malum accidit, Marco Agrippa, Canidio Gallo conſulibus, menſe tertio, feſtis ieiunii, eodem die quo a Pompeio viginti ſeptem annis ante capta fuerat. Soſius vero Deum aurea corona muneratus, Hieroſolymis profectus eſt, Antigonum vinctum ducens Antonio. Sed veritus Herodes ne Antigonus generis hereditatisque iure regnum vel recuperaret ipſe, vel ſuis filiis conciliaret, pecuniis perſuaſit Antonio, vt Antigonum necaret. Hic finis fuit potentatus domus Aſamonæi, poſtquam centum viginti ſex annos durauit: quæ domus clara fuit et illuſtris, tum generis nobilitate et honore pontificis, tum rebus per eius maiores pro natione geſtis. Verum hi propter mutuas diſſenſiones principatum amiſerunt, isque ad Herodem translatus eſt, Antipatri filium, hominem plebeiæ familiæ, generis priuati, regibusque ſubiecti.

FLAVII IOSEPHI ANTIQVITATVM IVDAICARVM LIBER DECIMVS QVINTVS.

CAPVT I.

Antonius Antigonum ſecuri ferit, et Herodes primos amicorum Antigoni interficit.

Poſtquam Herodes totius Iudææ principatum adeptus eſt, quicumque ex vrbana multitudine priuati homines adhuc ab ipſius partibus ſtabant, eos promouebat: qui vero ab aduerſariis faciebant, eos quotidie vlciſci, et ſuppliciis adficere non intermittebat. Erant autem apud eum in præcipuo honore, Pollio Phariſæus, et Sameas eius diſcipulus: quoniam hi duo, obſeſſa Hieroſolyma, ciuibus conſuluerant, vt Herodem acciperent. Tunc igitur Hieroſolymis potitus Herodes, omnia regiæ ornamenta congeſſit, et inſuper locupletibus compilandis magnam argenti aurique vim contraxit, et his omnibus Antonium eiusque familiares amicos donauit. Interfecit etiam quadraginta quinque primos Antigonianarum partium, conſtitutis ad murorum portas cuſtodiis, ne quid cum mortuis efferretur. Neque non mortui excutiebantur, et quidquid erat inuentum argenti, aut auri, aut rerum pretioſarum ad regem referebatur: denique malorum modus erat nul-

nullus, partim propter dominantis auaritiam, qui indigeret: partim quod terram incultam manere cogebat annus ſeptimus. Antonius vero quum captiuum cepiſſet Antigonum, decreuerat vſque ad triumphum ſeruare vinctum: ſed quum audiret rebus nouis ſtudere gentem, et præ Herodis odio beneuolentiam erga Antigonum retinere, ſtatuit eum Antiochiæ ſecuri feriendum: alioquin quieſcere Iudæi minime poterant. Poſtquam regnum Herodes occupauit, Hyrcanus pontifex, qui apud Parthos captiuus erat, ad Herodem venit, captiuitate liberatus in hunc modum.

CAPVT II.

Quo pacto Hyrcanus a Parthis dimiſſus, ad Herodem redierit.

VBi a Barzapharne et Pacoro ad Phraatem Parthorum regem perductus eſt, Phraates (qui eius generis nobilitatem audiiſſet) eum clementer tractauit: vinculiſque ſolutum, Babylone degere voluit. Erat illic Iudæorum multitudo, qui Hyrcanum vt pontificem et regem honorabant. Idemque faciebat vniuerſa Iudæorum gens, quæ vſque ad Euphratem incolebat: id quod ei gratum erat. Sed Herodem regnum adeptum intelligens, ſpem nouam concepit, tum quod iam ab initio erat amico in Herodem animo, tum quod eum beneficiorum, quæ ab Hyrcano accepiſſet, memorem fore putabat. Itaque hac de re Iudæis ſermonem iniecit, qui ipſum frequentabant. At illi eum retinere, et vt maneret ſuadere, demonſtrantes officia ei et honores ab ſe præſtari, pontifice et rege non indignos: quodque maius eſſet, hæc eum Hieroſolymæ propterea conſequi non poſſe, quod haberet mutilatum ab Antigono corpus. Iam vero beneficia non pariter a regibus referri, quæ priuati acceperint, mutante eos non parum fortuna. Hæc quamuis ei demonſtrarent, tamen diſcedere cupiebat. Præterea ſcripſit Herodes ei, vt Phraatem oraret, et qui illic eſſent Iudæos, ne ei communem regni poteſtatem inuiderent. Nunc enim tempus eſſe et ſibi referendæ illi gratiæ, qui ab eo nutritus et conſeruatus fuiſſet: et illi accipiendæ. Hæc Hyrcano ſcribens, mittit etiam ad Phraatem legatum Saramalam, et complura dona, eum comiter orans ne ſe homini bene de ſe merito gratiam referre prohiberet. Verum longe alius erat eius animus: volebat enim Hyrcanum in poteſtate habere, aut etiam occidere, metuens ne is aliquando regnum recuperaret. Igitur venit Hyrcanus: et Herodes eum excepit honorificentiſſime, eique deinceps in conuentibus et in conuiuiis primum locum tribuebat, vt eum deciperet, patrem appellans, et omnem inſidiarum ſuſpicionem amoliens. Fecit et alia ad tuendum principatum, quæ ei domeſticam ſeditionem excitarunt. Vt enim caueret ne quem ex illuſtribus pontificem crearet, euocat a Babylone Ananeelem, quemdam ſacerdotem ignobilem, eique pontificatum dat. Hanc contumeliam protinus non tulit Alexandra Hyrcani filia, Alexandri Ariſtobuli regis filii coniux, quæ ex Alexandro liberos habebat, v[illegible]cet formoſiſſimum filium nomine Ariſtobulum, et nuptam Herodi [illegible]iam, forma inſignem. Hæc Alexandra turbabatur, et pueri ignominiam ægre ferebat, ſi eo ſuperſtite, adſcitus quidam pontificatu donaretur. Itaque ſcribit Cleopatræ, vt puero ab Antonio peteret principatum. Atque Antonio ſegnius obtemperante, eius amicus Gellius, quum in Iudæam propter quædam negotia veniſſet, vt vidit Ariſtobulum, delectatus eſt venuſtate: et pueri proceritatem et pulchritudinem admiratus, neque minus Mariam regis

coniugem; ac ſe pulchrorum matrem natorum Mariam exiſtimare præ ſe ferebat. Quumque illa cum eo in colloquium veniſſet, perſuadet vt depictas amborum imagines mittat Antonio: iis enim viſis, nihil non ab illo impetraturam. Atque id illa fecit: et Gellius rem in immenſum exaggerauit, dicens non ab hominibus, ſed a quopiam Deo natos videri ſibi pueros. Ille vero puellam quidem arceſſere verecundatus eſt, quod ea Herodi nupta foret, et ipſe apud Cleopatram hac de re criminationes vitaret: ſed vt puerum mitteret ſcripſit, idque honeſte fecit, addens, niſi graue videretur. His acceptis, Herodes haud iudicauit forma et ætate florentem Ariſtobulum (erat enim annorum ſexdecim) et genere præſtantem, mittere ad Antonium, hominem eo tempore Romanorum vel potentiſſimum, eumdemque libidini deditum, et voluptates inuerecunde (quoniam poſſet) conquirentem. Hanc ob cauſſam reſcripſit, ſi tantum ex iis finibus exiiſſet adoleſcentulus, fore omnia belli turbarumque plena, Iudæis mutationem resque nouas ſub alio rege ſperantibus. Hæc cauſatus apud Antonium, ſtatuit puerum et Alexandram non omnino expertes honoris relinquere: accedentibus etiam Mariæ precibus, quæ adſidue contendebat, vt fratri ſuo pontificatum reſtitueret: quam quidem rem ipſe e re ſua eſſe iudicauit, vt puero in honore conſtituto, patria abeſſe non liceret. Igitur conuocato amicorum concilio, grauiter de Alexandræ facto conqueritur, ſeque quod Ananeelem pontificem creauerit, non alia de cauſſa feciſſe dicit, quam vt id munus Ariſtobulo adhuc puero ſeruaret, idque nunc ei tradere. Atque hæc dicebat callidiſſime, vt mulieres et amicos, qui aderant, falleret. Hac re ita lætata eſt Alexandra, vt ei gratias egerit maximas, et ſe ad omnia obedientem fore promiſerit veniamque petierit. Ita compoſita eſt diſſenſio, omni (vt videbatur) ſuſpicione ſublata.

CAPVT III.

Herodes Ariſtobulum Mariæ vxoris ſuæ fratrem interficiendum curat.

IGitur rex Herodes Ananeelem pontificatu protinus abdicauit, hominem generis pontificii, et iamdiu ſibi amicum: idque eo conſilio fecit, vt domeſticas turbas ſedaret. Neque tamen metuere deſinebat, ne Alexandra res nouas moliretur: itaque iuſſit eam in regia degere, neque quidquam per poteſtatem facere, ſtatutis etiam cuſtodibus, qui eam ſic obſeruarent, vt nihil facere poſſet quod non reſciſceretur. Hæc omnia eam exacerbabant, in cauſſaque erant vt Herodem exoſa, ea Cleopatræ ſignificaret, de rebus ſuis continenter conquerendo, et illam vt ſibi pro viribus ſubueniret orando. Illa vero iuſſit, vt clanculum cum puero ad ſe perfugeret in Aegyptum: id quod ei ſic facere viſum eſt, et artem huiusmodi comminiſcitur. Comparatis tamquam ad efferendos mortuos duabus arcis, in vnam ſe, in alteram filium imponit, conſciisque famulis imperat vt ſe noctu[illegible]rant. Erat inde iter eis ad mare, parata naui in Aegyptum nauiga[illegible]ra. Sed eius famulus Aeſopus, quum forte in Sabbionem eiusdem amicum incidiſſet, arbitratus conſcium eſſe, rem enuntiat. Quo cognito Sabbion (qui prius Herodi inuiſus eſſet, quod vnus eorum eſſe putaretur, qui Antipatro venenum porrexiſſent) ſperauit ſe habiturum hoc indicio ad regis gratiam receptum: itaque ei Alexandræ conſilium narrat. Herodes vero eam eo vsque progredi ſiuit, vt deprehenderit in ipſo facinore: tamen veniam dedit, quamuis libenter in eam animad-

animaduerſurus: ſed non auſus eſt, metu Cleopatræ: quin ea animi magnitudine videri voluit, vt eis clementia ignouiſſe putaretur: ſed omnino adoleſcentem e medio tollere propoſitum erat. Verum vt probabilius latere poſſet, non ſtatim id, neque mox poſt illa quæ dicta ſunt, faciendum videbatur. Et inſtantibus Vmbraculorum feſtis, eos dies præteriit, et voluptati vna cum populo ſeſe dedidit: quæ tamen res in cauſſa fuit, vt eum inuidia manifeſte ad maturandum incitarit. Nam adoleſcens Ariſtobulus, annos ſeptemdecim natus, ad aram ex lege, ſacra facturus adſcendit, pontificio veſtitu, pulchritudine pulcherrimus, et magnitudine ætatem antecellens, neque non in forma plurimam generis ſui nobilitatem oſtendens. Et multitudo tum geſtu, tum verbis lætitiam præ ſe ferens, facile oſtendit quo eum fauore proſequeretur, et qua recordatione eius aui Ariſtobuli facta recoleret. His omnibus de cauſſis decreuit Herodes, quod inſtituerat perficere. Igitur tranſactis feſtis, quum Hierichunte apud Alexandram conuiuatus eſſet, rationem inuenit colludendi poſt prandium cum adoleſcente: eumque ad perluendum in ſtagno contra ardores pellexit: atque ibi inter lauandum, Herodis amici illum ex compoſito, per ſpeciem luſionis et ioci, tanta aqua conſperſerunt, vt plane exſtinxerint. Hoc vbi cognitum eſt, grauiter doluerunt omnes: ſed in primis Alexandra, quæ parum abfuit, quin ipſa ſibi manus attulerit, ſciens quo pacto res geſta foret. Tamen ſeſe quam potuit optime continuit, et vt aliquando factum vlciſci poſſet, diſſimulauit id ſe ſcire factum de induſtria. Herodes vero omni ratione diſſimulauit inſidias, non ſolum mortuo magnifice iuſta perſoluendo, verum etiam lacrimas emittendo, et ſe ex animo dolere oſtendendo.

CAPVT IIII.

Cleopatra Iudææ et Arabiæ partem impetrat ab Antonio.

Neque tamen non perſcripſit inſidias ad Cleopatram Alexandra. Itaque Cleopatra (quæ iampridem Alexandræ precibus ſatisfacere cuperet, eiusque vicem doleret) eam rem, ſuam facit, et Antonium ad pueri necem vlciſcendam impellere non deſinit: neque enim æquum eſſe, vt Herodes Antonii opera regnum ad ſe nihil pertinens adeptus, eiusmodi ſcelera committeret in veros reges. His adductus Antonius, vbi Laodiceam venit, ad Herodem mittit, vt ad cauſſam ſuper Ariſtobulo dicendam veniat. Herodes vero crimen et Cleopatræ ſimultatem veritus, quæ Antonium in ſe incitare non intermitteret, ſtatuit obtemperare (nec enim aliud facere licebat) mandataque Ioſepho auunculo ſuo principatus et rerum procuratione, ei arcane præcepit, vt ſi quid ipſe ab Antonio paſſus eſſet, protinus Mariam necaret: tanto enim mulieris amore deuinctum eſſe, vt contumeliam timeret, ſi ſe mortuo illam aliquis propter pulchritudinem adamaret: in quo quidem Antonium innuebat. His præceptis, Herodes ad Antonium proficiſcitur: Ioſephus vero, qui regni negotia adminiſtraret, ideoque continenter cum Maria colloqueretur, perpetuo memorabat Herodis erga ipſam amorem. Quumque illæ, præſertim Alexandra, id femineo more deriderent, ipſe monſtrandi regis animi cupidus, quid ſibi datum in mandatis eſſet, detegit, vt Herodem ſine ea viuere non poſſe oſtenderet: quam quidem Herodis crudelitatem mulieres grauiſſime tulerunt. Interea Herodis inimici famam per vrbem ſparſerunt, Herodem ab Antonio cruciatum interiiſſe: qua de re tota regia perturbata eſt, præſertim feminæ. Itaque perſuaſit

Alexandra Ioſepho, vt ex regia egreſſus, ſeſe vna cum ipſis feminis ſub legionis Romanæ ſigna reciperet, quæ tum ad vrbem regni tuendi gratia, Iulio duce caſtra habebat. Primum enim, ſi quis in aula tumultus oriretur, tutius acturos in Romanorum beneuolentia. Præterea ſperabat omnia ſe conſecuturam, ſi Mariam vidiſſet Antonius, per eumque principatum recuperaturos: et nulla re cerituros, quæ in nobilitate regia educatis digna foret. Hæc inſtituentibus, veniunt ab Herode de toto negotio litteræ, rumori plane contrariæ. Vt enim venit ad Antonium, eum ſtatim donis (quæ Hieroſolymis apportauerat) ſibi conciliauit: et inter colloquia, eius odium diſcuſſit adeo, vt Cleopatræ verba parum valerent. Negabat enim Antonius, decere a rege rationem repoſci eorum, quæ geſſiſſet in imperio: alioquin non fore regem, ac poſtquam eius poteſtatis honos ad eum delatus esſet, permittendum eſſet, vt eo vteretur: neque non ipſi Cleopatræ expedire, principatus non vsque adeo curare. Hisce de rebus ſcripſit Herodes, necnon de aliis honoribus, qui ei ab Antonio fuiſſent habiti, inuitis Cleopatræ calumniis, quæ ſe reginam fieri Iudææ ardebat: verum Antonius ei pro Iudæa Cœleſyriam dederat. His litteris adlatis, ſuperſederunt eo conſilio, quo ſe ad Romanos recipere decreuerant: neque tamen id reſcitum non eſt. Nam poſtquam rex deducto Antonio in Parthos proficiſcente, in Iudæam rediit, eius ſoror Salome, et mater, ei protinus Alexandræ inſtitutum declarant: et inſuper maritum ſuum Ioſephum criminatur Salome, habere cum Maria conſuetudinem. Id autem hac de cauſa dicebat, quod ei iampridem infenſa erat, propterea, quod inter earum contentiones, Maria, mulier faſtidioſa, illis ignobilitatem exprobrabat. Herodes vero, qui in Mariam ſemper ardore flagraret amatorio, ſtatim turbatus eſt, impatiens obtrectationis. Verum ne quid temere committeret, animum cohibuit, et Mariam ſeorſum interrogauit de crimine Ioſephino. Sed ea iurante, et omnia quæ inſontibus ineſſe ſolent, ad ſui purgationem adlegante, Herodi paullatim perſuadebatur, et ira ſedabatur, amore vincente: eousque vt ſeſe purgaret, quod criminationi credidiſſe videretur, eiusque modeſtiæ magnas gratias ageret, et ſingularem ſuum erga eam amorem fateretur. Poſtremo in lacrimas et mutuos complexus magno adfectu euaſerunt. Atque hic dum rex ei perſuadere numquam poteſt, eamque ad adfectum ſuum trahit: Enimuero (inquit Maria) non eſt amantis, in mandatis dare, vt ſi quid ipſi ſiniſtrum acciderit ab Antonio, ego vna peream, nihil commerita. Hoc elapſo verbo perculſus rex, eam ſtatim de manibus dimittere, et vociferans capillos ſibi vellere: manifeſtum ſe dicens argumentum habere, Ioſephi cum ea conſuetudinis: numquam enim enuntiaturum fuiſſe, quæ ſeorſum audiiſſet, niſi magno inter eos intercedente commercio. Sic adfectus, parum abfuit quin vxorem occideret: ſed amore victus, animum ſuum ægre et cum dolore vicit: et tamen Ioſephum ne in conſpectum quidem ſuum admiſſum, curauit occidendum: et Alexandram, tamquam omnium cauſſam, in cuſtodiam dedit. Per id tempus etiam in Syria turbatum eſt, quod Cleopatra, mulier ſumtuoſa et luxurioſa, ab Antonio (quem amore faſcinatum et irretitum tenebat) modo hanc, modo illam regionem poſtulare non intermittebat: atque inter alias, inter obeundum Syriam, eam in poteſtatem ſuam redigere cogitabat. Itaque Antonium orauit, vt Iudæam et Arabiam a regibus, qui eas tenerent, auferret, et ſibi daret. Antonius huius mulieris amore ſic inſaniebat, vt ei denegare ſciret nihil: tamen illis tantam tam manifeſtam iniuriam inferre verebatur, ne in maximis offenderet. Igitur vt modum teneret, abſtulit ab illis eorum regionis partem, quam Cleopatræ tri-

tribuit, eique etiam vrbes dedit, quæ ſunt intra Eleutherum flumen vsque in Aegyptum, exceptis Tyro et Sidone, quod eas antiquitus liberas eſſe ſciret, licet illa vt ſibi darentur multum flagitante.

CAPVT V.

Cleopatræ in Iudæam aduentus.

CLeopatra his impetratis, et Antonio (qui in Armeniam expeditionem faciebat) vsque ad Euphratem deducto, reuerſa eſt, et Apamiam Damaſcumque venit, atque in Iudæam proceſſit. Et Herodes eam conuenit, et ab ea Arabiæ partem ei datam redemit, nec non prouentum agri Hierichuntii, qui balſamum fert, rem eius loci pretioſiſſimam, et nusquam alibi prouenientem: itemque palmas multas, easque pulchras. Ibi dum illa moratur, et cum Herode magnam conſuetudinem habet, tentauit cum eo rem habere. Herodes vero (qui iampridem non beneuolo eſſet in eam animo, intelligens in omnes moleſtam eſſe) tunc etiam magis odit, et ea de re cum amicis collocutus eſt, vtrum eam quum poſſet occidere deberet. Sed illis disſuadentibus, et periculum ab Antonio proponentibus, ea re ſuperſedit, et Cleopatram muneratus, ad Aegyptum deduxit. Quod ad vectigalia attinebat, Cleopatræ ob datam ei ab Antonio regionem pendenda, ea rite ſoluebat Herodes: parum tutum exiſtimans, Cleopatræ cauſam odii dare. At Arabs, quum Herodes eam pecuniam ab ipſo exigendam recepiſſet, quippe qui pro eo ſpopondiſſet, aliquamdiu ducenta illa talenta ei ſoluit: ſed poſtea prauus tardusque ad penſiones factus eſt: quod ſi quam partem ægre ſoluebat, ne id quidem ſine fraudatione faciebat.

CAPVT VI.

Herodes Aretæ bellum infert, et vincitur.

HAnc ob cauſſam Herodes ſic erat adfectus, vt ei bellum inferre vellet, atque ad eam rem vſus eſt tempore Romani belli. Quum enim exſpectaretur Actia pugna, in qua Cæſar cum Antonio de ſumma rerum dimicaturus erat, Herodes (qui regionem prope cultam iamdiu haberet, et magnos reditus atque opes quæſiuiſſet) delectum habuit, apparatu accuratiſſimo, vt Antonio ferret auxilium. Verum Antonius eius ſe ſubſidio egere negauit, eique mandauit, vt Arabem (cuius perfidiam tum ab ipſo Herode, tum a Cleopatra, audiuiſſet) adoriretur. Iudicabat enim Cleopatra, e re ſua eſſe vt alter alterum læderent. Ergo reuerſus Herodes, exercitum retinet, et Arabiam protinus inuadit: ac cum equeſtribus pedeſtribusque copiis ad Dioſpolim peruenit, Arabes illic obuiam habiturus: atque ibi commiſſum eſt magnum prœlium, in quo Iudæi vicerunt. Poſtea conuenit ingens Arabum exercitus apud Canam (loca ſunt Cœleſyriæ) qua re iam cognita, Herodes duxit in eos maximam ſuarum virium partem: atque vbi ad Canam appropinquauit, ſtatuerat caſtra facere, et ea foſſa munire, vt ſecundis temporibus prœlia faceret. Sed hæc eo inſtituente, conclamat Iudæorum multitudo, vt ſe in Arabas nulla interpoſita mora ducat. Eos autem animabat, quod ſe pulchre ordinatos credebant: et omnes, qui ſuperiorem pugnam, ne ad manus quidem hoſtes venire paſſi, vicerant, ferociores erant. Ita regem in ſuam ſententiam pertraxerunt, vt primus in armis magno animo incederet, et omnes eum ordine ſequerentur: qua re Arabes continuo perterriti ſunt. Poſtquam enim paulliſper reſtiterunt, vbi Iudæos inui-

inuictos, animique plenos viderunt, plerique in fugam verſi ſunt ac conciſi eſſent, niſi Athenio Herodi et Iudæis iniuriam feciſſet. Is quum Cleopatræ nomine dux eſſet illius tractus, et ab Herode diſſideret, quid futurum eſſet non imparatus attendebat. Quod ſi quid egregium Arabes geſſiſſent, ſtatuerat quietum ſe tenere: ſin inferiores eſſent, id quod accidit, Iudæos inuadere, vna cum iis, qui ex illis finibus conuenerant: id quod fecit. Laſſos enim, et ſe vincere putantes, adgreſſus de improuiſo, magnam eorum cædem edidit in locis petroſis, et ad equitandum parum idoneis, in quibus qui laceſſebant, eſſent adſuetiores. Quum ita male cum Iudæis ageretur, conuerſi Arabes in eos iam verſos, impetum faciunt: atque ita Iudæi vndique cæduntur, paucique elapſi in caſtra refugiunt. Herodes vero de pugna deſperans, citato equo ſubſidium arceſſit: neque tamen mature, quamuis adhibita diligentia, ſubuenire potuit, quin capta ſunt caſtra Iudæorum. Deinceps Herodes latrociniis vtebatur, et Arabiam incurſionibus vrebat, in montibus caſtra faciens, atque in vniuerſum ne aperte ad manus veniret, cauebat: neque tamen non hoſtibus adſiduitate et labore incommodabat, et ſuorum caſum omni ratione corrigere ſtudebat.

CAPVT VII.

De terræ motu, qui in Iudæa accidit.

INterea per tempus Actiæ pugnæ, quæ Cæſari cum Antonio fuit, anno regni Herodis ſeptimo, concuſſa Iudææ tellus, quantum numquam antea videbatur, multa pecora corrupit, oppreſſaque ſunt hominum circiter decem millia ruina domorum: ſed exercitus, quod erat ſub dio, manſit illæſus. Hoc accepto nuntio Arabes (quum quidem odio Iudæorum, res in maius augeretur) maiores ſpiritus ſumſerunt, adeo vt exiſtimarent euerſa terra hoſtium, deletiſque hominibus, nihil iam ſupereſſe quod ipſis obſtaret. Quinetiam Iudæorum legatos (qui propter illud detrimentum, eo de pace venerant) comprehenſos interfecerunt, et in eorum exercitum omni ſtudio ire contenderunt. Et Iudæi inferiores ſe ſentientes, nec vllum auxilium exſpectantes, animos deſponderunt, et ne exſpectatis quidem hoſtibus, omnia deſerere volebant. At rex cum ducibus colloquendo, et eorum animos reficere tentando, eos retinuit: ac commotis et audacioribus factis quibusdam de præſtantioribus ad vniuerſam multitudinem iam verba facere auſus eſt, et ad eos eiusmodi orationem habuit, vt animum ſumſerint, et ad pugnam parati fuerint.

CAPVT VIII.

Iudæi Arabes vincunt.

ET Herodes ſacrificiis rite factis, eos celeriter adſumit, et aduerſus Arabes trans Iordanem ducit, et prope hoſtes caſtra metatur. Erat inter eos caſtellum, quod occupare cupiebat: id ſibi vſui fore putans, tum ad hoſtem celeriter prœlio laceſſendum, tum ad caſtrorum munitionem, ſi pugna abſtinendum foret. Idem quum cogitarent Arabes, oritur de eo loco certamen: ac primo velitatio erat, deinde plures vtrimque ſubſidio mittuntur et cadunt, donec victi Arabes ceſſerunt. Ea res protinus Iudæis non parum ad ſpem momentum præbuit, et hoſtes ita perterruit, vt nihil tam timerent quam prœlium. Itaque Herodes, vt eos ad pugnam eliceret, eorum vallum fortiter diuellere, et caſtra oppugnare cœpit. Itaque coacti

ſunt

ſunt illi nullo ordine, nulloque animo aut ſpe victoriæ prodire. Tamen manus conſeruerunt, tum quia numero ſuperabant, tum quia eos animum ſumere cogebat neceſſitas. Itaque commiſſum eſt acre prœlium, in quo multis vtrimque cadentibus, tandem in fugam verſi ſunt Arabes: tantaque eorum cædes facta eſt, poſtquam cedere cœperunt, vt non ſolum ab hoſtibus interirent, verumetiam ipſi ſeipſos læderent, dum inter ſeſe coarctati, ſuis ipſi telis vulnerantur, tum propter multitudinem, tum quia confuſi ruebant. Igitur cæſa ſunt quinque millia: reliqua turba intra vallum confugit: ſed omni ſpe ſalutis deſtituebantur, quippe quum commeatus, et maxime aquæ penuria laborarent: et Iudæi eos perſecuti, quum vna cum eis irrumpere nequiuiſſent, vallum circumſident: et aditus exitusque cuſtodientes illos fuga prohibent. Quamobrem eo redacti Arabes, legatos ad Herodem primum de compoſitione mittunt: deinde cogente ſiti, deditionem in quaſcumque leges facere volunt, modo in præſens eis miſericordia tribuatur. Sed Herodes, nec legatos, nec pretium, nec aliud quidquam æqui admittebat: tanta erat vlciſcendi cupiditas. Itaque cogebantur, maxime ſiti, ſeipſos abducendos conſtringendosque dedere: captaque ſunt quinque diebus quatuor eorum millia. Sexto die reliquis omnibus viſum eſt eruptionem facere, et in quemuis euentum periclitari potius, quam turpiter perire paullatim. Itaque extra vallum prodierunt: ſed prœlium ſuſtinere non potuerunt, cecideruntque primo conflictu circiter ſeptem millia. Quare admiſſa omni fiducia, Herodi ſe in poſterum tradunt, eumque gentis dominum accipiunt.

CAPVT IX.

Herodes ad Cæſarem ire neceſſe habens, Hyrcanum interficit.

SEd haud multo poſt, cum Cæſar Antonium in Actia pugna viciſſet, Herodes in periculo fuit ne omnia perderet, quoniam Antonium iuuiſſet. Atque vt res ſuas in tuto collocaret, Cæſarem aditurus, Hyrcanum de medio tollere decreuit: quod dum habet in animo, illi ei nonnullam eius rei occaſionem præbuerunt. Nam Alexandra, mulier ambitioſa, Hyrcanum patrem ſuum ſollicitauit, vt ad Malchum Arabiæ rectorem ſcriberet, vt eos acciperet, et in Arabiam tuto perduceret. Si enim Herodi accideret, vt Cæſaris inimico accidere conſentaneum eſſet, ipſos vnos principatum recepturos, qua propter genus, qua propter plebis beneuolentiam. His ſermonibus quum non auſcultaret Hyrcanus, quippe qui quietus in otio vitam agere vellet, ea noctes et dies vrgendo, et ei Herodis inſidias proponendo, perpulit tandem, vt litteras daret cuidam amico nomine Doſitheo, in quibus ſtatuebatur, vt Malchus ei mitteret equites, a quibus vsque ad lacum Aſphaltitem deduceretur, qui diſtat a Hieroſolymitano tractu trecentis ſtadiis. Doſitheo autem propterea fidebat, quod Doſitheus tum ipſum, tum Alexandram colebat, neque non cauſſam odio Herodem proſequendi habebat, qui conſanguineus eſſet Ioſephi ab Herode occiſi, et eorum frater quos Antonius antea Tyri interfecerat. Et tamen Doſitheus, vt a rege gratiam iniret, litteras ei tradidit. Rex laudata eius beneuolentia, ei hoc inſuper officium iniunxit, vt clauſas ſignatasque litteras ad Malchum perferret: Malchique viciſſim litteras referret, vt eius quoque animum cognoſceret. Id quod libenter fecit Doſitheus: et Malchus reſcripſit, ſe Hyrcanum, eiusque comites omnes, atque adeo quicumque ab eo ſtarent Iudæos, non grauate accepturum, et homines miſſurum, qui eos tuto perducerent, neque vlla in parte illius

illius poſtulatis defuturum. His litteris acceptis Herodes Hyrcanum arceſſit, et de factis inter eum et Malchum pactionibus interrogat. Quum ille negaſſet, oſtendit litteras in concilio, et Hyrcanum interficit. Hæc nos ita ſcribimus, vt in Herodis commentariis habebantur. Alii ſcripſerunt, interfectum ab Herode per iniuriam in hunc modum. Quæſiuit in conuiuio (nullam ſuſpicionem dans) ab Hyrcano, ecquid litterarum a Malcho accepiſſet? quum Hyrcanus litteras, in quibus ab illo ſalutaretur, accepiſſe ſe confiteretur, quæſiuit rurſus Herodes, ecquod donum accepiſſet: reſpondit Hyrcanus, nullum, niſi quatuor iumenta. Hæc Herodes corruptelam et proditionem interpretatus, eum ad ſupplicium duci imperauit. Hyrcano ſublato, Alexandram ſuſpectam habebat, ne per occaſionem populum ad rebellionem pelliceret, et in regni rebus ſeditionem ſuſcitaret. Itaque totum negotium Pheroræ fratri ſuo mandat, et Cyprum matrem, et ſororem, et liberos omnes Moſadæ collocat: mandatque Pheroræ, vt ſi quem ſiniſtrum nuntium de ſe acceperit, negotia tueatur. Quod ad vxorem Mariam attinebat, quoniam fieri non poterat, vt ea cum ipſius regis ſorore et matre, a quibus diſſidebat, maneret, eam in Alexandrio cum Alexandra eius matre collocauit, earumque curam quæſtori Ioſepho et Soemo Ituræo mandauit, cum præcepto, vt ſi quid ſiniſtri de ipſo intellexiſſent, ambas necarent: regnumque ſuis filiis vna cum fratre Pherora pro viribus reſeruarent.

CAPVT X.

Herodes etiam a Cæſare regnum obtinet.

HIs imperatis, Rhodum magnis itineribus contendit ad Cæſarem: vbi in vrbem peruenit, diadema deponit, ceteri apparatus nihil mutat: atque vbi ad Cæſaris colloquium ventum eſt, magnum animum, nihil ſuppliciter orando, præſtitit, et ita verba fecit (ſeſe et Antonio fidelem amicum fuiſſe, et Cæſari eſſe poſſe confitens) vt Cæſaris, humani et magnifici viri, animum ſibi conciliauerit, ita vt Cæſar ei diadema rurſus impoſuerit, eumque monuerit, vt ſibi non minus amicus eſſet, quam ante fuiſſet Antonio: et ei maximos honores habuerit, dicens ſcripſiſſe Capidium, ab Herode ſe cupidiſſime adiutum fuiſſe contra principes. Itaque Herodes ſe in tanta gratia eſſe videns, ſibique ex inſperato regnum eſſe magis confirmatum, tam donatione Cæſaris, quam Romanorum ſenatus conſulto, quod ad maiorem certitudinem curauit obtinendum, Cæſarem in Aegyptum proficiſcentem deduxit, eumque et eius amicos ſupra vires muneratus eſt, ſeſe quam potuit magnificentiſſime gerens. Poſtulauit etiam Alexandro veniam, qui Antonio fuerat amicus: ſed non impetrauit, impediente Cæſarem iureiurando. Inde in Iudæam maiore cum honore et confidentia rediit, quam vnquam antea. Itaque continuo Cæſarem vt acciperet, operam dedit, qui a Syria inuaſurus erat in Aegyptum: atque vbi ille aduenit, eum et eius aulam ita eleganter et regie accepit, vt nihil ſupra. Deinde illos per eam regionem tranſeuntes quæ caret aqua, ita muniuit, vt nec aqua nec vino caruerint: Cæſarique octingenta talenta donauit, et his rationibus magnam ſibi beneuolentiam peperit. Deinde rurſum primis ab Aegypto redeuntibus, omnia ſumma officia præſtitit.

Digitized by Google

CAPVT XI.

Herodes vxorem ſuam Mariam calumniis inductus, interficit.

SEd in regnum ſuum reuerſus, offendit domum ſuam turbatam: vxoremque Mariam, et Mariæ matrem Alexandram, male compoſitas, ſuſpicatæ enim quod erat, perfecerunt apud Soemum (qui earum cuſtodiam habebat) vt ad extremum omne regis mandatum expoſuerit: quam rem Maria tulit grauiſſime, quemadmodum poſtea oſtendit. Nam vbi reuerſus Herodes, Mariæ primæ itineris ſui felicitatem nuntiauit: ſolamque inter omnes præ amore, ſuo more, ſalutauit: ipſa eum ita mæſte accepit, gemendo dum ſalutatur, et triſtitiam magis quam lætitiam præ ſe ferendo, dum ille itineris ſui ſucceſſum narrat, vt Herodes eius in ſe odium perſpicue cognouerit, id quod iniquiſſime tulit: et amoris impatiens, mutabat inter amorem et odium, vt modo eam punire cuperet, modo victus amore ſeſe cohiberet, metuens ne ſi eam capite plecteret, eum ſero pœniteret. Et Herodis ſoror atque mater, cognito eius in Mariam animo, nactæ hanc occaſionem, dabant quantum poterant operam, vt eum calumniis ad odium obtrectationemque perducerent: quas calumnias audiebat ille quidem libenter, ſed in vxorem ſtatuere audebat nihil: tamen in dies erat alieniore in eam animo: gliſcebatque vtrimque malum, dum et illa adfectum ſuum non diſſimulat, et hic amorem adſidue conuertit in odium: adeo vt iam tum fuerit in eam grauius aliquid ſtatuturus. Sed interea nuntiatur Cæſar victoria potitus, mortuis Antonio et Cleopatra, Aegyptum obtinuiſſe: itaque Herodes, vt Cæſari celeriter obuiam proficiſceretur, domum ſuam in eo ſtatu reliquit. Ac diſcedenti commendauit Maria Soemum, qui ſui ſedulo curam geſſiſſet, eique præfecturam a rege exorauit. Herodes vero vbi in Aegyptum peruenit, cum Cæſare confidentius iam, vt amicus, collocutus eſt, et ab eo maxima beneficia accepit. Nam Cæſar ei quadringentos Gallos, Cleopatræ ſtipatores, dono dedit, terramque reſtituit, qua propter Cleopatram multatus fuerat: necnon eius regno Gadara, Hippum et Samariam addidit, et in ora Gazam, Ioppen, et turrim Stratonis. Quas ille res inſuper conſecutus, magnificentior euaſit, et Cæſarem ad Antiochiam comitatus eſt. Deinde reuerſus domum, quantum creſcere externarum rerum ſucceſſu videbatur, tanto plus malorum in domeſticis habebat, præſertim in re vxoria, in qua antea tam fortunatus eſſe videbatur. Erat enim Mariæ in coniugio ſic amans, vt nemo alius: ſed ipſa alioquin pudica, et erga eum fidelis, habebat ingenium muliebre paullo odioſius, quippe quæ eum amore deuinctum tractaret aſperius: et nullam habens regiæ dignitatis rationem, ſæpe in eum petulantius ſe gereret, id quod ille patienter et diſſimulanter ferebat. Deridebat etiam ipſa palam regis matrem et ſororem, et de eis ob ipſarum generis obſcuritatem maledicebat: quæ res inter feminas ſimultatem et odium inexpiabile, ac tunc etiam plures calumnias gignebat: adeoque ſota eſt ea ſuſpicio, vt vnum annum durauerit poſt Herodis a Cæſare reditum. Poſtremo alitum diu malum, erupit per occaſionem, quam iam dicam. Quodam die rex meridie cubuit quietis gratia: et Mariam pro ſuo perpetuo in eam amore euocauit. Illa vero ingreſſa quidem eſt, ſed cum eo non cubuit, quamuis cupiente: quin eum contemſit, et contumelia adfecit, ei patris fratrisque ſui necem exprobrans. Hac dum ille contumelia offenſus, ad temerarium aliquid committendum procliuis eſt, Salome regis ſoror maiorem turbam

ſentiens, eo ſubmiſit regis pocillatorem a ſe iampridem ſubornatum: iuſſitque vt diceret, a Maria oratum ſe, vt ipſam in conficiendo regi amatorio adiuuaret. Quod ſi rex turbatus quæſiuiſſet quid eſſet, diceret amatorium eſſe penes Mariam, ſed ſe ab ea oratum, vt id regi porrigeret. Sin hac amatorii mentione rex non moueretur, ſineret: id quidem nullum pocillatori adferre periculum. Hunc illa ſic inſtructum miſit intro. Ille compoſitus ad fidem, et cum ſtudio ingreſſus, dicit, Mariam ſibi dona dediſſe, vt regi præberet amatorium. Ad hoc commoto rege, dicit id amatorium eſſe pharmacum, quod ab ea daretur, cuius quænam vis eſſet, neſcire ſe: hac de cauſſa ſe id regi indicaſſe, ratum id et ſibi et regi tutius futurum. His verbis auditis Herodes, qui iam ante male adfectus eſſet, etiam magis exacerbatus eſt: et de ſpadone, qui erat Mariæ fidiſſimus, quæſtionem habuit ſuper pharmaco: ſciens abſque illo nihil tantum tantulumue potuiſſe fieri. Homo in anguſtias redactus, nihil eorum, propter quæ cruciabatur, dicere poterat: tantum mulieris in ſe odium dixit a verbis profectum, quæ ei Soemus dixiſſet. Hæc eo adhuc dicente, rex magno clamore ſublato, dicit Soemum antea tam fidelem, numquam fuiſſe mandata enuntiaturum, niſi maius ei cum Maria commercium interceſſiſſet. Itaque Soemum eueſtigio comprehendendum, necandumque curat. De Maria iudicium habuit, conuocatis ſuis familiariſsimis: eamque magno ſtudio de amatoriis accuſauit. Erat autem in verbis intemperans, et iracundior quam eſſe in iudicio deceret: itaque ad extremum iudices ſic animatum videntes, eam capite damnarunt. Tamen lata ſententia, ipſe et iudicum nonnulli non ita temere necandam cenſuerunt, ſed in aliquo regni munito loco collocandam. Sed Salome vna cum altera modum inuenit eius de medio tollendæ: idque magis regi perſuaſit, conſulendo, vt populi motus caueret, qui poſſent exſiſtere, ſi ea viua conſeruaretur. Ita ducitur ad ſupplicium Maria. Alexandra vero quo loco res eſſet animaduertens, ac ne ſe quidem ab Herode tutam eſſe videns, plane alia facta eſt, depoſita ſuperiore audacia. Vt enim ſe eorum, de quibus Maria accuſaretur, inſciam eſſe oſtenderet, exſilit foras, et filiæ in omnium præſentia conuiciando vociferatur, improbam, et aduerſus maritum ingratam fuiſſe, et merito ei accidere, quæ non ſe talem erga illum, de omnibus ipſis bene meritum, præbuiſſet, qualem debuiſſet. Hæc dum inhoneſte ſimulat, et illi etiam crines vellere audet, non ſolum ab aliis, verum etiam ab ea ipſa quæ ad ſupplicium vadebat, manifeſte culpabatur. Primum enim nihil dixit, neque turbata eſt, neque ad matris indignationem reſpexit, ſed excelſo animo ſeſe matris turpitudinem ægre ferre monſtrauit. Ita ſine terrore et coloris mutatione ad mortem profecta eſt. Sed ea mortua, regi deſiderium eo magis exarſit, adeo vt eam ſubinde reclamaret, ſubinde turpiter ploraret, omneſque quas poterat voluptates conſectaretur, vt eius deſiderium leniret, cuiuſmodi ſunt conuiuia et conuentus: ſed iis omnibus nihil proficiebat. Quare regni adminiſtrationem depoſuit, et adeo adfectu victus eſt, vt etiam famulis ſuis imperaret, vt Mariam appellarent, quaſi ea adhuc viueret. Eo ſic adfecto, oritur peſtis, quæ tum plebeiorum, tum regis amicorum maximam partem ſuſtulit, et quidem maxime venerabiles: id quod omnibus ſuſpicionem fecit, diuina ira id accidere, propter illatam Mariæ iniuriam. Hæc res etiam deterius regem adfecit, ita vt poſtremo ſiluas peragraret, et ibi per ſpeciem venationis ſeſe affligens, in morbum difficillimum incideret. Ardor erat, et dolor occipitis tantus, vt deliraret, nec vlla medicina ei prodeſſet, quin potius officeret: adeo vt poſtremo de eius vita deſperaretur. Et omnes medici, partim quia morbus remediis

minime

minime cedebat, partim quia rex nullam aliam victus rationem tenere poterat, quam ad quam morbus cogebat, omnia ei præbebant, quæ poſtularet, eius valetudinem fortunæ committentes. Illo ad hunc modum Samariæ ægrotante, Alexandra, quæ Hieroſolymis degebat, his intellectis, conata eſt duas vrbis munitiones occupare, videlicet ipſius vrbis, et templi: quæ ſunt eiusmodi, vt qui iis potiuntur, vniuerſam gentem in poteſtate habeant. Nam ſine iis fieri ſacrificia non poſſunt: et Iudæi eo ſunt ingenio, vt mori malint, quam ea omittere. Igitur Alexandra cum earum munitionum præſidiis colloquitur, demonſtrat eas ſibi et Herodis filiis debere tradi, ne ſi ille mortuus eſſet, alius quiſpiam rerum adminiſtrationem occupare anteuerteret. Sin conualuiſſet, neminem tutius eas ſeruaturum, quam eius domeſticos. Hæc verba illi tulerunt non mediocriter: quin regi fidem ſuam, vt ante præſtiterunt, partim ob Alexandræ odium, partim, quod indignum putabant de rege deſperare, quamdiu ſuperſtes eſſet. Erant enim de eius veteribus amicis: quinetiam eorum vnus, nomine Achiabus, regis erat conſobrinus. Itaque eum continuo de Alexandræ inſtituto certiorem fecerunt: et ipſe citra cunctationem eam iuſſit interfici: et poſtquam ex morbo ægre, nec ſine magno cruciatu, reualuit, adeo ferus euaſit, vt qui primus in eius manus venerat, de eo quauis de cauſſa ſupplicium ſumeret. Quin etiam amicos ſuos ſummos interfecit, Coſtobarum, et Lyſimachum, et Gadiam cognomine Antipatrum, et Doſitheum, ob cauſſam quam iam dicam. Erat Coſtobarus natu Idumæus, eius regionis facile primus, de genere ſacerdotum Cozæ, quem Deum exiſtimant Idumæi. Hunc Coſtobarum, poſtquam Hyrcanus eos in Iudæorum leges coegit, Herodes regnum adeptus, conſtituit Idumææ, Gazæque præfectum, eique ſororem ſuam Salomen nuptum dedit: interfecto Ioſepho, qui eam ante duxerat, vt docuimus. Coſtobarus inſperata dignitate lætus, ſuperbiit, paullatimque modum exceſſit, neque ſibi honeſtum exiſtimans imperantis Herodis iuſſa facere, nec Idumæis in Iudæorum poteſtate eſſe, et vti moribus eorum. Itaque Cleopatræ ſignificauit, Idumæam ſemper maioribus ipſius Cleopatræ paruiſſe, ideoque æquum eſſe, vt ea ab Antonio regionem illam poſtularet: ſe quidem paratum eſſe, ſuam beneuolentiam transferre ad Cleopatram. Id ille nequaquam eo faciebat, vt principatum transferret ad Cleopatram: ſed quod arbitrabatur, acciſis Herodis viribus facile ſe poſſe gentis Idumææ dominatum adipiſci, et ad maiora peruenire. Veniebat enim in magnam ſpem, tum quod magno loco natus erat, tum quod pecuniis abundabat, quas adſidua quæſiuerat auaritia: neque quidquam mediocre moliebatur. Et Cleopatra regionem illam ab Antonio impenſe flagitauit, nec tamen impetrauit: qua de re certior factus Herodes, Coſtobarum interfecturus fuit: ſed ſororis et matris precibus exoratus, ei veniam dedit, ſic tamen, vt eum deinceps ſuſpectum haberet propter illum conatum. Aliquanto deinde poſt, nato inter Salomen et Coſtobarum diſſidio, ea illi continuo miſit libellum diuortii, contra quam ferunt Iudæorum leges. Nam viro quidem id facere licet: ſed feminæ, quamuis repudiatæ, ne nubere quidem licet, niſi permiſſu prioris mariti. Tamen Salome fecit, Herodique fratri demonſtrauit, ſe propter ſuam in eum beneuolentiam marito remiſiſſe nuntium: quoniam comperiſſet eum, et Antipatrum, et Lyſimachum, et Doſitheum, nouis rebus ſtudere. Atque ad eius rei perſuaſionem propoſuit Babæ filios, quos Coſtobarus duodecimum iam annum ſeruaret: id quod verum erat: qua re vehementer obſtupuit rex, eiusmodi rem audiens, quam numquam ſuſpicatus eſſet: et eo magis commotus eſt, quod res erat incredibilis. Etenim his

Babæ filiis fuerat aliquando infenſus, quoniam ſibi repugnaſſent: verum tum tantum iam temporis præterierat, vt eorum iam non recordaretur. Eius in eos odii cauſſa fuit hæc. Quo tempore regno fruebatur Antigonus, Herodes Hieroſolymam obſidebat: et propter eorum, qui obſidebantur calamitates, erant multi, qui Herodem aduocarent, et ſpe iam in eum propenderent. Sed Babæ filii (qui dignitate et gratia multum apud vulgus valerent) Antigono fidem ſuam præſtare perſeuerabant, Herodemque ſemper culpabant, et ceteros eo cohortabantur, vt regibus operam ſuam præſtarent in tenendo principatu, quem a patribus accepiſſent. Vrbe deinde capta, et Herode rerum potito, Coſtobarus præcludendis exitibus, vrbique cuſtodiendæ præpoſitus, ne ſontes et regis aduerſarii euaderent, quum ſciret Babæ filios apud vniuerſum populum eſſe in pretio, cogitaretque ſi eis vitam cuſtodiret, id ſibi multum profuturum, ſi qua interueniſſet rerum mutatio, eos ſubtraxit, et certis in locis abſcondit. Ac tum Herode id, quod erat ſuſpicante, iurauit ſe neſcire, eique ſuſpicionem ademit. Poſtea illis a rege proſcriptis, nihil confeſſus eſt, ſed occultos habuit. Quum igitur eos ſoror regis ipſi indicaſſet, miſit rex eo vbi eſſe dicebantur: et ipſos, et alios cum ipſis accuſatos, interfecit: ita nemo iam de Hyrcani genere ſuperfuit: habuitque Herodes regnum plane in ſua poteſtate, poſtquam nemo iam alicuius auctoritatis erat, qui quæ contra legem fierent, impedire poſſet. Hac de cauſſa deflexit etiam magis a patriis moribus, nouaſque conſuetudines inuexit. Primum enim pugilum ludos quinquennales inſtituit Cæſari, et theatrum Hieroſolymis ædificauit: deinde in campo maximum amphitheatrum, et eum quinquennalem conuentum magnificentiſſime, et ſumtuoſiſſime celebrauit, adeo, vt ex cunctis finibus magnis impenſis ſummos et celeberrimos omnis generis ludiones, et ceteros eiuſmodi voluptatis artifices arceſſiuerit. Ipſum erat theatrum ſumtuoſiſſime factum, depictis per circuitum Cæſaris geſtis et victoriis, opere ex probo auro et argento: quæ omnia tam diſplicebant Iudæis, quam placebant extraneis. Videbant enim perſpicue, crudele eſſe, homines capite damnatos ad leones et tygres, ceteraſque feras (vt fiebat) proiici hominum delectationis gratia: itemque leges cum peregrinis moribus permutari. Sed nihil eos magis offendebat, quam tropæa, propter imagines, quæ circum arma depictæ cernebantur. Neque vero neſciebat Herodes, eos turbari, et vi cogere intempeſtiuum exiſtimabat: eam ob rem dabat operam, vt nonnullos verbis mitigaret, et ea religione ſolueret. Verum nihil proficiebat: quin adeo indignabantur, vt omnes vno conſenſu vociferarentur, ſi omnia patienda forent, at hominum quidem imagines in vrbe non paſſuros (de tropæis loquebantur) neque id mores antiquos ferre. Hoc perſpecto, Herodes eorum præcipuos vocat, et in theatrum ductis, tropæa monſtrat, quæritque quidnam hæc eis videantur? Exclamant, eſſe hominum imagines. Tunc ille detractis ornamentis, nudum lignum eis oſtendit: et illi in riſum verſi ſunt, quippe qui iam antea imaginum apparatus pro ridiculo ducerent. Poſtquam populi indignationem hoc pacto ſedauit, plerique ſic erant, vt mutati pacatique eſſe viderentur: tamen nonnulli in mutatorum morum offenſione perſeuerabant: malueruntque periculum ſubire, quam eiuſmodi vim pati. Itaque coniurarunt ciues decem in quoduis periculum, et pugiones ſub veſtibus ſumſerunt: fuitque quidam cæcus, qui eorum, qui audiuerat, indignitate commotus, cum eis coniurauit, non ille quidem quaſi eos multum adiuturus, ſed cum eis aduerſa pati paratus, ſi eis male res caderet, id quod eis multum animi addidit. Ita decreta re, vadunt vno animo in theatrum, ſperantes

tes ne Herodem quidem ipſum euaſurum, quum inopinantem inuaderent: aut certe ſi ab eo aberrarent, multos ex eius comitibus interfecturos, regique occaſionem præbituros cogitandi de iniuria, quam genti inferret: etiam ſi ipſis moriendum foret. Sed exſtitit quidam de regis emiſſariis, qui deprehenſum totum negotium regi nuntiatum iuit, in theatrum intraturo. Hanc ob cauſſam recepit ſe rex in regiam, eoſque ſuis nominibus euocauit. Ita comprehenſi a ſatellitibus cum ſuis pugionibus, rem omnem audacter et libere confeſſi ſunt: ſeque recte feciſſe dixerunt, atque ita excruciati mortem oppetiuerunt. Non multo poſt indicem illum corripuerunt quidam, nec ſolum interfecerunt, verum etiam membratim diſcerptum, canibus obiecerunt: atque id multi ciuium viderunt, neque tamen quiſquam indicauit, donec Herode acerbiſſime quæſtionem habente, coactæ cruciatibus, mulieres quædam confeſſæ ſunt, quæ viderant. Itaque in auctores facti, et in eorum totas domos animaduerſum eſt. Neque propterea deſinebat populus in legum tuitione conſtanter, et intrepide perſeuerare: quare Herodes ſe non extra periculum eſſe videns, niſi ſe tutius muniret, ſtatuit, eos vndique circumſepire, ne huiuſmodi motus in apertam rebellionem erumperent. Quum igitur vrbem haberet firmatam palatio, in quo degebat ipſe, et templum Antonia, quam munitionem conſtruxerat, cogitauit, Samariam tertium contra populum murum eſſe poſſe: eamque nominauit Auguſtam, diſtantem Hieroſolyma itinere vnius diei, vt tum ad regionem, tum ad vrbem, vſui communiter eſſe poſſet. Ad totam autem nationem inædificauit munitionem, quæ quondam Stratonis turris appellabatur: eique Cæſareæ nomen fecit. Item in magno campo Galilææ, locum ædificauit nomine Gabala, et in Peræa Eſtmonitim: idque faciebat, vt gentem in dies magis magiſque cogeret, et homines ſemper in promtu habebat, qui motus, et ſeditiones reſciſcere, et impedire poſſent. Atque vbi ad murandam Samariam ventum eſt, deduxit eo frequentem coloniam, tum eorum, quorum opera in bellis vſus fuerat, tum vicinorum, partim ſtudio erigendi in ea templum, partim quod ea antea parum celebris fuerat: ſed maxime, vt ſe eā muniret. Itaque finitimum territorium, quod erat illius regionis optimum, diuiſit incolis, vt in ipſo ſtatim aduentu bene agerent, et vrbem valido muro cinxit, vſus decliuitate loci ad firmitatem: comprehenſo ſpatio, non quantum fuerat prius, ſed tanto, vt nihil vel celeberrimis vrbibus cederet. Fecit enim viginti ſtadiorum ambitum, et in media ſacrum trium ſtadiorum locum reliquit, omnibus rebus ornatiſſimum, et ibi templum exſtruxit magnitudine et pulchritudine in primis memorabile, omneſque vrbis partes optime compoſuit, tum vt tutius degeret, tum vt laudem ſibi compararet.

CAPVT XII.

De fame, quæ fuit in Iudæa.

EOdem anno, qui regni Herodis tertius decimus fuit, exſtitit in ea regione continua ſiccitas, deinde fames, deinde peſtis, adeo vt tota gens magna fuerit in anguſtia. Quin ipſe rex non minus egeſtate laborabat quam alii: quippe quum non eſſet vnde ei tributum ſolueretur, et ipſe pecuniam ſuam in ea, quæ diximus ædificia conſumſiſſet, quæ res ei eius ſubditorum conflauit odium. Quare vt neceſſitati ſubueniret, cudit ex vniuerſa ſupellectile ſua nummos, quos in Aegyptum ad coemendum frumentum miſit, et Petronii amici ſui (qui tum Aegypto Cæſaris nomine præfectus erat) fideli opera vſus, tantum frumenti in eos fines inuexit, vt eorum etiam,

quibus antea inuiſus erat, amorem ſibi conciliauerit: et rem ita temperauit, vt vniuerſo populo, non ſolum de commeatu, ſed etiam de veſtitu proſpexerit. Hoc facto, finitimis quoque vrbibus ſubuenit, Syriæ ciuitatibus ſemina ſuppeditando, adeo vt omnibus de victu prouiſum fuerit. Deinde appetente meſſe, diuiſit per regionem, ad quinquaginta hominum millia, quos aluerat: et hac ratione regno ſuo optime opitulatus, ſuccurrit porro multum vicinis omnibus, prout cuique opus erat, ita vt in vniuerſæ nationis beneuolentiam ſeſe inſinuauerit, in magnoque fuerit honore et gloria. Sub eadem tempora miſit et Cæſari ſubſidio quingentos lectos homines, de ſuis ſatellitibus, quos Gallus Aelius ad mare rubrum duxit, eique magno vſui fuerunt. Quumque iterum res ſecundas haberet, regiam in ſuperiore vrbe conſtruxit, et in ea domos ingentes ſumtuoſasque fecit: quarum vnam Cæſaris, alteram Agrippæ nominauit. Duxit etiam ex amore vxorem, vt iam dicam. Erat Simon quidam Hieroſolymitanus, Alexandrini cuiusdam nomine Boethi filius, ſacerdos, vir illuſtris, qui filiam habebat eius (vt exiſtimabatur) temporis, formoſiſſimam. De ea vbi Herodes audiuit, commotus eſt, viſamque deperiit: et quia vi rapere non audebat, ſatius duxit in matrimonium ducere. Et quoniam Simon, quamuis non contemnendus, tamen inferiore loco erat, quam vt regis ſocer fieret, eum euexit: et Ioſuæ Fabis filio pontificatum abrogauit, eoque Simonem donauit, atque ita eius filiam duxit. Peractis nuptiis, caſtellum pulcherrimum atque munitiſſimum conſtruxit in eo loco, vbi ab Antigono exactus, Iudæos vicerat, quod caſtellum abeſt Hieroſolymis ſexaginta ſtadia. Hisce rationibus rem ſuam ſtabiliebat, in aduerſarios ſuos vindex acerbus, in ciuitates comis, et humanus, et qui principes magnis muneribus aliisque rationibus coleret. Vt enim Cæſaris, et potentum Romanorum amicitiam retineret, multa in Iudæorum leges committebat, vrbes, et fana conſtruendo, non hæc quidem in Iudæa (nam ſimulacra Iudæi numquam tuliſſent) ſed in aliis regionibus: et vt ſeſe Iudæis purgaret, dicebat ſe iuſſum facere: et a Cæſare atque Romanis gratiam inibat, oſtendens ſe eorum honoris gratia etiam in patrias leges peccare.

CAPVT XIII.

Cæſareæ Conſtructio.

QVumque animaduertiſſet in litore Phœnicii maris, inter Ioppem, et Dora, locum vrbi aptiſſimum, olim Stratonis turrim appellatum, ædificauit ibi vrbem pulcherrimam, quam in Cæſaris honorem Cæſaream appellauit, et in ea Cæſaris templum exſtruxit. Eſt ibi inter ceteras turres vna ſpecioſiſſima, Druſus appellata, ad honorem Druſi priuigni Cæſaris, qui iuuenis obiit: eſtque ea vrbs perfecta duodecim annis, cum pulcherrimo portu, quem ibi fecit. His perfectis, et Auguſta ædificata, ſtatuit Romam filios ſuos mittere, Alexandrum et Ariſtobulum, vt ſe Cæſari offerrent. Eo poſtquam peruenerunt, ad Pollionem Cæſari amiciſſimum diuerterunt, eisque permiſſum eſt etiam, apud Cæſarem diuerſari. Nam et ipſe eos accepit humaniſſime, et Herodi poteſtatem fecit regnum vtri filiorum vellet confirmandi: eique inſuper amplius regionum dedit, videlicet Trachonem, Batanæam et Auranitidem: et dedit ob eam cauſam, quam iam dicturus ſum. Erat Zenodorus quidam, qui Lyſaniæ domum conduxerat: et quia non ſatis magnos reditus habebat, eos latrociniis per Trachonem exercendis ſupplebat. Nam ea loca incolebant deſperatæ vitæ homines,

nes, qui Damaſcenum agrum populabantur: neque Zenodorus eos impediebat, quin et ipſe prædæ particeps erat. Hac re vexati vicini, aduerſus Varronem (qui tum præfectus erat) vociferabantur, et vt Cæſari de Zenodori iniuriis ſcriberet, flagitabant. Cæſar his de rebus certior factus, reſcripſit, vt ex eo tractu latrones exigerentur, isque Herodi traderetur, vt daret operam, ne Trachonitæ deinceps finitimis nocerent. Nec enim eos prohibere facile erat, quum vnum latrocinandi opus haberent, nec aliunde viuerent: quippe quibus nec oppida nec poſſeſſiones eſſent, ſed tantum receptacula et ſpecus ſubterraneæ, vbi cum ſuis pecoribus viuerent. Habent aquæ et cibariorum copiam, poſſuntque ex occulto diu reſiſtere. Aditus ſunt anguſti, qua non plures quam ſinguli tranſire poſſint: ſed interiora incredibili ſunt amplitudine atque magnitudine, et domorum ſuperius ſolum non ſupereminet, ſed terræ æquale eſt. Id totum rupes eſt dura et aditu difficilis, niſi ductor adſit, quippe flexuoſis ſemitis. Hi homines, ſi quando finitimis incommodare non poterant, alii alios ſpoliabant, nec ab vllo ſcelerum genere ſibi temperabant. Is tractus poſtquam eſt Herodi datus, eo certorum hominum ductu profectus eſt, et latrocinia ſuſtulit, finitimisque pacem et otium præſtitit. Et Zenodorus iratus primum, quoniam priuatus eſſet præfectura: deinde, et quidem potiſſimum, quoniam Herodi datam inuideret, profectus eſt Romam, vt eum accuſaret: ſed reuerſus eſt infecta re. Et Agrippa trans Ionium mare miſſus eſt, vt eas prouincias Cæſaris nomine procuraret: eumque Mitylenæ hibernantem Herodes (qui ei amiciſſimus eſſet) adiit, deinde Iudæam repetiit. Et Herodem quidem Gadareni quidam apud Agrippam accuſatum iuerunt: ſed ille eos nullo dignatus reſponſo, regi vinctos remiſit. Item Arabes (qui iamdiu Herodis principatu dolerent) ei erant infenſi, ac tunc eius rebus diſſidium creare conabantur ob huiusmodi cauſſam. Zenodorus de ſuis rebus iam deſperans, eis ſuæ præfecturæ partem, videlicet Auranitidem, vendiderat quinquaginta talentis. Et quoniam ea pars in eo, quod donauerat Herodi Cæſar, continebatur, intercedebant Arabes, et crebras incurſiones faciebant, et vim tentabant: nonnumquam etiam iure experiebantur. Conciliabant etiam ſibi pauperes milites, et Herodi infeſti erant, ſemper ſperantes, et nouis rebus ſtudentes: quibus maxime gaudent, qui male agunt. Hæc iam pridem intelligens Herodes, tamen non hoſtiliter agebat: ſed eos prudenter leniebat, neque turbis occaſionem dare volebat. Deinde anno eius regni decimoſeptimo, venit Cæſar in Syriam, ac tum maxima Gadarenorum pars de Herode expoſtulare cœperunt, imperioſum eſſe acerbumque, et tyrannum dicentes. Eos aut ita audaces faciebat Zenodorus, inſtigando, et de Herode conquerendo: iurandoque ſe numquam deſerturum eos, quin Herodis regno ademiſſet, et Cæſaris ditioni adieciſſet. Hæc cauſſa erat, cur quiritarentur Gadareni: eo freti, quod quos ei vinctos tradiderat Agrippa, pœnas non dediſſent, ſed ab Herode incolumes dimiſſi fuiſſent. Igitur quum ab illis de [illegible]et rapinis, et templorum euerſionibus accuſaretur Herodes, parab[illegible] inturbatus cauſſam ſuam defendere: ſed Cæſar ei dexteram præbuit, neque quidquam de ſua erga eum voluntate ob multitudinis turbationem immutauit. Igitur primo die de hisce rebus actum eſt: ſed poſtremo die non eſt perrectum in cognitione. Nam Gadareni propenſionem tum ipſius Cæſaris, tum adſeſſorum videntes, et ſe regi traditum iri (vt erat veriſimile) arbitrantes, cruciatuum metu partim ſe noctu præfocarunt, partim præcipitarunt: alii ſe fluuio exſtinxerunt. Viſa eſt ea res indicare leuitatis culpæque pœnitentiam: itaque Cæ-

ſar ſine vlla dubitatione Herodem abſoluit. Accidit præterea, vt Zenodorus rupto inteſtino, tantum ſanguinis amiſerit, vt vitam finierit Antiochiæ in Syria: quamobrem Cæſar eius regionem Herodi dedit, quæ erat non parua, inter Trachonem, et Galilæam poſita, videlicet Vlatham et Paniadem, agrumque finitimum, eumque cum Syriæ adminiſtratoribus coniunxit, et eis ne quid ſine Herodis ſententia facerent, imperauit: atque vt rem in pauca conferam, eo peruenit Herodes, vt neminem nec Cæſar ſecundum Agrippam, nec Agrippa ſecundum Cæſarem pluris faceret. Itaque quum tanta in gratia eſſet, petiit et Cæſare fratri ſuo Pherorae vnam de quatuor regionis partibus, eidemque Pherorae centum talentorum redditum de ſuo regno dedit, vt ſi forte moreretur Herodes, eſſet in tuto Pherorae res, nec ea potirentur Herodis filii. Poſtquam autem Cæſarem ad mare comitatus rediit, ornatiſſimum ei templum exſtruxit, ex candido ſaxo, in Zenodori terra, prope eum locum, quod Panum appellatur. Specus eſt amœniſsima in monte, cuius in radice in tam altam voraginem terra deſedit, vt fundum cerni nequeat, quæ vorago ſtagnantis aquæ plena eſt: ſupra mons ingens imminet, et infra ſpecum oriuntur fontes Iordanis fluminis. In eo loco (qui quidem celebratiſſimus eſt) Herodes templum exſtruxit, quod Cæſari ſacrauit. Tunc etiam ſui regni hominibus tertiam vectigalium partem remiſit, per ſimulationem eos ſubleuandi, propter annonæ caritatem præteritam: ſed id magis faciebat, vt eorum in ſe odium exſtingueret. Dolebant enim, eos ritus inuehi, propterea quod eorum religio et mores exoleſcebant, qua de re fremebant vniuerſi. Cui rei occurrebat ille diligenter, eis occaſiones adimendo, et perpetuos labores iniungendo, vt iam ciuibus coire, ſimulue ambulare, aut viuere non liceret, obſeruantibus omnia cuſtodibus. Quod ſi quis deprehenſus erat, in eum acerbe animaduertebatur, multique tum palam, tum ſecreto, in Hyrcaniam caſtellum interficiendi ducebantur: erantque certi tum in vrbe, tum in viis homines, qui obſeruarent ſi qui conuenirent. Quin ipſum quoque aiunt, ne hanc quidem neglexiſſe partem: ac ſæpe veſtitu priuati hominis ſeſe noctu turbis immiſcuiſſe, vt quid de principatu ſentirent, reſciſceret. Quod ſi qui obſtinate in mores conſentire recuſarent, eos omnibus modis de medio tollebat: reliquos ad fidem iureiurando perducendos cenſebat. Itaque ſacramento adſtrinxit, fore ipſi fideles ſubditos, quam in rem plerique, tum vt eum colerent, tum etiam quod metuerent, conſenſerunt. Qui vero ſeſe cogi non ſuſtinebant, in eos omni modo ſæuiebat. Volebat etiam Phariſæum Pollionem et Sameam, et complures eorum qui illos frequentabant, ad iurandum cogere: ſed illi in eam rem non conſenſerunt: neque tamen vt ceteri pœnas luerunt, illo eorum rationem habente propter Pollionem. Ab hac eadem neceſſitate excepti fuerunt etiam quos Eſſæos appellamus, quibus tantum tribuebat Herodes, vt eos pro diuinis haberet: cuius rei cauſſa hæc fuit. Erat Eſſæorum quidam nomine Manahemus, vir bonus, et qui futura diuino inſtinctu præuideret. Hic conſpicatus aliquando Herodem, puerum adhuc, in ludum litterarium commeantem, dixit regem fore Iudæorum. Et Herodes illum aut ſui notitiam non habere, aut iocari arbitratus, demonſtrat ſe priuatum eſſe. At ille leniter ſubridens, et ei nates manu feriens: Atqui et regnabis, inquit, et imperium feliciter, præſtante Deo, auſpicaberis: et memento ictuum Manahemi, vt hoc tibi ſit indicium mutationum fortunæ. Erit enim optima tua mens, ſi iuſtitiam et pietatem amaueris, et erga ciues clemen-

clementiam: verum ego totius rei gnarus, ſcio te non talem futurum. Eris enim fortunatus tu quidem, ſi quiſquam alius, et laudem tibi paries æternam: ſed pietatis et iuſtitiæ obliuionem capies, cuius rei haud immemor ſane Deus erit, dum ſub æui tui finem de te pœnas ſumet. His verbis mentem protinus minime adhibuit Herodes, quod eius rei ſpem nullam haberet: ſed poſtquam paullatim ad regnum, et quidem fortunatum, euectus eſt, in ipſo imperii vigore Manahemum arceſſit, et ex eo quamdiu regnaturus eſſet, quærit. Manahemus vero totum non dixit, ſed eo tacente quærit Herodes dumtaxat, an decem annorum futurum eſſet regnum. Ad quod ille reſpondit, etiam viginti, atque etiam triginta, neque ſpatio modum fixit. Et Herodes eo contentus, ei dexteram dedit, eumque dimiſit, ac deinceps Eſſæos omnes habuit in honore.

CAPVT XIIII.

Herodes Hieroſolymitanum templum diruit, et aliud exſtruit.

IGitur anno regni ſui duodeuigeſimo, poſt ea facta quæ ſuperius dicta ſunt, ſtatuit Dei templum ædificare, idque maius et altius facere, cogitans fore id omnium quæ vmquam feciſſet, operum præclariſſimum ac laudatiſſimum. Et quum populum ad rem tam arduam paratum non eſſe intelligeret, conuocauit eos, et de eo negotio orationem habuit, in qua et alia dixit, et hæc in primis. Fuit quidem templum hoc ſummo Deo a maioribus noſtris ædificatum, poſtquam Babylone redierunt: ſed ei deſunt ad altitudinem cubiti ſexaginta: tanto enim altius erat primum illud a Solomone conſtructum. Neque vero per maiores noſtros ſtetit, quo minus hoc magnitudine prius adæquaret: verum Cyrus et Darius Hyſtaſpis filius hunc ædificii modum præſcripſerunt: quæ cauſſa fuit, vt maiores noſtri (qui illis, eorumque filiis, et poſt eos Macedonibus ſubiecti fuerunt) facultatem non habuerint id ad parem cum priore magnitudinem perducendi. At nunc, poſtquam Dei beneficio regnum adeptus, et longa pace, et pecuniis ac reditibus abundo: quodque maius eſt, cum Romanis, omnium (vt ita loquar) dominis in gratia ſum, dabo operam, vt id quod neceſſitate, et ſuperiorum temporum ſeruitute omiſſum eſt, reſarciam, et Deo (per quem regnum conſecutus ſum) perfectum cultum reddam. Hæc verba habuit Herodes: quæ quia illis noua accidebant, multi iis attoniti ſunt, metuentes, ne ſi tantum opus diſſoluiſſet, non ſatis magnas opes haberet ad perficiendum. Verum rex eos confirmauit, dicens, non ſe prius templum diruturum, quam omnia quæ ad id abſoluendum pertinerent, præparaſſet: id quod fecit. Nam mille carros ad vehendos lapides comparauit, et decem peritiſſimorum opificum millia delegit, et mercatus mille ſacerdotibus, veſtes ſacerdotales, eos partim lapides, partim ligna fabricare docuit: atque ita opus adgreſſus eſt, omnibus diligenter præparatis. Igitur ſublatis veteribus fundamentis, et iactis aliis, templum ſuper eis erexit in longitudinem cubitorum centum, in altitudinem centum viginti, quæ viginti attributa ſunt fundamento: eſtque templum albis firmiſque ſaxis exſtructum, longis circiter vicenosquinos cubitos, altis octonos, latis duodenos. Erat autem totum templum (quemadmodum et regia porticus) vtraque parte depresſius, et medium editius, ita vt longiſſime proſpici poſſet. In oſtiis portas cum ſuperliminaribus templo fecit æquales, pulcherrimis tapetibus ornatas:

natas; et circum vniuerſum templum porticus fecit ingentes, habita ratione proportionis templi, ſumtibus maiores ſuos ſuperans, pendentibus circum templum ſpoliis peregrinarum gentium, quæ omnia Herodes ibi poſuit, et quæ ipſe de Arabibus reportarat inſuper adiecit. A ſeptemtrione arx erat quadrata, egregie munita atque firma, quam Aſamonæo prognati reges et ſacerdotes exſtruxerant, et turrim appellarant, vt ibi pontificis ornatus reponeretur: quem ipſe pontifex dumtaxat, quum erat facienda res diuina, induebat. Hunc ornatum rex Herodes eo in loco cuſtodiuit: poſt eius obitum fuit in poteſtate Romanorum, vsque ad tempora Tiberii Cæſaris. Huius temporibus, quum Vitellius Syriæ prætor Hieroſolymam veniſſet, et a populo honorificentiſſime exceptus fuiſſet, vt eis gratiam referret, ſcripſit eorum rogatu ad Tiberium Cæſarem, vt Iudæis ſacra veſtimenta in poteſtatem permitterentur: id quod ille conceſſit, eaque habuerunt vsque ad deceſſum regis Agrippæ. Poſt eum Caſſius Longinus, qui tum Syriam procurabat, et Cuſpius Fadus Iudææ præſes, Iudæis imperarunt, vt ea veſtimenta ponerent in Antonia: debere enim Romanos ea penes ſe habere, ſicut antea. Quamobrem Iudæi ea de re legatos ad Claudium Cæſarem miſerunt, pro quibus legatis iuuenis rex Agrippa, qui tum Romæ erat, perfecit apud imperatorem, vt Vitellio imperaret, vt Iudæis ea veſtimenta in poteſtatem traderet. Antea erant ſub ſigillo pontificis et quæſtorum: et pridie feſtorum ibant quæſtores ad præfectos Romani præſidii, et agnito ſuo ſigillo, veſtimenta auferebant. Deinde rurſum feſtis tranſactis, ea in eumdem locum referebant, et oſtenſa præfecto præſidii conſignabant ac concludebant. Sed hæc poſtea facta ſunt. Iam vt ad propoſitum reuertamur, hanc turrim Herodes rex tunc magis muniuit, ad templi defenſionem, et Antonii cauſa nominauit Antoniam. A ſepti parte ſeptemtrionali erant portæ quatuor, quarum vna ferebat in regiam, interiacente valle: duæ in ſuburbium: quarta in alteram vrbis partem: eratque multis gradibus in vallem deſcenſus, deinde rurſus ab altera parte adſcenſus. Nam vrbs poſita e regione templi, ſpeciem præbebat theatri, cincta valle profunda ſecundum latus meridianum. Quarta pars frontis templi a meridie, habebat et ipſa portas in medio ſimulque regiam porticum, quæ triplex erat, et longitudine ab orientali valle ad occidentalem vsque pertinebat, opus toto orbe pulcherrimum, eratque id primum templi ſeptum. In medio erat iuxta illud alterum, in quod paucis gradibus adſcendebatur, circumdante lapidea maceria, in qua ſcriptum exſtabat, ne quis alienigena intraret, ſub pœna capitis. Habebat autem interius conſeptum a parte meridionali et ſeptemtrionali, portas tres continuas, æqualiter inter ſe diſtantes: et ab oriente magnam portam, per quam mundis et feminis intrare fas eſſet. Interius erat ſanctuarium, quo feminæ non intrabant: et porro interius erat tertium, quo non niſi ſacerdotibus licebat introire. Hæc erat ædes: et ante ædem ara victimaria. Horum trium in nullum ingreſſus eſt rex Herodes, quoniam ſacerdos non eſſet: ſed porticus et interius conſeptum per ſacerdotes curauit exſtruendum, et id opus octo annis ædificauit. Poſtquam ædes a ſacerdotibus vno anno et ſex menſibus exædificata eſt, vniuerſus populus lætitiæ plenus gratias agebat: primum Deo, quod tam cito factum fuiſſet: deinde regis diligentiæ, feſtum diem agentes, et templi inſtaurationem fauſtis ominibus proſequentes. Rex Deo trecentos boues immolauit: reliqui item pro ſua quisque facultate, qui numerus fuit infinitus. Incidit enim is dies, in quo templum fuit abſolutum, in eumdem diem in quo rex fuerat creatus Herodes: quem quidem celebrare

brare ſolitus erat, vt his duabus de cauſſis feſtum fuerit illuſtrius. Fertur, quo tempore templum conſtruebatur, non niſi noctu pluiſſe, ne opus impediretur. Sic nos a maioribus accepimus.

FLAVII IOSEPHI ANTIQVITATVM IVDAICARVM LIBER DECIMVS SEXTVS.

CAPVT I.

Alexander et Ariſtobulus Roma redeunt ad patrem: et Salome et Pheroras eos calumniantur.

INter cetera legem tulit rex, vt fures in exteras nationes venderentur: quæ res, quoniam contra legem eſſet, ei conciliauit odium populi. Furem enim lex quadruplo multat, aut ſi ſoluendo non eſt, vendi iubet: ſed non alienigenis, neque vt perpetuo ſeruiat, ſed vt poſt annos ſex manumittatur. Per id tempus profectus eſt in Italiam, tum vt Cæſarem, tum vt filios ſuos, qui Romæ verſabantur, videret. Eum Cæſar comiter excepit, eique filios, vt iam in diſciplinis perfectos, reddidit in patriam reducendos. Vbi ab Italia reuenerunt, magni apud omnes fiebant, partim quia proceri, partim quia eleganter erudití, et regia forma forent. Itaque Salome regis ſoror, et qui Mariæ mortis auctores fuerant, protinus inuidiam in eos conceperunt: ac veriti, ne quando ob illatam eorum matri iniuriam pœnas luerent, cœperunt de eis maledicere, videlicet eos patris conſuetudine non delectari, propter necem matris, cum cuius interfectore degere religioni ſibi ducerent. Hæc illi non Herodi dicebant, ſed in vulgus ſpargebant, eaque referebantur Herodi; quæ res ei odium gignebat in filios.

CAPVT II.

Herodes filiis ſuis vxores locat, deinde ad Agrippam nauigat.

NEque tamen non eis honorem habuit, quem debuit: vxoresque dedit Ariſtobulo Bernicem Salomæ filiam, Alexandro vero Glaphyram Archelai Cappadociæ regis filiam. His factis, quum Marcum Agrippam iterum ab Italia in Aſiam nauigaſſe intellexiſſet, eum adiit, perſuaſitque vt in Iudæam veniret, vbi ipſe cum ſuis eum excepit magnificentiſſime, eique oppida recens a ſe ædificata, munitaque ſua loca oſtendit: et eum Hieroſolymam duxit, vbi ei populus obuiam feſto veſtitu prodiit, et eum perhonorifice excepit. Et Agrippa Deo rem diuinam fecit, et populo conuiuium lautiſſimum præbuit: deinde rurſus in Ioniam profectus eſt: Herode ei, eiusque comitum clariſſimis, multa largito.

CAPVT III.

Herodes Agrippam denuo adit.

ET Herodes ineunte vere, eum iterum conuenire inſtituit, ſciens eum in Boſphorum expeditionem paraſſe. Itaque tantum nauigauit, vt eum apud Sinopen in Ponto inueniret: vbi comiter exceptus, magna apud Agrippam fuit in gratia. Deinde expeditis eis, quorum cauſſa in Pontum profectus Agrippa fuerat, redierunt itinere pedeſtri.

CAPVT IIII.

Iones Iudæi de Græcis apud Agrippam expoſtulant.

VT in Ioniam ventum eſt, magna Iudæorum multitudo (qui vrbes illas incolebant) ad Agrippam, occaſione fiduciaque ſumta, ſe conferunt, et apud eum de iniuriis, quæ ſibi fierent, expoſtulant: demonſtrant ſe ſuis vti legibus prohiberi, ſacris diebus in ius vocari, ſpoliari pecuniis, quas Hieroſolymam ad templum mittere vellent: cogique ad obeundam militiam et publica munera, et in ea ſacras pecunias inſumere, contra ſua iura, quum eis Romani ſemper ſecundum patrias leges viuere permiſiſſent. Hæc dum vociferantur, obtinuit Herodes ab Agrippa, vt illorum rationes audire vellet: adlegauitque quemdam ſuum amicum, nomine Nicolaum, qui Iudæorum cauſſam ageret. Quumque adſeſſores ſibi aduocaſſet Agrippa Romanorum primos, et qui aderant reges et principes, habuit Nicolaus eiusmodi pro Iudæis orationem, vt Græci non intercederent. Neque enim vt in iudicio litigabatur, ſed erat Iudæorum ſupplicatio contra vim, quæ eis inferebatur. Itaque non negabant Græci: ſed eo ſe tegebant, quod dicerent Iudæos ipſorum finibus vti, et in eo iniurios eſſe. Ad hoc Iudæi, ſe bono genere eſſe demonſtrarunt: quodque vbi verſarentur, ibi leges ſuas haberent in pretio, in eo illis iniuriam non facere. Hic Agrippa pronuntiauit, ſe Herodis cauſſa Iudæis poſtulata concedere: et inſuper plura concedere paratum eſſe, dummodo ſine incommodo fieret imperii Romani. His peractis, a Lesbo diſceſſit.

CAPVT V.

Herodes patriam repetit.

HErodes vero Hieroſolymam rediit, et conuocato omni populo (quæ ſane ingens fuit multitudo, etiam ex agris) eis totius itineris ſui rationem expoſuit: et ſeſe perfeciſſe demonſtrauit, vt omnes Aſiani Iudæi deinceps ſua iura retenturi forent. Atque vt ſe eorum vtilitatis ſtudioſum oſtenderet, atque commendaret, quartam ſuperioris anni vectigalium partem eis condonauit: qua de re vehementer lætati diſceſſerunt, optantes regi multa bona.

CAPVT VI.

Oritur domi Herodis disſidium, quoniam Antipatrum filium ſuum natu maximum pluris faceret, quæ res dolebat Alexandro.

VErgebat autem in dies in deterius domeſticum disſidium, conante Saloma neminem relinquere, qui matris puerorum mortem vlciſci poſſet: adde quod pueri naturali quadam audacia, et in patrem maleuolentia præditi erant, tum recordatione iniuriæ, quæ matri facta foret, tum regnandi cupidine. Iterumque malum erat quale prius, quod et adoleſcentes de Saloma et Pherora libere et aperte maledicebant, et illi eis enixe inſidias ſtruebant, adeo vt vrbs tandem huiusmodi ſermonibus plena fuerit. Atque id propterea creſcebat, quod abſente rege, maior erat diſſenſionis occaſio. Deinde reuerſum, et cum populo (vt ſupra demonſtrauimus) collocutum, confeſtim Pheroras et Salome commonefaciunt, vt ſibi caueat ab

ado-

adoleſcentibus, qui ei aperte minarentur, non ſe matris necem inultam relicturos. Addebant et illud, eos ſperare, Archelai Cappadocum regis ope ituros ad Cæſarem, et patrem accuſaturos. His ſermonibus auditis ſtatim perculſus eſt Herodes: et eo magis, quod eadem ab aliis audiebat. Itaque vt pueros ſuos deprimeret, euexit filium ſuum, nomine Antipatrum, quem nondum rex factus genuerat, eumque apud ſe in pretio eſſe oſtendit: non ille quidem ſicut poſtea, quum ab eo ita victus eſt, vt ad eum omnia referret: ſed id fecit, vt audaciam filiorum Mariæ coerceret, arbitratus fore demiſsiores, ſi regni ſucceſſionem neque ſolis ſibi, neque neceſſario deberi putarent. Hac de cauſſa Antipatrum eis æmulum obiecit, ratus futuros inde meliores: verum longe aliter euenit. Nam et pueri graui ſe iniuria adfici interpretabantur: et Antipater, homo verſutus, poſtquam ſemel eo venit, vt ſperare auderet, quod antea non ſperabat, id vnum dabat operam, vt fratribus nihilo inferior eſſet, et patrem iam nimis exacerbatum, magis inſuper irritaret. Verum illud cauebat, ne ipſe calumniarum ſuarum eſſet interpres: ſed ad eam rem vtebatur opera hominum, in quos nulla caderet ſuſpicio, quique id regis ſtudio facere crederentur. Iam vero multi Antipatrum propter eius ſpem colebant, et huiusmodi ſermones Herodi perſuadebant, quoniam eius amore dicere viderentur. Quumque hæc per multos inter ſeſe fideles agebantur, tum [illegible]am ipſi adoleſcentes magnam eius rei præbebant occaſionem. Nam frequenter lacrimas ob contumeliam, qua adficerentur, emittebant, et matrem appellabant: quinetiam aperte apud amicos oſtendere conabantur, iniquum eſſe patrem: quæ omnia opportune aucupatus Antipater, Herodi renuntiabat, et rem exaggerabat, vnde domeſtica lis deterior fiebat. Rex enim huiusmodi ſermones ægreferens, et Mariæ filios deprimere volens, Antipatro plus in dies tribuebat, eo vsque, vt poſtremo eius matrem domum adſciuerit. Ac ſæpe ſcribens ad Cæſarem, illum ei officioſiſſime commendabat: et Agrippa Romam, poſt adminiſtratas decem annos Aſiæ res, petente, profectus a Iudæa, ad illum nauigauit, eique Antipatrum (quem vnum ſecum duxerat) tradidit, Romam ducendum cum multis donis, vt fieret Antipater Cæſaris amicus. Itaque videbatur Antipater omnium dominus eſſe, adoleſcentes vero regno prorſus excidiſſe, quippe quum ea de re ſcripſiſſet Herodes Romam ad omnes ſuos amicos.

CAPVT VII.

Herodes Alexandrum et Ariſtobulum ad Cæſarem ductos accuſat.

NEque tamen deſinebat Antipater adſidue Roma ſcribere ad patrem, et eum (ſimulando magnam de patre ſollicitudinem) incendere aduerſus fratres, donec Herodem eo perduxit, vt adoleſcentibus fuerit infenſus. Sed ne quid temere committeret, viſum eſt ei ſatius, eos coram Cæſare accuſatum ire. Ac poſtquam Romam peruenit, progreſſus eſt ad vrbem Aquileiam, et ibi Cæſarem nactus, orauit, vt ſe de maximis, quæ interueniſſent, incommodis audire vellet: accuſauitque duos filios in ipſorum præſentia acerbiſſime, quod patrem odiſſent, et vt regnum adipiſcerentur, vita priuare vellent. Itaque eo dicente, confuſi pueri lacrimabant, et magis etiam poſtquam dicendi finem fecit, adeo vt quid dicerent non haberent: tanta erat perturbatio: neque quiſquam, ne patre quidem excepto, fuit in eo conuentu, quem non eorum miſereſceret.

CAPVT VIII.

Herodis filii patri reconciliantur.

QVam rem animaduertens Alexander, qui erat natu grandior, dicere adgreſſus eſt, et ita eleganter cauſſam egit, vt Cæſar (qui iam ante tantum eſſe puerorum ſcelus non credebat) magis inſuper mutatus ſit, et Herodem continenter adſpiceret, videns eum quoque nonnihil confuſum: ita vt omnes Herodem culparent, et pueros miſerarentur, qui pudore ſuffuſi, demiſſo ad terram vultu plorabant. Et Cæſar paullulum cunctatus, dixit, adoleſcentes, licet a crimine abeſſe viderentur, tamen in eo peccaſſe, quod non ſe tales erga patrem præſtitiſſent, vt hominum ſermones reprimerent: Herodemque hortatus eſt, vt depoſita omni ſuſpicione, cum pueris in gratiam rediret. Neque enim æquum eſſe talia de iis, quos genuiſſet, credere: et id vtriſque prodeſſe poſſe, dum deinceps omnis ſuſpicionis tollendæ gratia, maiorem inuicem amorem præ ſe ferrent. Has inter admonitiones pueris innuit: quumque illi patri ad pedes accidere, et ab eo veniam orare pararent, anteuertit pater eos plorantes complecti, et in collum vtriusque inuadere. Tunc Cæſari gratias egerunt, et vna diſceſſerunt, comitante Antipatro cum ſimulatione lætitiæ. • Sequentibus diebus largitus eſt Herodes Cæſari trecenta talenta, ludos agenti, et Romano populo congiaria diuidenti; et Cæſar ei dimidium reditum æris Cyprii donauit, et alterius dimidii curam commiſit: et inſuper poteſtatem dedit, quem vellet filiorum regem faciendi, aut regnum in omnes diuidendi. Quumque Herodes id eueſtigio facere vellet, negauit Cæſar permiſſurum ſe, vt non per omnem vitam dominus eſſet et regni, et filiorum. Sic ille rurſus in Iudæam rediit. Atque eo abſente, rebellarunt Trachonitæ: ſed relicti illic duces eos ſubegerunt, iterumque ſub imperium redegerunt. Herodes in Iudæam reuerſus, expoſuit in templo ſuum iter: et in extremo ſuæ orationis, ſuos filios monitis inſtruxit, aulicosque et reliquum populum admonuit, vt concordiam tuerentur, demonſtrauitque filios ſuos poſt ſe regnaturos, primum Antipatrum, deinde Mariæ natos, Alexandrum, et Ariſtobulum. In præſentia edixit, vt omnes in ipſum intuerentur, eumque, quamuis ſenem, pro domino & rege ducerent: ita meliore conditione rem eorum futuram. His dictis, conuentum dimiſit, fuitque eius oratio grata multis: ſed aliis non item, qui res nouas moliebantur, et ſpem ſibi in puerorum diſſenſione ponebant.

CAPVT IX.

Herodes exædificata Cæſarea ludos agit.

CIrca id tempus Cæſarea Auguſta, quæ ab eo condebatur, ad finem perducta eſt, anno eius regni duodetriceſimo. Ad eam dicandam, magnam celebritatem, magnumque apparatum ludorum adhibuit: quos quinquennales in honorem Cæſaris inſtituit. Poſtea aliud item oppidum in campo condidit, nomine Capharſaba, loco irriguo, et arboribus conſito: et id ad honorem ſui patris Antipatri nominauit Antipatridem. Aedificauit et alium locum ſupra Hierichuntem, quem in honorem ſuæ matris Cyprum appellauit: et in eodem oppido turrim exſtruxit, quæ magnitudine Pharum Aegypti adæquaret, eamque Phaſaelum de nomine ſui fratris nuncupauit. Itemque oppidum conſtruxit in valle hierichuntia, cui in honorem eiusdem ſui fratris, Phaſelidi nomen fecit. Taceo mille magnifica beneficia, quæ contulit in ciuita-

uitates, tum in Syria, tum in Græcia, et vbicumque eum verſari contigit. Erat enim rex magnificus, ſi quis vmquam fuit: ceterum in omnes conſanguineos amicosque ſuos crudelis et inhumanus, vt qui ſolus honorari vellet. Quemadmodum enim maiores (vt imperatores Romanos) colebat ipſe, ita ſibi a minoribus fieri volebat.

CAPVT X.

Aſianorum Iudæorum legatio ad Cæſarem.

CEterum Iudæi, qui in Aſia et Lybia Cyrenenſi degebant, a ciuitatibus vexabantur, quum a ſuperioribus regibus in ſuo iure defenſi fuiſſent, et per Græcos iniuriis adficiebantur, ac publica pecunia ſpoliabantur, et priuatim lædebantur. Quapropter cum in ea calamitate eſſent, neque græcæ crudelitatis finem vllum inuenirent, miſerunt iis de rebus legatos ad Cæſarem; et Cæſar eis eadem iura conceſſit, et ad prouinciales ea de re ſcripſit: edixitque graui propoſita pœna, vt Iudæi ſuis moribus vti ex patria ipſorum lege ſinerentur, quemadmodum vſi fuiſſent tempore Hyrcani pontificis ſummi Dei: neue eorum donaria attingerentur, ſed Hieroſolymam mitti permitterentur, et iis tradi, quibus eſſet id muneris delegatum: neue Sabbato, aut pridie Sabbati, ab hora diei nona in ius cogerentur. Quod ſi quis furatus ſacros libros, aut ſacram pecuniam ex cella ſabbataria, aut ex cella virorum, compertus eſſet, pro ſacrilego haberetur, eiusque bona in publicum populo Romano addicerentur. Talia ſcripſit etiam Marcus Agrippa, et reliqui procuratores prouinciarum.

CAPVT XI.

Herodes pecunia egens, deſcendit in ſepulcrum Dauidis.

SEd vt redeamus ad rem: Herodes (qui tum in regno ſuo, tum extra, ingentes ſumtus faceret) audiuerat Hyrcanum, ſuum in regno anteceſſorem, aperuiſſe ſepulcrum Dauidis, et inde tria millia talentorum argenti abſtuliſſe, atque ibi multo etiam amplius reſtare. Quapropter iam pridem habebat in animo, quod tum fecit: hoc eſt, aperuit noctu ſepulcrum, et eo cum amicorum ſuorum fideliſſimis intrauit, cauens ne id in vrbe reſciſceretur. Et argentum quidem nullum inuenit, ſed multa aurea et alia ornamenta, quæ omnia abſtulit. Ac dum accurate rimatur, voluit vlterius progredi vsque ad conditoria, in quibus ſita erant corpora Dauidis et Solomonis: ſed intrantes inciderunt (vt poſtea ferebatur) in flammam inde prodeuntem, quæ duos de eius ſatellitibus exanimauit. Hac re perterritus rex, exiit, et placandi numinis gratia, exſtruxit in oſtio ſepulcri, magnis ſumtibus monumentum albo lapide. Ceterum eius domeſticæ res in dies deterius habebant: quippe aula iurgiis, odiisque, et calumniis referta, quas alii in alios certatim comminiſcebantur. Antipater ſemper aliquid aduerſum fratres moliebatur, adeoque malicioſus erat, vt ab aliis inſimulandos curaret, et ipſe ſæpe eos ſimulate excuſaret, vt per ſpeciem amicitiæ conata perficere poſſet. Hoc pacto ita callide patrem circumueniebat, vt crederet vnum eſſe Antipatrum, cui patris ſalus ſummæ curæ foret. Quinetiam Ptolemæum, negotiorum regni ſui procuratorem, Antipatro commendauit rex, ac de negotiis cum Antipatri matre conſultabat: breuiter ii omnia

erant,

erant, vt et quæ vellent, facerent, et in quos videretur, regis odium commouerent. Erat ea res Mariæ filiis in dies grauior, neque ſe repelli, ſuamque dignitatem minui, ferre poterant. De feminis, Glaphyra Archelai filia, Alexandri coniux, ſimultatem cum Saloma exercebat, partim propter eius in Alexandrum odium: partim quia dolebat, Salomæ filiam, Ariſtobuli coniugem, pari ſecum dignitate eſſe. Super hanc alteram litem, orta eſt tertia. Nam Pheroras regis frater amore captus eſt cuiusdam ſeruæ mulierculæ, quam habebat, eamque ita perdite adamauit, vt ſpreta regis, quam ſibi deſponderat, filia, ſeruæ totus adhæreſceret. Quam rem grauiter ferens Herodes, filiam ſuam Phaſaeli filio nuptum locauit: deinde aliquanto tempore poſt, arbitratus fratris amores iam refrixiſſe, de prima apud eum expoſtulauit, et vt ſecundam, nomine Cyprum duceret, poſtulauit: et Ptolemæus Pheroræ ſuaſit, vt omiſſis amoribus ſuis, regi obtemperaret. Itaque Pheroras id e re ſua eſſe videns, quod ei antea accuſato venia data fuiſſet, cum ſerua diuortium fecit, quamuis ex ea iam filium haberet: regique pollicitus eſt, ſecundam eius filiam intra dies triginta ducturum, et ſibi cum repudiata nihil amplius rei fore iurauit. Verum præteritis triginta diebus, amore victus, nihil eorum præſtitit, quæ pepigerat: ſed iterum ſeruæ adhæſit. Quam rem tulit rex iniquiſſimo animo, vt facile oſtendebat, dum ſibi ſemper aliquod ea de re verbum elabi ſinebat: vnde multi ab ira regis occaſionem ſumebant de Pherora detrahendi. Atque vt rem breuiter explicem, eo proceſſum eſt, vt non dies, non hora vlla quieta foret, quin ſemper nouæ aliquæ ſimultates interuenirent, quas eius conſanguinei, et ſummi amici inter ſeſe exercebant. Nam Salome tanto flagrabat odio in Mariæ filios, vt ne filiam quidem ſuam, Ariſtobuli coniugem, pateretur eo eſſe in maritum animo, quem poſtulabat coniugium: ſed ab ea ſecreta eius, et mariti colloquia diſceret, quod ſi quid offenſionis (vt ſit) acciderat, multas ſuſpiciones iniiciebat: atque his rationibus omnia illorum arcana reſciſcebat, et filiæ animum alienabat a marito. Et filia matri vt placeret, ſæpe narrabat illos, dum ſeorſum eſſent, mentionem facere Mariæ, et patrem odiſſe, atque idemtidem minari, ſi vmquam rerum potiti fuiſſent, facturos de filiis, quos Herodes ex ceteris vxoribus ſuſtuliſſet, ſcribas paganos, ad quod munus idoneum eſſet ſtudium quod tum in litteras impenderent: feminas vero ſi vmquam ſuæ matris mundo comtas vidiſſent, facturos, vt pro eius temporis apparatu centonibus induerentur, ac ne ſolem quidem viderent. Hæc continuo a Saloma regi referebantur, qui ea dolenter audiebat ille quidem, et componere ſtudebat: ſed ſuſpicionibus deprauatus, deterior in dies fiebat, et omnibus contra omnes credebat. Quamquam tunc filios obiurgauit, et audita eorum purgatione, paullo melius in præſentia habuit. Verum poſtea longe deterius accidit. Nam Pheroras Alexandro dixit, ſeſe ex Saloma audiuiſſe, amari efflictim ab Herode Glaphyram. Qua re inflammatus Alexander, ſuſpicatus eſt, quam comitatem Herodes erga puellam ſæpe honoris cauſſa exhibebat, inde proficiſci. Itaque doloris impatiens, patrem adit, eique Pheroræ verba plorans refert. Herodes ira percitus, Pheroram euocat, eumque conuiciis proſcindit, ingratum ſceleſtumque appellans, qui eiusmodi commentus calumnias, filio patrem interficiendum obiiceret. Hic deprehenſus Pheroras, culpam confert in Salomam, a qua prodierint illa verba. At illa quum præſens adeſſet, ſimulac hæc audiuit, exclamata ratione probabili, non ita eſſe, ſed omnes

ſtude-

ſtudere eam regi inuiſam facere atque occidere, propter ſuam erga Herodem beneuolentiam, dum ſemper pericula præuidet: ac tunc ſibi multo infenſiores eſſe, quoniam ſola fratri ſuaderet, vt quam habebat vxorem repudiaret, regiſque filiam duceret: itaque non mirum eſſe, ſi fratri inuiſa foret. Hæc dicens, et ſibi capillos ſubinde vellens, pectuſque pulſans nonnullam de ſe ſpeciem præbebat innocentiæ: ſed eius ingenii peruerſitas ſimulationem coarguebat. Interea Pheroras medius tenebatur, confitens ille quidem dixiſſe, ſed aliunde audiuiſſe non credebatur. Itaque durauit diutius ea turba, et verborum mutua contentio: tandem rex et fratrem et ſororem exoſus, dimiſit, filiumque collaudauit, qui ita continens fuiſſet, vt eos ſermones ad patrem deferret. Poſt id diſſidium male audiebat Salome, quippe quæ calumniæ auctor eſſe videretur: et eam regis vxores oderant, ſcientes improbam eſſe feminam, quæ ſubinde mutaretur, et modo inimica, modo amica, pro temporis opportunitate, fieret. Itaque Herodi ſemper aliquid aduerſus eam dicebant, et ad id maiorem audaciam eis addidit caſus quidam. Erat Arabiæ rex Obodas, homo natura ſegnis et tardus: huius negotiorum pleraque adminiſtrabat Syllæus, vir acer, et iuuenis adhuc, idemque formoſus. Hic Syllæus quum aliquando ad Herodem ob aliquod negotium veniſſet, et inter cœnandum Salomam vidiſſet, adamauit: et viduam eſſe quum ſciret, cum ea verba fecit. Et Salome, quæ fratri minus quam ante cara eſſet, neque non iuuenem amaret, in coniugium conſentiebat: ac ſequentibus diebus quum ad cœnam ibatur, multa magnaque ſigna cernebantur eorum conuentionis. Hæc regi referebant vxores, eiuſmodi turpitudinem deridentes: et Herodes eadem de re quæſiuit etiam ex Pherora, eique negotium dedit, vt id in cœna obſeruaret. Id quod ille fecit: retulitque, facile ex eorum adſpectibus et nutibus intelligi poſſe, vtrumque ad eam rem procliuem eſſe. Poſtea diſceſſit ſuſpectus Arabs: deinde poſt duos aut tres menſes rediit ob eam rem nominatim, et de ea cum Herode locutus eſt, ab eo Salomam petens in matrimonium. Hæc detulit Herodes ad ſororem, et eam an in id conſentiret interrogauit: illa vero, ſtatim velle reſpondit. Sed Syllæo demonſtratum eſt, niſi ipſe in Iudæorum mores concederet, id matrimonium fieri non poſſe: ille vero non conſenſit, dixitque, ſi faceret, ſe ab Arabibus lapidatum iri: atque ita diſceſſit. Inde Salome a Pherora, vt mulier intemperans, vituperabatur: magiſque etiam a feminis, quæ eam cum Arabe rem habuiſſe dicerent. Regis autem filiam Pheroræ deſponſam, neque nuptam, rex ipſo poſtulante Pherora, eius filio nuptum locauit, et centum talentis dotauit. Sed exſtiterunt domi nouæ turbæ, quemadmodum iam dicam. Erant ſpadones regi cariſſimi propter formam, quorum vnus ei erat a poculis, alter a menſa, tertius ſopiendi regis procurationem habebat, et regni maxima negotia adminiſtrabat. Hos ab Alexandro pecunia corruptos quidam regi indicauit: itaque rex de eis quæſtionem habuit: atque illi, Alexandrum quidem ſecum rem habuiſſe confeſſi ſunt: aliud quidem in patrem flagitium nullum ſcire. Sed quum acrius cruciarentur, et a miniſtris in gratiam Antipatri ſemper crudelius torquerentur, dixerunt Alexandrum patri eſſe infenſum: ipſiſque demonſtraſſe, non amplius eſſe ab Herode pendendum, qui iam inutilis eſſet, ſeniumque ſuum denigratione capillorum occultaret. Quod ſi Alexandri partes ſequi vellent, fore vt eo regnum adepto (quod vel inuito patre ad alium neminem venturum eſſet) breui primas in regno tenerent. Sibi enim facile eſſe imperio potiri, non ſolum propter genus, ſed etiam propter apparatum quem haberet:

ret: quandoquidem multi, et ducum et amicorum ab ipſo ſtarent, homines ad quiduis, et faciendum, et patiendum accommodati. His auditis Herodes iræ timoriſque plenus, deinceps eam rem aperte non excutiebat, ſed homines miſit ad obſeruandos eos quos ſuſpectos habebat, adeoque in omnes ſuſpicione et odio laborabat: ac tutius id ratus, etiam de innocentum fide magnopere dubitabat. Inſumma, nullus modus erat: quo quiſque magis eum frequentabat, eo magis timebatur, tamquam qui lædere magis poſſet. Qui vero ad eum non ita frequenter ibant, eos vel tantum nominatos protinus interficiebat. Ad extremum eo verſi ſunt aulici, quoniam certa ſpe ſalutis carerent, vt alii in alios inueherentur, dum pro ſe quiſque cogitat, ſi alterum accuſare anticipet, ſe poſſe eſſe ſaluum. Deinde vbi quis alterum oppreſſerat, inuiſus erat, ac merito vlciſcendus videbatur. Quin hac ratione ſeſe nonnumquam de priuatis inimicitiis vindicabant: et ipſi viciſſim deprehenſi, pœnas dabant, et occaſione tamquam machina et decipula in aduerſarios vtebantur: deinde eodem, quem aliis obtenderant, laqueo capiebantur. Nam regem mox pœnitebat, quoniam quos necaſſet, conuicti non eſſent: quodque peius erat, non vtebatur ea pœnitentia ad talia deinceps cauenda, ſed ad eos ſimiliter puniendos, qui alios accuſaſſent. Huiuſmodi turbis agitabatur aula. Quinetiam multis amicorum denuntiauit, non fore deinceps, cur ad ſe officii cauſſa ventitarent, aut in regiam intrarent: idque eo fecit, quod propter eorum reuerentiam, minus peccare licenter audebat. Nam tunc expulit ex aula Andromachum, et Gemellum, qui erant de eius veteribus amicis, et multum eius domui, tum curandis regiis negotiis, tum legationibus et conſiliis profuerant, eiuſque filios docuerant, et ſane primum tenuerant apud eum auctoritatis locum: et expulit, quoniam Alexandrum Demetrius Andromachi filius frequentaret, et Gemellus beneuolentia proſequeretur. Eum enim, puerum adhuc, et in ludo litterario frequentarat, et Romæ commorantem comitatus fuerat. Horum omnium cauſſa erat Antipater, qui patris licentiam animaduertens, quo facilius quæ vellet perficeret, dabat operam vt omnes, qui ſibi obſtare poſſent, tolleret. Igitur eiectis tum Andromacho et Gemello, vt regem adloqui et admonere non poſſent, cœpit rex in omnes quæſtionem habere, quos Alexandro fideles eſſe credebat: vt extorqueret, ſi quid ille contra ſe molitus eſſet. Illi vero cum nihil dicere haberent, moriebantur: id quod regem reddebat furioſiorem, quia nihil eorum, quæ arbitraretur, deprehenderetur. Et Antipater ita malitioſus erat, vt quum quis reipſa innocens reperiebatur, negaret innocentiam eſſe, ſed erga Alexandrum conſtantiam atque fidem, regemque inſtigaret ad quærendum ex aliis, de arcanis inſidiis. Itaque inter complures qui cruciabantur, fuit vnus qui dixit, Alexandrum dicere ſolitum, quum a corporis proceritatę, et iaculandi peritia, ceterarumque virtutum ſingulari excellentia collaudaretur, eas ſibi naturæ dotes magis pulchras eſſe, quam bonas, quippe patri inuiſas atque inuidioſas. Itaque ſe cum patre ambulantem, ſeipſum ſupprimere ſolere atque demittere, ne illo maior videretur: et in venatione cum patre iaculantem, data opera aberrare, metu paternæ inuidiæ. Deinde ſuper ea re interrogatus, remiſſo cruciatu illud addidit. Alexandrum cum fratre ſuo Ariſtobulo ſtatuiſſe patrem in venatione perimere, deinde Romam ad petendum regnum confugere. Repertæ ſunt præterea Alexandri ad fratrem litteræ, in quibus de patre conquerebatur, qui inique Antipatro regionem daret, ex qua ducentena talenta reficerentur. His continuo ſibi viſus Herodes certum aliquod argumentum

tum habere ſuſpicionis, quam de pueris conceperat, Alexandrum comprehendi, et in vincula tradi iubet. Deinde ne ſic quidem moleſtus eſſe deſinebat, partim quia auditis non multum fidei adiungebat: partim quia rem perpendendo videbat nihil eſſe niſi iuueniles querimonias: neque credibile eſſe, decreuiſſe puerum patrem interficere, deinde palam Romam proficiſci. Quapropter maius argumentum culpæ filii habere volebat, et ne eum inconſideratius in vincula dediſſe videretur, timebat. Itaque ſummos amicorum Alexandri eousque excruciauit, vt multos necarit, nec tamen quidquam extorſerit eorum, quæ exſpectabat. Huic ille rei dum vehementer incumbit, et regia timorum turbarumque plena eſt, fuit iuuenis quidam, qui in cruciatu dixit, Alexandrum ſignificaſſe Romam ſuis amicis, vt ſe curarent a Cæſare cito arceſſendum: habere ſe nouas aduerſus eum res, quas ei indicare vellet, videlicet ſuum patrem cum Mithridate Parthorum rege amicitiam contra Romanos coiiſſe: atque illud adiecit Alexandrum habere paratum venenum Aſcalone. His rebus credidit Herodes, et in iis malis nonnullam temeritatis ſuæ conſolationem cepit, ſibi ipſi adſentando, et maiora eſſe quam erant mala perſuadendo. Verum non eſt inuentum venenum, licet diligentiſſime quærendum curauerit: neque tamen id negauit Alexander, vt de induſtria malorum magnitudinem augeret. Dimiſit enim quaternas litteras, in quibus ſignificabat nihil opus eſſe tormentis, neque procedendum vlterius: ſeſe inſidias feciſſe, et quidem ſocio Pherora, et regiorum amicorum fidiſſimis. Salomen quoque ad ſe veniſſe noctu, et ſecum per vim concubuiſſe: atque omnium conatus eo tendere, vt regem de medio tollerent, atque ita perpetuo metu liberarentur. Inter ceteros accuſabantur etiam Ptolemæus et Sappinnius, quibus neminem fideliorem rex habebat. Quid multis? ea erat aliorum in alios rabies, vt qui aliquando fuerant amiciſſimi, plane efferarentur, quoniam nullum neque ſui defendendi, neque aduerſarios refellendi, et verum demonſtrandi, locum habebant, ſed omnes nullo iudicio neci dabantur, atque omnes vel vincula, vel necem, vel eorumdem exſpectationem conquerebantur: palatiumque tumultus et mæſtitia, pro præteriti temporis felicitate, compleuerat. Itaque tota Herodis vita ei erat acerba: adeo turbabatur, et vexabatur, dum nemini fidem habebat. Quinimmo frequenter animo ſuo perſuadebat, inuadi ſe a filio, et eum ſtricto gladio adſtare: adeo vt dies et noctes non ſecus ac furioſus, et mente captus, baccharetur.

CAPVT XII.

Archelaus Cappadocum rex Alexandrum patri reconciliat.

HIs intellectis, Archelaus Cappadocum rex eo profectus eſt, vt lites componeret. Atque vt prudentius ageret, adoleſcenti ſuccenſuit, et Herodem hominem æquum eſſe dixit, qui nihil temere feciſſet: atque illud inſuper adiecit, ſe filiæ ſuæ, et Alexandri matrimonium diſſoluturum, ac ne filiæ quidem parſurum, ſi quid ea ſciret, quod Herodi non indicaſſet. Herodes vbi Archelaum (quem ſibi aduerſaturum putarat) a ſe ſtare vidit, mollitus eſt, et paullatim animum paternum induit: rurſumque quibusdam coniectas in Alexandrum calumnias refellentibus iraſcebatur, ac turbabatur: iterumque defendente Herodem Archelao, ad fletum conuertebatur: eo vsque, vt Archelaum orauerit, ne connubium diſſolueret, ſed adoleſcenti pacaretur. Itaque vbi paullo factum æquiorem vidit Archelaus,

laus, vertit in amicos calumnias, ab iis dicens corruptum Alexandrum, qui iuuenis eſſet, neque malitiam ſentiret: et ſuſpicionem etiam magis in Pheroram detorſit. Pheroras enim (qui neminem haberet, per quem cum rege in gratiam redire poſſet) videns magnam eſſe Archelai auctoritatem, eum atratus et ſordidatus conuenit, et vt ſe regi reconciliaret, orauit. Archelaus reſpondit, ſe non grauate facturum: ſed tantam regis iram tam cito reſtinguere non poſſe: proinde praſtare, vt ipſe Pheroras ab illo veniam petitum iret, ſeque totius mali auctorem eſſe confiteretur. Ita enim immodicam regis iram diminuturum: ſe vero adfuturum, et Pheroræ opitulaturum. Atque ita fecit, perfecitque, vt pax vtrique componeretur. Nam et iuuenis crimine ſubleuatus eſt, et Pheroram Herodi reconciliauit Archelaus: deinde ſe in Cappadociam recepit, Herodique fuit gratiſſimus, adeo vt ei multa largitus ſit Herodes, eumque magnifice, ſicut ſummum amicum, honorauerit. Pepigit etiam iturum ſe Romam, quoniam de ſuis negotiis ad Cæſarem ſcripſiſſet: iueruntque vna Antiochiam vsque, et litem ibi compoſuit Herodes inter Archelaum et Titum Syriæ prætorem, cui cum Archelao quoddam erat diſſidium: deinde in Iudæam reuerſus eſt. Deinde poſtquam Romam iuit, et inde reuenit, bellum geſſit cum Arabibus ob huiusmodi cauſſam.

CAPVT XIII.

Trachonitarum rebellio.

INcolæ Trachonis, poſtquam Cæſar eam regionem Zenodoro ademtam, Herodi attribuerat, amplius latrocinari nequibant, ſed terram colere, et quiete viuere cogebantur: id quod eis parum placebat, nec admodum idoneum agriculturæ ſolum habebant. Itaque Herode Romam profecto ad Alexandrum ſuum filium accuſandum, Antipatrumque Cæſari commendandum, Trachonitæ mortuum eſſe Herodem ſermonibus diuulgarunt, rebellaruntque, et iterum finitimum agrum, vt ante, diripere cœperunt. At tum regii duces, abſente ipſo, eos domuerunt. Sed fuerunt circiter quadraginta latronum præfecti, qui ex iis finibus ceſſerunt, ſeque in Arabiam receperunt, et a Syllæo, poſtquam is a Salomæ coniugio aberrauerat, accepti ſunt, qui eis locum munitum dedit: qua habitatione vſi, cœperunt non ſolum Iudæam incurſare, verumetiam vniuerſam Cœleſyriam, receptum, et prædium habentes apud Syllæum. Igitur Roma reuerſus Herodes, comperit eos grauia damna ſuis intuliſſe: et quoniam latronibus ipſis potiri nequibat, quippe præſidio Arabum tutis, eas contumelias ægre ferens, Trachonem obiit, et latronum conſanguineos necauit. Ea res tanto reddidit irritatiores, præſertim quod legem habebant, quæ ſuorum interfectores omnibus modis vlciſci iuberet. Itaque cœperunt, quicumque tandem ſecuturus eſſet euentus, vniuerſam Herodis ditionem flamma ferroque fœdare. Hac de re locutus Herodes cum Saturnino, et Volumnio, Cæſarianis ducibus, latrones ad ſupplicium depopoſcit: quamobrem latrones ſeipſos magis etiam confirmare, et numero aucti, omnia perdere, locis, pagiſque Herodiani regni vaſtandis, et hominibus, quos ceperant, interficiendis, adeo vt belli ſimilis res eſſet. Erant enim iam circiter mille: quam rem dolens Herodes, latrones depoſcebat, et ſexaginta talenta exigebat, quæ Obodæ per manus Syllæi mutua dederat, quorumque dies transacta iam erat. At Syllæus, qui Oboda reiecto, omnia regebat, negare in Arabia eſſe latrones, et pecuniæ ſolutionem differre: qua de re coram Saturnino et Volumnio Syriæ prætoribus diſceptatum eſt. Poſtremo promiſit in eorum præſentia Herodi intra

intra dies triginta pecuniam ſolutum iri, et vtrumque alterius homines redditurum, quos in ſuo regno haberet. Atque Herodes quidem neminem omnino Arabem habere compertus eſt, neque ob maleficium, neque ob aliam cauſſam: at Arabes conuicti ſunt, habere in ſuis finibus latrones.

CAPVT XIIII.

Herodis expeditio in Arabiam.

FInita die, Syllæus, quum nihil eorum, quæ debebat feciſſet, Romam profectus eſt. Et Herodes, vt de pecunia et latronibus ius obtineret, Saturnini et Volumnii permiſſu, quem habebat exercitum duxit in Arabiam: et triduo ſeptem ſtationes emenſus, poſtquam ad præſidium, quod latrones habebat, peruenit, omnes aduentu primo cepit, et locum, qui Raepta vocabatur, complanauit: aliorum nihil violauit. Quumque latronibus Arabes ſubſidio veniſſent, fit prœlium, in quo pauci de Herodianis deſiderati ſunt, necnon Arabum dux Nacebus, vna cum ſuorum circiter vigintiquinque: reliqui fuga ſibi conſuluerunt. Herodes ſumto de illis ſupplicio, tria Idumæorum millia in Trachonitidem deportauit, qui regionis illius latrones coercerent: et tota de re certiores fecit duces, qui erant in Phœnicia.

CAPVT XV.

Syllæus Arabs Herodem apud Cæſarem accuſat.

EAm rem nuntii quidam Romam celeriter ad Syllæum pertulerunt, et vt fere fit, exaggerarunt. Et ille (qui iam illud conſecutus erat, vt Cæſari innoteſceret, ac tum in aula frequens erat) hoc accepto nuntio, confeſtim pullatus Cæſari indicatum it, Arabiam bello eſſe vaſtatam: et vniuerſum regis exercitum ab Herode conciſum: dixitque plorans, duo millia quingentos Arabiæ primarios cecidiſſe: eorumque ducem Nacebum occubuiſſe, amicum cognatumque ſuum: direptaſque diuitias, quæ Raeptæ eſſent, contemto Oboda, vt ad bellum ſuſtinendum infirmiore: quoniam nec ipſe Syllæus, nec Arabum exercitus adeſſet. Hæc dixit Syllæus: et vt inuidioſiorem redderet Herodem, illud addidit, ſe eam profectionem ſuſcepturum non fuiſſe, niſi Cæſarem putaſſet daturum operam, vt cum omnibus omnes pacem haberent: quod ſi ipſum Syllæum ibi adeſſe contigiſſet, infauſtum Herodi bellum futurum fuiſſe. His verbis iratus Cæſar, quæſiuit ab Herodis amicis, qui aderant, et a ſuis, qui ex Syria venerant, hoc ſolum, an Herodes exercitum duxiſſet. Erat eis fateri neceſſe: et Cæſar non auſcultabat, quam ob cauſſam, aut quo pacto: itaque etiam iratior ſcripſit acerbius Herodi: et inter alia, litterarum ſumma hæc fuit, ſe eum aliquando in amicis habuiſſe, nunc pro ſeruo habiturum. Syllæus quoque ea de re ſcripſit ad Arabes: quæ res adeo feroces effecit, vt elapſos prædones non dederent, neque pecuniam ſoluerent, et paſcuis, quæ ab Herode conduxerant, gratis vterentur: quoniam eſſet Cæſaris ira deiectus. Item Trachonitæ occaſionem hanc nacti, in Idumæorum præſidium conſurgunt, atque vna cum Arabibus latrocinantes, Idumæorum agrum populantur, nec ſolum lucri, ſed etiam vltionis cauſſa ſæuiunt. Hæc omnia ferre cogebatur Herodes, quippe Cæſare in eum ſic irato, vt noluerit legationem audire miſſam ab Herode ob cauſſæ ſuæ defenſionem, eamque ſemel atque iterum re infecta remiſerit. Itaque erat in magna ſollicitudine atque metu: et ei permoleſtus erat Syllæus, qui Romæ gratioſus erat, et eo tempore ad maiora

ſpirabat. Nam Oboda mortuo, Aeneas cognomento Aretas, Arabiæ regnum occupauerat: et Syllæus eum deturbare, idque inuadere nitebatur, magnas largitiones et aulicis faciens, et Cæſari promittens. Aretæ quoque Cæſar ſuccenſebat: quoniam regnum vſurpaſſet, neque prius ad ſe ſcripſiſſet. Tametſi miſit Aretas ad Cæſarem litteras, et donum, et auream coronam multa talenta pendentem: quibus in litteris Syllæum accuſabat, vt qui malus ſeruus eſſet, et Obodam veneno ſuſtuliſſet, quo etiam viuo rerum dominus fuiſſet: et cum Arabum vxoribus adulteraret, et pecuniam mutuaretur, vt imperium occuparet. Verum Cæſar ea contemſit, et nullo accepto dono remiſit. Iudææ vero et Arabiæ regna in dies deterius habebant, tam propter turbas, quibus agitabantur, quam quia nemo erat, qui ei malo mederetur. Nam duorum regum alter nondum certo rex erat: ideoque ad coercendos maleficos idoneus non erat: alter, videlicet Herodes, quia Cæſarem iratum haberet, omnes contumelias perpeti cogebatur. Tandem Romam iterum mittere decreuit, ſi quid æquitatis a Cæſare poſſet obtinere.

CAPVT XVI.

Euryclis calumniæ aduerſus Herodis filios.

ERant autem eo tempore eius domeſtica negotia peiore in ſtatu, quam vmquam fuerant, propter cauſſam quam iam dicturus ſum. Erat Lacedæmonius quidam Eurycles, honeſto loco natus, ſed nequam, voluptatibus, et adſentationi deditus: verum id ita callide faciebat, vt non animaduerteretur. Is Herodem adiit, eique dona largitus, accepit ab eo maiora: atque vrbanitate ſua, ſeſe in intimam regis amicitiam inſinuauit. Vtebatur autem Antipatri hoſpitio, et ad Alexandrum ititabat, quippe qui ſe Archelao Cappadociæ regi familiariſſimum eſſe dictitaret: ideoque Glaphyræ honorem ſe præbere ſimularet: atque in eo totus erat, vt omnes coleret: et quæ dicerentur ac fierent, ſemper obſeruabat, vt ita calumniis retineret hominum beneuolentiam. Poſtremo id conſecutus eſt, vt quum ſe in familiaritatem alicuius dediſſet, eius amicus eſſe videretur: quod ſi alium frequentaret, id eius gratia facere putaretur. Itaque Alexandrum ſic induxit, vt ille ei totum animum ſuum aperuerit, id quod alii audebat nemini: narraueritque, vt pater ab ipſis alienatus eſſet, et ipſorum matrem interfeciſſet, eisque repudiatis Antipatrum euexiſſet. Hæc verba narrauit Eurycles Antipatro: Non equidem amore tui facio, inquit, ſed tanti eſt momenti res, vt tacere nequeam, quo tibi ab Alexandro cauendum eſſe putes. Neque enim hæc ſine adfectu dicit, quin non obſcuram præ ſe fert nocendi cupiditatem. Igitur Antipater eum ſibi amicum opinans, ei ſæpe liberaliter largiebatur: et ad extremum perſuaſit, vt ea referret Herodi. Id quod ille fecit, et orationis calliditate Herodem in Alexandri odium inexpiabile perduxit, quemadmodum Herodes ea ipſa hora facile oſtendit: nam Eurycli extemplo quinquaginta talenta dedit. His acceptis, homo Archelaum Cappadociæ regem adit: eique laudat Alexandrum, ſeque ei in componenda cum patre pace magno vſui fuiſſe prædicat. Hac arte etiam Archelaum pecunia emunxit: et antequam detegeretur malicia, diſceſſit. Poſtremo vbi Lacedæmonem peruenit, quoniam his artibus vti non intermittebat, relegatus eſt. Herodes vero, non vt ante ſatis habebat criminationes aduerſus Alexandrum et Ariſtobulum audire: verumetiam tam inteſtino in eos odio flagrabat, vt ſi nemo criminaretur, ipſe ad criminandum induce-

duceret, omnia ſpeculando et explorando: et omnibus, ſi quid contra eos haberent, dicendi poteſtatem faciendo: ac perfecit, vt ei referretur, Euaratum Coum cum Alexandro conſpiraſſe: quam rem audiuit libentiſſime. Erant Herodi ſatellites duo, qui propter corporis fortitudinem, et proceritatem, habebantur in pretio, videlicet Iucundus et Tyrannus. Ii offenſo rege depulſi, cum Alexandro equitabant: et quoniam homines exercitati eſſent, erant in honore, et auri aliquantum, aliaque dona accipiebant. Quapropter rex eos ſtatim ſuſpectos habuit, et in quæſtionem vocauit. Illi poſtquam diu perſtiterunt, tandem dixerunt, ab Alexandro ſibi perſuaſum, vt Herodem in venatione occiderent: deinde dicerent equo delapſum, ſuo ſe venabulo transfodiſſe, ſicut alias accidiſſet. Oſtenderunt etiam aurum in equili obrutum, et venatorum præfectum conuicerunt ſibi regia venabula, et Alexandri aulicis arma, ipſius iuſſu, dediſſe. Poſt eos comprehenditur et torquetur præfectus præſidii Alexandri: quippe accuſatus, promiſiſſe adoleſcentibus,ſeſe eos caſtello recepturum: eisque regiam pecuniam, quæ in ea munitione eſſet, traditurum. Atque ipſe quidem præfectus nihil confeſſus eſt: ſed prodiit eius filius, et ita eſſe dixit, litterasque tradidit ſcriptas, vt videbatur, Alexandri manu, quarum exemplum erat hoc: Perfectis, ſi Deus voluerit, omnibus quæ inſtituimus, veniemus ad vos: ſed date operam, ſicut promiſiſtis, vt nos caſtello recipiatis. Poſt hanc ſchedam non iam dubitabat Herodes de inſidiis: ſed Alexander dicebat, manum ſuam a Diophanto notario adſimulatam, eamque ſchedam ab Antipatro malitioſe effictam. Erat enim Diophantus adſimulandarum litterarum peritiſſimus: tandemque alias ſimulaſſe conuictus, morte pœnas dedit. Eos autem,in quos fuerat habita quæſtio, produxit Herodes Hierichunte ad populum, ad accuſandos pueros, atque illos multi lapidibus obrutos necarunt: idemque Alexandro et Ariſtobulo facturi erant: ſed rex eos per Ptolemæum et Pheroram cohibuit, et pueros ita concludendos cuſtodiendosque curauit, vt eos adiret nemo: omniaque eorum facta et dicta obſeruarentur, adeo vt pro damnatis haberentur. Qua re tantum animi dolorem concepit Ariſtobulus, vt Salomæ amitæ ſocruique ſuæ, perſuadere tentauerit, vt id doleret: et Herodem odiſſet, qui ſe eo perduci ſineret. Etenim nonne tu quoque, inquit, in mortis periculo verſaris? quum omnia quæ hic fiunt, Syllæo ſpe coniugii detegere dicaris? Hæc verba illa protinus Herodi narratum it: itaque ille eum ſine vlla cunctatione conſtringi, et vtrumque ab altero ſeparatum, ſcribere iubet, quidquid mali in patrem commiſiſſent. Illi ſcripſerunt, ſe in patrem inſidias neque cogitaſſe,neque ſtruxiſſe: fugam quidem adornaſſe, idque vi coactos, quia ſuſpectam moleſtamque vitam degerent.Eo tempore venit ex Cappadocia legatus quidam, nomine Melas, cui Herodes, vt Archelai in ſe maleuolentiam oſtenderet, Alexandrum,qui erat in carcere,euocauit: et ex eo iterum quæſiuit,quonam et quo pacto fugere decreuiſſet? Ad quod reſpondit Alexander, ad Archelaum, qui ſe inde Romam eos miſſurum promiſiſſet: in patrem quidem nihil ſceleris, aut maleficii conatos fuiſſe: et eorum quæ ipſis ab aduerſariis imponerentur, nihil verum eſſe. Se quidem optaſſe, vt de tyranno et illo altero circumſpectius haberetur quæſtio: ſed illos celerius periiſſe, auctore Antipatro, qui amicos ſuos inter multitudinem ſummiſiſſet. Hæc eo dicente, iuſſit Herodes, vt Melas et Alexander ad Glaphyram ducerentur: et ex ea quæreretur, ecquid inſidias Herodi ſtructas ſciret? Glaphyra ſimulac vinctum conſpexit Alexandrum, caput ſibi

percutit, et ſeipſam feriens, magnum triſtemque ploratum edit, plorante viciſſim iuuene, adeoque mæſtis qui aderant, vt diu id, cuius cauſſa venerant, dicere aut facere nequirent. Tandem Ptolemæus, cui mandatum id erat, iubet dicere, ecquid viro conſcia foret? Quid vero conſcia non ſit? inquit Alexander: quum mihi ſit vel ipſa anima carior, et communes mecum natos habeat? Hic illa exclamat, nullius ſe malæ rei conſciam, ſed tamen ſi eius vtilitas poſtulet, vt aliquid vel contra ſeipſam mentiatur, omnia confeſſuram. At Alexander: Scelus quidem, inquit, nullum eorum quæ ſuſpicantur quos minime omnium decebat, neque ego cogitaui, neque tu ſcis: ſed quod ad Archelaum nos recipere decreueramus, et inde Romam: atque id illa confeſſa eſt. Et Archelaus poſtea de ſusceptione quidem confeſſus eſt: ſed non de Romam miſſione, neque de vlla alia re, quæ Herodi incommodaret. Igitur Herodes Olympium, et Volumnium Romam miſit: eisque imperauit, vt ſi quid illic a Nicolao expeditum inuenirent, adeo vt Cæſar Herodi iam non ſuccenſeret, litteras ei, et teſtimonia traderent, quæ mittebat contra adoleſcentes. Igitur Romam vbi peruenerunt, opportunitatem habuerunt litteras tradendi Cæſari, quod eum Herodi reconciliatum offenderunt. Nam Nicolai legatio ſic ſe habuit: Poſtquam in imperatoris Romani aulam peruenit, viſum eſt ei non ſolum id agere cuius cauſſa venerat, verum etiam Syllæum accuſare. Nam Arabes aperte inter ſe diſſentiebant: itaque pars eorum relicto Syllæo, eius ſcelera omnia Nicolao narratum iuerunt, eique manifeſtis indiciis oſtenderunt, eum multos ex Obodæ hominibus interfeciſſe. Quam rem ſibi opportunam videns Nicolaus, ea ſibi ad componendum Herodis et Cæſaris diſſidium cenſuit vtendum. Sciebat enim, ſi vellet Horodis factum defendere, non habiturum audientiam: ſin Syllæum accuſare, habiturum occaſionem Herodis cauſſam agendi. Itaque dicta die, in qua Syllæus et Nicolaus, habens vna ſecum legatos Aretæ, Cæſari ſe ſtiterunt, accuſauit Nicolaus Syllæum: et inter accuſandum eo deuenit, vt Herodem falſo accuſatum oſtenderet: atque ita cauſſam egit, vt ad extremum Cæſar Syllæum capite damnarit, et cum Herode redierit in gratiam: eumque pœnituerit, qui calumniis inductus, illi tam acerbe ſcripſiſſet: et a Syllæo exprobrauit, ſeſe eius falſis verbis inductum deliquiſſe in amicum. Denique remittitur Syllæus iure functurus, et æs alienum ſoluturus, deinde adficiendus ſupplicio. Aretæ autem parum amicus erat Cæſar, quoniam principatum ſine Cæſare occupaſſet: itaque Arabiam Herodi dare ſtatuerat Cæſar: ſed litteris deterritus eſt, quas de pueris accepit. Nam alterum imperium, et ſeni, et circa pueros laboranti, addere, non putauit conſultum. Itaque Aretæ homines admiſit: et eo ob id dumtaxat reprehenſo, quod non exſpectaſſet, dum regnum a ſe acciperet, munera accepit, et illi principatum confirmauit. Herodi vero ſcripſit, ſeſe ei reconciliatum eſſe, et puerorum vicem dolere: eosque oportere, ſi quid ſceleris ſuſceperant, vt parricidas puniri, et eius rei ſeſe ei poteſtatem facere: ſin nihil niſi fugam inſtituerant, corrigendos aliter, neque ad extrema veniendum: ſe ſuadere, vt ea de re iudicium haberet in oppido Beryto, in quo degerent Romani, et aduocatis præſidibus et Cappadociæ rege Archelao, omnibusque reliquis, quos ſibi amicos et graues viros putaret, eorum ſequeretur ſententiam.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XVII.

Herodes filios accuſat atque interficit.

HIs litteris acceptis, gauiſus Herodes, quos viſum eſt, aduocauit ad conſilium: ſed Archelaum non aduocauit. Poſtquam præſides, et alii quos ab vrbibus arceſſiuit, Berytum aduenerunt, pueros in vico Sidonio, nomine Platana, collocauit prope vrbem, vt ſiſti poſſent, ſi vocarentur: ſolusque in curiam ingreſſus, in qua homines centum quinquaginta aderant, filios inuſitato modo accuſauit. Nam violentum ſe præbuit, et in crimine demonſtrando turbidum, rabioſique et inſani ſimilem, non permittens adſeſſoribus, vt argumenta ponderarent, atque perpenderent: ſed ipſe ea tuens atque defendens, et puerorum ſcripta legens, quæ nihil aliud niſi cogitatam fugam continebant, et maledicta quædam in patrem contumelioſa, propter eius in eos maleuolentiam. Itaque vbi ad hunc locum ventum eſt, exclamat etiam vehementius, crimenque exaggerat perinde ac ſi de inſidiis confeſſi fuiſſent: iuratque ſe vitam amittere maluiſſe, quam talia audire. Poſtremo quum dixiſſet, ſe tum iure naturæ, vtpote patrem, tum permiſſu Cæſaris, poteſtatem habere: addidit et legem patriam, quæ iubet, vt ſi parentes reo manus imponant, cogantur adſeſſores ferire, et eum morte multare: id quod ipſe in ſua patria, et regno facere paratus, tamen eorum ſententiam exſpectaret: qui tamen eo non vt iudices (vtpote in tam manifeſto crimine) ſed vt iræ ſuæ adiutores veniſſent, quum nemini, quamuis remoto, contemnendæ eſſent tales inſidiæ. Poſtquam rex dicendi finem fecit, ne introductis quidem ad cauſſæ ſuæ dictionem iuuenibus, adſeſſores eum iratiorem eſſe cogitantes, quam vt ad æquitatem aut concordiam perduci poſſet, poteſtatem ei confirmarunt: primusque Saturninus, vir magnæ auctoritatis, dixit pro ſententia, ſe damnare quidem pueros, nec tamen interficiendos cenſere, qui ipſe filios haberet, quum maius eſſet mortis ſupplicium, quam omnia quæ ab ipſis accidere mala potuiſſent. Huius ſententiam ſecuti ſunt eius filii, quos tres vna ſecum legatos habebat. Sed Volumnius longe aliter cenſuit, videlicet morte plectendos, qui ſe in patrem tam impie geſſiſſent. In eadem iuit maxima pars reliquorum: itaque pueri capitis damnantur. Illinc Tyrum ſtatim proficiſcitur Herodes, pueros ducens: et reuerſum ad ſe Roma Nicolaum interrogat, poſtquam ei acta Beryti narrauit, quæ nam foret amicorum ſuorum, qui Romæ eſſent, de pueris ſententia. Cui ille ſic refert: Videtur eis, impius quidem eſſe filiorum in te conatus: debere tamen eos a te in vinculis cuſtodiri: poſtea, ſi ita videatur, interfici, ne iracundia magis, quam ratione vſus eſſe videare: ſin minus, ſolui, ne in immedicabile infortunium incidas. Hæc ſunt quæ plerique omnes amici tui Romani cenſent. Hic Herodes diu cogitabundus ſoluit, deinde Nicolaum ſecum nauigare iuſſit: vbi Cæſaream eſt ventum, cœperunt ſtatim vulgo de pueris loqui de regno ſolliciti, et quid illis fieret ſuſpenſi. Sed quoniam vocem vllam temere vel emittere, vel etiam audire non licebat ſine periculo, miſericordiam quam de pueris habebant, clauſam tenebant: et tam atrox facinus dolenter quidem, ſed taciti ferebant. Exſtitit quidam nomine Tero: regis olim miles, qui filium habebat Alexandri æqualem atque amicum. Hic Tero homo audax, quidquid muſſabant alii, dicebat, et ſæpe palam in vulgus exclamare cogebatur, interiiſſe veritatem, ſublatum ius ex hominibus,

 vige-

vigere mendacium et malitiam, et tantam nubem rebus obducere, vt a peccantibus, ne maxima quidem mala cernerentur. Hæc tam libere dicens, videbatur quidem non ſine periculo facere; ſed mouebat omnes æquitas rei, ideoque libenter eum audiebant omnes: et ſilentes ipſi ſuæ ſalutis gratia, tamen eius confidentiam collaudabant. Igitur regem ipſum adit audaciſſime, et ſolum cum ſolo colloqui velle dicit: ac facta poteſtate, ſic dolens fatur: O rex, tolera, poſtquam tam atrox res eſt. Equidem audacem hanc confidentiam, ſed tibi neceſſariam et conducibilem, ſi quid ab ea vtilitatis perceperis, meæ vitæ antepoſui. Sanusne es, aut vbi eſt excellens illud ingenium, quo tot tantasque res adſecutus es? quæ eſt iſta amicorum cognatorumque ſolitudo? quos equidem, quamuis præſentes, nec cognatos nec amicos iudico, qui tantum ſcelus in quondam felici regno perpetrari ſuſtineant. Et tu non adſpicies quid agatur? duos iuuenes regina coniuge tibi natos, omni virtute ornatiſſimos, interficies, tuamque ſenectutem vni puero committes, qui conceptam de ſe ſpem male ſuſtinuit: et conſanguineis, quos ipſe toties iam capitis damnaſti? Nonne cogitabis vulgi ſilentium, tamen peccatum videre, et facinus odiſſe: exercitumque vniuerſum, et maxime præcipuos, miſericordia commoueri erga infelices, odio erga infelicitatis auctores? Audiebat hæc principio rex non omnino intemperanter, ſed vbi Tero facinus, et domeſticorum perfidiam aperte taxauit, commouit ſe rex. Et Tero paullatim modum exceſſit, et audacia militari intemperantius abuſus eſt: quæ res Herodem ita turbauit, vt ea verba pro conuiciis magis, quam pro vtili admonitione ducens, vbi militibus ducibusque negotium diſplicere audiuit, comprehendi iuſſerit, et in cuſtodiam dari tam eos, qui nominati fuerant, quam ipſum Teronem. Eo facto, Tryphon regis tonſor, nactus occaſionem, regi nuntiat, Teronem ſæpe ſibi perſuadere voluiſſe, vt regi barbam tondens, eum nouacula iugularet: ita magnam ab Alexandro initurus gratiam, magnumque præmium conſecuturus. Hæc locutum, iuſſit rex comprehendi: deinde de Terone et eius filio et tonſore quæſtionem haberi. Quumque Tero perſiſteret, iuuenis patrem male iam multatum, nec vllam ſpem ſalutis habere videns, dicit ſe regi veritatem patefacturum, modo ſe et patrem torquere deſinat. Vbi rex ei fidem dedit, dixit, conſtitutum fuiſſe, vt Tero regi manum adferret: ac factu facile eſſe, vt ſolus ſolum adgrederetur: quo perpetrato, ſi quid ei ſiniſtrum accidiſſet, id honori fore, dum Alexandro gratificaretur. His verbis patrem a cruciatu redemit: neque ſcitur, verumne dixerit, an id fecerit, vt a ſe, et patre dolorem depelleret. Herodes vero minus etiam, quam antea dubitans, inſtitutum exſequi properauit. Itaque produxit in cœtu triginta duces accuſatos, et Teronem cum ſuo filio, et tonſorem, eosque omnes accuſauit: et populus coniectis quæcumque venerunt in manum, eos necauit. Alexander vero et Ariſtobulus iuſſu patris Auguſtam ducuntur, et ibi ſtrangulantur. Corpora noctu portantur Alexandrium, vbi ſiti erant auunculus, et multi ex maioribus eorum.

FLA-

FLAVII IOSEPHI ANTIQVITATVM IVDAICARVM LIB. DECIMVS SEPTIMVS.

CAPVT I.

Antipatri Herodis filii malitia.

POST hæc Antipater, quoniam fratres ſuſtulerat, capitaliter inuiſus fuit non ſolum genti, ſed (quod erat ei grauius) etiam militibus. Neque tamen non cum patre regnabat: et eo maiorem habebat apud eum auctoritatem, quaſi qui illos ob patris vtilitatem interfeciſſet. Et tamen patri non minus, quam filiis inſidiabatur, quippe qui regnum adfectaret: et ne ſua malitia detegeretur, timeret. Hac de cauſſa patris amicos magnis officiis demerebatur, vt eorum in ſe odium aboleret, et amicos, qui Romæ erant, grandibus donis ſibi conciliabat, et in primis Syriæ prætorem Saturninum. Idem faciebat et Saturnini fratri, et regis ſorori, quæ vni de præcipuis Herodis amicis nupſerat: eratque mirus artifex, et amorem ſimulandi, et odium diſſimulandi. Nec tamen efficere potuit, vt Salome (quæ eum iam pridem explorabat) non eum cognoſceret: quamuis frater matris Antipatri, Salomæ filiam haberet in matrimonio, eam, quæ ante nupſerat Ariſtobulo, auctore Antipatro. Nam alteram quidem habebat Calleæ filius vxorem. Salomæ vero perſuaſit Herodes, vt nuberet Alexæ: alioquin numquam ſe eam amaturum iurauit. Præterea remiſit Glaphyram Alexandri coniugem, ad Archelaum patrem, eique dotem de ſuo reſtituit, vt omnem litem euitaret. Suos vero nepotes alebat accuratiſſime (ſuſtulerat enim Alexander ex Glaphyra duos mares, et Ariſtobulus ex Bernica Salomæ filia, tres filios, et duas filias) ſpoſponditque in matrimonium, vbi adoleuiſſent, Alexandri filio grandiori, Pheroræ filiam: Ariſtobuli autem filio item grandiori, Antipatri filiam: Ariſtobuli autem filiam vnam Antipatri filio, alteram Herodi filio ſuo, quem ex pontificis filia ſuſtulerat. Hæc ſponſalia faciebat rex pupillorum miſericordia, vt eis conciliaret amorem Antipatri. Sed veritus Antipater, ne hac ratione regnum ſibi de manibus elaberetur, extorſit a patre, vt ea ſponſalia diſſolueret, duxitque Antipater Ariſtobuli filiam, Antipatri vero filius Pheroræ filiam. Habebat eo tempore rex vxores nouem, videlicet, Antipatri matrem, et pontificis filiam, et fratris ſui filiam, et alteram ſororis ſuæ filiam, quæ duæ liberos non habuerunt. Habuit et Samaritanam vnam, ex qua filios duos procreauit, Antipam, et Archelaum: et filiam nomine Olympiadem, quæ poſtea Ioſepho nupſit, regis fratris filio. Habuit et ex vxore Cleopatra Hieroſolymitana, Herodem, et Philippum, qui Philippus etiam Romæ commoratus eſt: itemque Palladem habuit, quæ ei filium nomine Phaſaelum peperit. Præter illas habuit Phædram et Elpim, ex quibus duas filias ſuſtulit, Roxanen et Salomen: filias autem ſuas grandiores, Alexandri ſorores ex matre, quas ducere Pheroras recuſarat, elocauit, alteram Antipatro ſororis ſuæ filio, alteram Phaſaelo fratris ſui filio.

CAPVT II.

De Zamari Iudæo Babylonio.

EO tempore vt ſe aduerſus Trachonitas muniret, ſtatuit Iudæorum vicum vrbis magnitudine in media Trachone condere, qui et finibus ſuis eſſet præſidio, et vnde in hoſtes repentinas excurſiones faceret. Intellexit

tellexit autem Iudæum quemdam Babylonium, nomine Zamarim, cum quingentis equitibus (qui omnes eſſent ex equo ſagittarii) et cognatorum multitudine circiter centum, Euphrate forte traiecto degere in Antiochia, quæ eſt ad Daphnen Syriæ: eique Saturninum (qui tum prætor erat) locum dediſſe ad habitandum, nomine Valatha. Hunc igitur, eiusque comites arceſſiuit, pollicitus ſeſe ei terram daturum in præfectura Batanæa, quæ Trachonitidi confinis eſt, vt id hoſtibus propugnaculum obiiceret: promiſitque tam agris quam hominibus, omnium tributorum et vectigalium immunitatem. Hanc conditionem accepit Iudæus, terramque occupauit, et in ea caſtella ædificauit, et vicum, quem Bathyram nuncupauit: eratque eis vir præſidio, tum incolis aduerſum Trachonitas, tum Iudæis, qui ex Babylonia Hieroſolymam veniebant ob ſacrificia, eos a Trachonitarum latrociniis prohibendo. Ac multi vndique Iudæi ad eum ſe receperunt: et facta eſt ea regio valde populoſa, propter immunitatem, quæ eis Herode viuente manſit.

CAPVT III.

Antipatri in Herodem inſidiæ.

IN eo rerum Herodis ſtatu, quem dixi, Antipater tantum apud eum valuit, vt omnia in eum ſpectarent, ab omnibusque timeretur, non tam propter vires ſuas (quæ erant ſane magnæ) quam propter verſutam malitiam. Præcipue vero eum colebat Pheroras, et ipſe viciſſim Pheroram, quem inſtructis in eum feminis callidiſſime irretiuerat. Erat enim Pheroras vxori ſuæ et ſocrui obnoxius, et vxoris ſorori, quamuis eas peroſus, propter iniuriam, quæ virginibus filiabus ſuis fiebat: ſed tamen ferebat, neque quidquam ſine his feminis facere poterat, quæ eum illaqueauerant: et aliæ aliis omnibus in rebus fideles erant. Itaque eis Antipater callidiſſime obrepſerat, tum per ſeipſum, tum per matrem. Eadem enim dicebant hæ quatuor feminæ. Sed exorta eſt inter Pheroram et Antipatrum diſſenſio ob nullius momenti cauſſas, regis ſorore eos diſſociante. Ea enim iampridem rem totam explorabat, et quum eorum concordiam Herodi detrimentoſam eſſe ſciret, ei indicabat. Itaque illi quum ſuam concordiam regi non placere cognoſcerent, cogitarunt palam non conuenire, ſed mutua interdum odia et conuicia ſimulare, præſertim præſente Herode, aut quopiam, qui id ei dicturus eſſet: verum ſecreto erant coniunctiores, quam vmquam antea. Sed Salome, quæ eorum inſtitutum facile animaduertebat, omnia perueſtigabat, et fratri etiam in deterius aucta renuntiabat: qui et ipſe per ſe magnam iam partem ſciebat, ſed nihil audebat, quoniam ſuſpectos habebat ſermones ſororis. Erat eorum Iudæorum quoddam genus, qui legis accuratam cognitionem profitebantur, et de ea ferociebant: quibus diuinitatem ſimulantibus, addictæ erant feminæ. Ii Phariſæi vocantur, homines, qui maxime regibus poſſunt reſiſtere, cauti et ad aperte bellandum lædendumque prompti. Et quidem quum vniuerſa Iudæorum natio in Cæſaris regisque verba iuraſſet, ii non iurarunt, quum eſſent ſupra ſex millia. Quam ob cauſſam rex eis multam impoſuit: ſed Pheroræ coniunx ſoluit pro eis. Pro quo beneficio, vt ei gratiam referrent (credebantur autem futura ſcire diuinitus) fore prædixerunt, vt Herodes, eiusque progenies, diuino decreto imperium amitterent, idque ad eam et ad Pheroram eorumque liberos deferretur. Hæc nuntiauit Salome regi, et aulicorum nonnullos ab eis corruptos dixit. Hanc ob rem Phariſæorum nocentiſſimos rex interfecit, et Bagoam ſpadonem,

donem, et Carum regis puſionem, eo tempore pulchritudinis primas tenentem. Necauit etiam ex ſua familia omnes, qui cum Phariſæorum dictis conſenſerant. Fuerat autem per eos elatus Bagoas, quod dicerent, eum patrem beneficiumque appellatum iri eius, qui ex eorum prædictione creandus rex eſſet: habiturum enim eum regem omnium rerum poteſtatem, et Bagoæ vires conciliaturum cum muliere congrediendi, proprioſque liberos gignendi. Igitur Herodes, ſumto de conuictis Phariſæis ſupplicio, conuocatis amicis, vxorem Pheroræ accuſauit: et Pheroræ iuſſit, vt eam repudiaret, ſi regis frater et amicus eſſe vellet. Pheroras enimuero reſpondit, ſe neque eius fratrem eſſe deſiturum, et tamen vxorem amaturum: morique malle, quam amiſſa vxore dilecta viuere. Eam rem tulit Herodes, vt potuit: Antipatroque et eius matri interdixit, ne cum Pherora colloquerentur: vtque daret operam Antipater, ne feminæ conuenirent. Id quod illi promiſerunt: ſed nihilominus conueniebant interdum, ſimulque conuiuia agitabant, videlicet Pheroras et Antipater. Quinetiam rumor erat, habere Antipatrum cum Pheroræ vxore conſuetudinem, Antipatri matre lenocinante.

CAPVT IIII.

Herodes Antipatrum mittit ad Cæſarem.

ANtipater vero patrem ſuſpectum habens, et ne eius in ſe odium longius progrederetur metuens, ſcripſit ad amicos ſuos Romæ degentes, Herodi ſignificarent, vt Antipatrum primo quoque tempore mitteret ad Cæſarem. Id quod ille fecit, eumque magnis cum muneribus miſit, necnon teſtamentum ſuum: in quo ſtatuebat, vt poſt mortem ſuam regnaret Antipater, aut (ſi prius moreretur Antipater) regnaret filius ſuus Herodes, quem habebat ex pontificis filia. Iuit autem vna cum Antipatro Syllæus Arabs, quum quidem nihil feciſſet, eorum, quæ ei Cæſar imperauerat: eumque poſtulauit apud Cæſarem Antipater eorumdem criminum, quorum ante fuerat poſtulatus a Nicolao. Aretas quoque eum inſimulabat interfectorem Petræ, iniuſſo ſuo, multorum, et quidem primariorum virorum: et potiſſimum Soemi, hominis iuſtiſſimi, et Fabati Cæſaris ſerui. Igitur accuſatus eſt Syllæus criminis quod iam dicam. Habebat Herodes ſatellitem nomine Corinthum, cui ſummopere fidebat: huic Corintho dedit Syllæus pecuniam grandem, vt Herodem occideret: id quod ille ſuſcepit. Hoc vbi ipſius Syllæi indicio reſciuit Fabatus, regi ſignificauit: et rex Corinthum comprehendi iuſſit, et ab eo quæſtione totius criminis confeſſionem expreſſit. Curauit etiam comprehendendos Arabas duos, a Corintho indicatos, quorum alter præfectus, alter Syllæi amicus erat: qui et ipſi quæſtionem de eis habente rege, confeſſi ſunt, ſeſe Corinthum cohortatos fuiſſe, promittentes, ſi res poſtularet, ei operam ſuam ad eam cædem perpetrandam. Hæc omnia quum expoſuiſſet Herodes Saturnino, miſit eos Romam Saturninus.

CAPVT V.

Pheroræ obitus.

PHeroram vero in coniugis amore obſtinate perſeuerantem iuſſit Herodes in ſuam regionem diſcedere, id quod ille fecit libenter: et ſancte iurauit, non ſe prius rediturum, quam Herodem obiiſſe intel lexiſ-

lexiſſet. Itaque poſtea quum ægrotans Herodes eum orandum curaſſet, vt ad ſe veniret, quod ei ante mortem ſuam vellet aliquid coram mandare, noluit, vt iusiurandum ſeruaret. Neque tamen ea res Herodem auertit, quo minus ægrotantem poſtea Pheroram adiret, etiam non vocatus: mortuumque curaret in feretro reponendum, et Hieroſolymam ad ſepulturam portandum, magnoque luctu proſequendum.

CAPVT VI.

Pheroræ vxor accuſatur occiſi veneno mariti, et Herodes Antipatri cognoſcit inſidias.

POſt obitum Pheroræ, Taphnitæ duo eius liberti, quos habuerat in pretio, Herodem adeunt, eique demonſtrant: non debere pati, vt eius frater ita miſere et infeliciter mortuus eſſet, quin de eo quæſtio haberetur. His auſcultante rege (videbantur enim vera dicere) dicunt illum pridie quam ægrotaſſet, cœnauiſſe domi vxoris ſuæ: comeſoque pharmaco, quod ei in ferculo inſolito appoſitum fuiſſet, inde interiiſſe: idque pharmacum adlatum fuiſſe a quadam muliere Arabica, amatorii nomine: ſed reipſa, ad Pheroram veneno tollendum. Sunt autem Arabicæ mulieres veneficæ maximæ: et quæ tum inſimulabatur, eam conſtabat amicæ Syllæi eſſe amiciſſimam, eamque ad venenum comparandum adiuerant mater, et ſoror vxoris Pheroræ, et in reditu adduxerant, vno die ante illam cœnam. His verbis incenſus rex, feminarum ſeruas torſit, et nonnullas liberas: quumque nulla confiteretur, tandem vna dixit nihil aliud, niſi ſe Deum precari, vt talibus implicaret cruciatibus matrem Antipatri, quæ illorum omnium malorum cauſſa eſſet. Hæc in cauſſa fuerunt, vt Herodes feminarum cruciatus adeo intenderit, vt omnia extorqueret, conuiuia, clandeſtinos conuentus, atque etiam verba quædam, quæ Herodes ſoli dixerat Antipatro, et Antipater ea Pheroræ mulieribus enuntiauerat: videlicet Herodem Antipatro dediſſe talenta centum, vt a Pheroræ colloquiis abſtineret. Detectum eſt et Antipatri odium in patrem, et apud matrem querimoniæ de tam longa patris vita, vt ipſe iam conſeneſceret Antipater, vt etiam ſi regnum adipiſceretur, numquam eo tantum delectaretur. Eſſe etiam multos tum fratres, tum fratrum filios, qui vna ſecum in ſpem regni nutrirentur, quæ res ſpes ſibi dubias redderet: quandoquidem iam nunc, ſi quid fatale ſibi accidiſſet, fratrem ſuum, non filium, ab Herode regem conſtitui. Conquerebatur etiam de atroci regis crudelitate, et filiorum cæde: quorum malorum motu ipſe ſibi Romam proficiſcendum prudenter excogitaſſet, Pheroras autem in ſuam tetrarchiam. Conueniebant hæc cum Salomæ dictis: et rex vt ſe magis confirmaret, conferebat cum his Antipatri malitiam. Itaque Antipatri matrem Doridem omni ornatu, qui erat multorum talentorum, ſpoliatam dimiſit, et feminarum Pheroræ amicitiæ renuntiauit. Sed inter alia exſtitit res quædam, quæ regem in filium maxime exacerbauit: videlicet Samaritanus quidam nomine Antipater, ipſius Antipatri regis filii procurator, qui inter cruciatus dixit et alia, et hæc in primis: paratum ab Antipatro mortiferum venenum, quod Pheroræ dediſſet, eique mandaſſet vt abſente ſe (quo longe ab omni ſuſpicione abeſſet) id patri porrigeret, adlatumque fuiſſe id venenum ex Aegypto per Antiphilum, vnum de amicis Antipatri, et Pheroræ miſſum per Theudionem, fratrem matris eiusdem Antipatri: atque ita perueniſſe ad vxorem

rem Pheroræ, cui ſeruandum Pheroras tradidiſſet. Hac de re interrogauit rex vxorem Pheroræ, idque illa confeſſa eſt: et dum venenum curſu petit, ſeipſam de tecto præcipitat: ſed in pedes delapſa, non interiit. Rex vero eam curauit, eique et omnibus domeſticis veniam promiſit, dummodo nihil de veritate celaret. Itaque illa iurauit, ſeſe rem omnem, vti geſta eſſet, dicturam: id quod fecit, vt multi dixerunt. Apportatum eſt venenum, inquit, ex Aegypto per Antiphilum, qui id ſui cuiusdam fratris medici opera habuerat: idque pertulit ad nos Theudion, et mihi Pheroras tradidit, paratum ab Antipatro aduerſum te. Sed quum ægrotaret Pheroras, et tu ad eum curandum veniſſes, ipſe animaduerſo tuo in ſe ſtudio, fractus animo, me euocat, et, O vxor, inquit, circumuenit Antipater me, dum in ſuum ipſius patrem, eumdemque meum fratrem, mortiferam mentem comparat, et venenum, quod menti ſubſeruiat. Quare poſtquam meus frater facile oſtendit, nihil ſe de priſtina ſua erga me virtute diminuere, et ego non diu ſuperſtitem fore me ſpero, age, ne parricidiali animo maiores meos impiem, adfer venenum, et ſpectante me combure. Id quod ego citra cunctationem feci: niſi quod paullulum ex eo reſeruaui, vt ſi poſt obitum Pheroræ tu me inclementius tractares, eo ſumto miſeria me leuarem. His dictis, alabaſtrum venenumque in medium protulit. Accuſata eſt et pontificis filia, regis vxor, quæ hæc omnia ſciuiſſet, et celare voluiſſet. Hanc ob cauſſam repudiauit eam Herodes, eiusque filium de teſtamento ſuo (in quo ille ſecundum ſe rex inſtituebatur) expunxit, et ſocerum ſuum Simonem Boethi filium pontificatu abdicauit, et eum honorem ad Matthiam Teophili filium, natu Hieroſolymitanum, detulit. Dum hæc fiunt, venit Roma Bathyllus Antipatri libertus: et quæſtione habita, deprehenſus eſt venenum adferre, quod Antipatri matri, et Pheroræ traderet, vt ſi prius in regem vires non habuiſſet, eum illo tollerent. Venerunt et Roma litteræ ab Herodis amicis, rogatu Antipatri, in quibus inſimulabantur Archelaus, et Philippus, quod patrem ob interemtos Alexandrum et Ariſtobulum vituperaſſent, eorumque miſereſcerent: ſeque iam a patre non aliam ob cauſſam arceſſi dicerent, quam vt ab illo ſimiliter necarentur: obtinueratque ab amicis Antipater magnis largitionibus, vt ſibi ad hæc operam ſuam commodarent. Quin ipſe de illis ad patrem ſcripſit, atrocibus eos onerans criminibus: et ſub finem, iuuenes eſſe, eorumque verba ætati tribuenda dicens. Se quidem in ſyllæano negotio laborare, et colendis primoribus incumbere, ſplendidumque ornatum ducentis talentis comparaſſe. Quamuis autem ſeptimum iam menſem tam multa aduerſus eum mouerentur in Iudæa, erat tamen omnium ignarus, quoniam diligenter itinera cuſtodiebantur: quoniamque tantum erat omnium in eum odium, vt admonere dignaretur nemo.

CAPVT VII.

Antipater capitis damnatur, et in cuſtodiam datur.

Herodes vero, quum ei ſcripſiſſet Antipater, ſeſe breui omnibus rite confectis venturum, reſcripſit, re diſſimulata, ne diu moraretur in itinere, ne quid ſibi eo abſente incommodi accideret: ſimulque leuiter conquerebatur de eius matre, promittens ſeſe, poſtquam ille veniſſet, querelas illas miſſum facturum: atque omnibus modis amorem in illum præ ſe ferebat, ne quid ille ſuſpicaretur. Has litteras accepit Antipater in Cili-

Cilicia, quum quidem prius Tarenti eas accepiſſet, quæ Pheroræ obitum declarabant: quem quidem obitum doluit, non Pheroræ amore, ſed quia mortuus eſſet non interfecto patre, quod ſe facturum ſuſceperat. Vbi ad Celenderim in Ciliciam venit, dubitare cœpit, vtrum in patriam ire deberet, matris eiectionem ferens iniquiſſime. Amicorum vero ſuadebant alii, vt exitum expectaret, alii vt ſine mora diſcederet: aduentu enim ſuo crimen matris omne ſoluturum: at nunc vna eius abſentia confirmatos eſſe delatores. Id quod ille fecit, et ad portum Auguſtum appulit, vbi ei obuiam prodiit nemo, ſalutauit nemo, vt in eius diſceſſu factum fuerat, quum quidem ei fauſta omnia comprecati fuiſſent: quin contra, eum exſecrabantur, putantes venire ad dandas de nece fratrum pœnas. Erat eo tempore Hieroſolymis Varus Quinctilius, miſſus Saturnino ſucceſſor ad gubernandam Syriam: veneratque Herodis rogatu, vt ei ſuper præſentibus negotiis conſilium daret. His concilium habentibus, ſuperuenit Antipater, ignarus totius negotii, et in palatium purpuratus adhuc intrat: eum ianitores ingredi ſinunt, et amicos excludunt. Tum vero ille manifeſte turbari: quum enim vellet ad patrem accedere, repulit eum pater, ei fratrum necem perpetratam, et patris tentatam exprobrans: ac poſtridie Varum auditurum, et de toto negotio iudicaturum dicens. His dictis, occurrit Antipater matri et vxori, Antigoni filiæ, eius qui ante Herodem regnauerat in Iudæa, quæ ei rem omnem retulerunt: itaque ille ſe ad cauſſæ ſuæ defenſionem præparauit. Poſtero die conſederunt in concilio Varus, et rex, aduocatis eo vtriuſque amicis, regiſque conſanguineis, et eiuſdem ſorore Saloma, et iis, qui crimen aliquod indicaturi erant, et iis, de quibus fuerat habita quæſtio, et matris Antipatri ſeruis, qui paullo ante eius aduentum comprehenſi fuerant, litteras ferentes, quarum ſumma hæc erat: ne reueniret, patrem enim de tota re certiorem eſſe factum: iamque Antipatro hoc vnum ſupereſſe perfugium, vt ad Cæſarem ſe reciperet, neue patris in manus veniret. Antipater vero ſeſe patris ad pedes abiicit, oratque vt dum cauſſam ſuam defendit, audiatur: et Herodes eo in medio collocari iuſſo, de filiis ſuis conqueri adgreditur, per quos tot infortunia perpeſſus, in ſenectute incidiſſet in improbitatem Antipatri. Deinde cœpit accuſare: atque vbi in duorum filiorum mentionem incidit, quos impulſore Antipatro peremerat, adeo flere cœpit, vt amplius loqui non poſſet, Nicolaumque oraret (qui regis amicus, et in adminiſtrandis omnibus negotiis ſocius erat, totamque rem vt geſta foret ſciebat) vt reliqua perſequeretur, quæ ad accuſandum coarguendumque pertinerent. Hic Antipater cauſſam ſuam defendere exorſus, ita rem colorauit, itaque probabiliter egit, ſeſe etiam in quæſtionem offerens, vt conſilium commouerit. Miſerebat enim eos valde Antipatri, qui obſoleto vultu magnam vim lacrimarum profundebat, adeo vt eius etiam aduerſarii miſericordia commouerentur, ipſumque Herodem iam flecti appareret, licet id animaduerti nollet. Sed excepit orationem Nicolaus, et Antipatrum vehementer acriterque accuſauit, ac manifeſte conuicit tum argumentis, tum multis teſtimoniis, quorum alia erant præparata, alia ex tempore fuerunt oblata. Poſtquam enim animaduerſum eſt, Antipatrum accuſare ſine periculo licere, cœperunt pro ſe quiſque ea proferre quæ ſcirent, ſuntque eius mille artes, mille inſidiæ detectæ, adeo vt Antipater, quamuis impudens, tamen contradicere non auderet. Poſtquam Nicolaus finem fecit, iuſſit Antipatro Varus, vt cauſſam ſuam, ſi poſſet, defenderet: cupere ſe, eiuſque patrem, vt innocens reperiretur. Antipater vero pronus humi iacens, nihil aliud niſi Deum obſecrabat, vt teſtari aut manifeſtis ſignis vellet oſtendere, ſe nihil aduerſus patrem molitum

fuiſ-

fuiſſe: Deumque teſtabatur, ſeſe diuinitus fuiſſe conſeruatum, dum alia atque alia pro patre facit. Varus vero rem infinitam eſſe videns, venenum coram omnibus proferri iuſſit, et cuidam capitis damnato propinari: qui eo confeſtim exſtinctus eſt. Tunc ille ſurgit, et e concilio diſcedit: poſtridie Antiochiam proficiſcitur, vbi plurimum commorari ſolebat, quoniam id Syrorum palatium eſt. Herodes vero filium protinus conſtringendum curauit: neque ſciebatur, quid cum eo locutus Varus fuiſſet, niſi quod opinabantur multi, eum Vari conſilio obtemperaturum. Eo vincto, miſit de eo litteras Romam ad Cæſarem, et vna homines, qui eum verbis de Antipatri malitia docerent. Per eos dies interceptæ ſunt binæ litteræ, ex Aegypto per Antiphilum ſcriptæ ad Antipatrum, quarum in alteris ſic continebatur: Mitto tibi Acmæ litteras, mei capitis periculo: ſcis enim mihi rurſus a duabus familiis imminere periculum, ſi deprehendor. Opto tibi in iſto negotio ſucceſſum. In alteris ita ſcriptum erat: Acme Antipatro. Scripſi ad tuum patrem quales volebas litteras, eique exemplum mitto fictarum Salomæ litterarum ad Dominam, quibus lectis ſcio ſumturum de Saloma, tamquam inſidiatrice ſupplicium. Fuerant autem litteræ hæ, quæ Salomæ ad Acmæ dominam eſſe videbantur, compoſitæ ab Antipatro, Salomæ nomen et ſtilum ementito. Ad Herodem autem litteræ ſic habebant: Acme regi Herodi. Ego dans operam, vt nihil te lateat eorum quæ contra te fiant, nacta Salomæ epiſtolam ad dominam meam contra te ſcriptam, eam mihi periculoſe, ſed tibi vtiliter exſcripſi, et tibi miſi. Hanc illa ſcripſit volens nubere Syllæo. Igitur litteras conſcinde, ne ego de vita pericliter. Erat autem Acme Iudæa, Iuliæ Cæſaris vxoris ſerua: idque faciebat in Antipatri gratiam, qui eam grandi pecunia corruperat. Itaque Herodes ſingulari Antipatri malitia ſtupefactus, parum abſuit quin eum eueſtigio necaret, inſtigante inſuper Saloma. Sed tamen eum euocauit, et interrogauit, iuſſitque vt ſine vlla diſſimulatione diceret, ſi quid contra haberet. Atque illo obmuteſcente, petiit, vt poſtquam vndiquaque mutus reperiretur, ſaltem ſuos in his ſceleribus adiutores nominaret. Ille vero Antiphilum omnium auctorem eſſe dixit, neque quemquam alium nominauit. Et Herodes eum in cuſtodia, vt ante, habuit, iterumque legatum miſit ad Cæſarem, et litteras contra filium et contra Acmen, vna cum earum quæ ſupra poſitæ ſunt litterarum exemplo.

CAPVT VIII.

Herodis morbus et ætas, et Iudæorum ſeditio.

DEinde in morbum lapſus, teſtamentum fecit, in quo filiorum ſuorum natu minimo regnum dabat, ob odium quo tum Archelaum et Philippum ob Antipatri calumnias proſequebatur. Donauit et Cæſari mille talenta, et Iuliæ Cæſaris vxori, et Cæſaris filiis, et amicis, et libertis, quingenta. Legauit et ſuis filiis pecuniam, et penſiones, et agros, itemque nepotibus, Salomamque ſororem ſuam multum ditauit. Et quoniam ex eo morbo conualiturum ſe non ſperabat, quippe iam ſeptuaginta circiter annos natus, euaſit crudelis et ferus in omnes: quoniam contemni ſe, gentemque ſuo malo delectari putabat: adde quod exſtiterunt quidam plebeii, qui in eum conſurrexerunt ob huiusmodi cauſſam. Erant Iudas Sariphæi, et Matthias Margulothi F. Iudæorum eloquen-

quentiſſimi, et legis interpretes præſtantiſſimi, populoque cariſſimi, quoniam iuuentutem docerent. Qui enim virtuti comparandæ ſtudebant, eos quotidie frequentabant. Hi duo audientes regis morbum eſſe inſanabilem, ſpargere cœperunt, id ei malum (vt et cetera infortunia) non aliunde proficiſci, quam quod Dei præcepta violaſſet: ac magnopere ad Dei laudem et religionem pertinere, vt quidquid ille contra legem feciſſet aboleretur, quicumque tandem caſus ſecuturus eſſet. Fecerat autem rex ſuper maiorem portam templi, ingentem et magni pretii aquilam: hanc legis ſtudio deturbandam eſſe dictitabant illi magiſtri: quod ſi ob eam rem amittenda vita foret, paruam eſſe iacturam, qua ſempiterna laus compararetur. Dum illi his et aliis ſermonibus iuuentutem incitant, nuntiatur obiiſſe regem: itaque illi meridie aquilam demolitum vadunt, et eam ſecuribus diſcindunt, ſpectantibus multis qui erant in templo. Hoc vbi regis prætori nuntiatum eſt, ſuſpicatus maiorem aliquam rem tentari, eo cum magna manu proficiſcitur: et inopinantes adgreſſus, aliis alio fuga dilapſis, cepit ad quadraginta iuuenes, qui eum animoſe exſpectarant, vna cum duobus præceptoribus, eosque ad regem perduxit. Atque illi interroganti regi, an quod ipſe erexiſſet, id deiicere auſi fuiſſent? libere reſponderunt, et feciſſe, et recte feciſſe, vt contra decreta regis legem tuerentur, quam Moſes Dei iuſſu ſcripſiſſet, ſeque ob eam rem mori non recuſare. Tum rex colligatos Hierichuntem mittit. Deinde Iudæorum primos euocat, et in eorum medium lectica delatus (quoniam ſtare non poſſet) narrat quantos eorum cauſſa labores pertuliſſet, vtque templum magnis ſuis ſumtibus exſtruxiſſet, cum Aſamonæi nati centum vigintiquinque annis (quibus regnaſſent) nullum vmquam tale opus ad Dei honorem facere potuiſſent: idque præcellentibus donariis ornaſſet, pro quibus ſe etiam poſt mortem celebratum et collaudatum iri ſperaſſet. Hic vero clamare cœpit, eos ne viuente quidem a contumeliis abſtinere, quin luce palam audere ſuis donariis manus admoliri, eaque deturbare, per ſimulationem eum offendendi, ſed reipſa (ſi res diligenter perpenderetur) id eſſe ſacrilegium. Illi eius crudelitatis metu, negarunt id factum eſſe de ipſorum ſententia, ac ſibi videri facinus vindicandum. Herodes vero in alios ſatis leniter ſe geſſit: ſed Matthiam pontificem honore, vt earum rerum nonnulla ex parte auctorem, abdicauit, et Iozarum vxoris eiusdem Matthiæ fratrem pontificem creauit. Huius Matthiæ pontificatu accidit, vt alius crearetur pontifex in diem ieiunii, ob huiusmodi cauſſam. Is Matthias ea nocte, quæ ieiunii diem anteceſſit, viſus eſt ſibi ſecundum quietem rem habere cum muliere: quam ob cauſſam cum rem diuinam facere non poſſet, ei vicariam operam præſtitit Ioſephus Ellemi filius, eius conſanguineus. Igitur hunc Matthiam Herodes munus deponere coegit: alterum vero Matthiam, qui ſeditionis auctor exſtiterat, et eius ſociorum nonnullos, viuos igni cremauit. Eadem nocte fuit lunæ defectio, et Herodis morbus incruduit. Ignis erat, qui eum lente vrebat, nec extrinſecus tactu tantum ardorem præbebat, quantum intus dolorem. Excernendi erat incredibilis appetentia, cui obtemperare neceſſe eſſet: inde inteſtinorum exulceratio, et ſæua tormina. Pedes occupauerat liquida pellucensque pituita, inguinibus ſimili malo laborantibus, putredine quæ vermes gigneret, virilia rodente, neque ſpirare niſi erectus poterat, ſpiritu fœtido, crebro atque breui, diſtenſis totius corporis membris. Itaque vulgo dictitabatur, pœnas eſſe diuinas. Et tamen in his cruciatibus ſanitatem ſperabat, medicos arceſſebat, et eorum conſiliis per omnia obtem-

pera-

perabat: ac traiecto Iordane, in thermis Calliroæ lauit: quæ aqua præter ceteras tot dotes, etiam in potione vſum habet. Ibi medicis viſum eſt, eum refouendi cauſſa in ſolium olei plenum demittere, quo facto viſus eſt mortuus: ſed famulis ploratum edentibus, reſipuit: ac de ſalute ſua deſperans, militibus quinquagenas drachmas donauit, et ducibus amicisque multa largitus eſt: atque iterum Hierichuntem venit, vbi atra bile ſic exacerbatus eſt, vt ad extremum hoc excogitauerit. Euocauit ad ſe totius Iudaicæ gentis primarios omnes, vbicumque degerent (quæ fuit ingens ſane multitudo, quippe quos ſub pœna capitis venire iuſſiſſet, homo in omnes ſiue inſontes ſiue ſontes furioſus) eosque in circo concluſit: deinde arceſſitam ſororem ſuam Salomam, eiusque virum Alexam, ſic adloquitur: Video equidem (eos ſentio dolores) me iamiam eſſe moriturum, quæ res tolerabilis et omnibus optanda eſt. Sed ſine vllo mei deſiderio aut ploratu, qui rege dignus ſit, mori, hoc vero meum animum vrit. Video enim Iudæos nihil tam cupere, quam mortem meam, qui viuente me rebellare auſi ſint, et meo donario contumeliam facere. Nunc veſtri officii eſt, vt ad me hoc dolore ſubleuandum conſentiatis. Si enim mecum ſentire voletis, iuſta mihi ſplendida, et longe alia, quam regibus ſolent, perſoluentur, ſerioque per vniuerſam nationem luctu condecorabor: alioquin non niſi per ludum iocumque deplorandus. Quare vbi me animam egiſſe videbitis, collocatote per circi circuitum milites, meæ mortis adhuc ignaros (neque enim eam, niſi hoc perfecto, indicabitis) eisque vt omnes ibi concluſos miſſilibus conſigant, imperatote. Ita me bifariam delectabitis, dum et ipſi voluntatem meam exſequemini, et ego digno luctu cohoneſtabor. Hæc ille eis mandauit, plorans miſerabiliter: et eos per amorem conſanguinitatis, perque fidem, quam Deo deberent, obteſtans, ne ſibi honorem hunc denegarent: id quod illi ei promiſerunt.

CAPVT IX.

Antipatri mors.

INterim adueniunt Roma litteræ a legatis, quos ad Cæſarem miſerat: in quibus ſignificabatur, Cæſarem de Acma ſupplicium ſumſiſſe, et Herodi in Antipatrum ſummam poteſtatem permittere: qua re lætatus Herodes, aliquanto melius habuit. Deinde ſæuo dolore correptus, malum popoſcit et cultellum, ſolitus alioquin mala decorticare, et fruſtatim comeſſe. Vbi id habuit, circumſpexit, et ſeipſum ferire voluit. Verum eius ſobrinus Achiabus manum ei prehendit, magnumque clamorem edidit: vnde tantus repente in regia vlulatus et tumultus coortus eſt, quantus ſi mortuus rex fuiſſet. Et Antipater patrem vere mortuum credens, cœpit confidenter, quaſi iam ſoluendus, et rex nullo negotio futurus, loqui, cumque cuſtode carceris de miſſione agere, multa ei tum in præſens tum in futurum promittens. Sed id cuſtos regi nuntiatum iuit: et rex cum exclamatione caput ſibi, quamuis in extremis eſſet, percuſſit, et cubito innixus imperat, miſſo quodam ſatellite, vt e veſtigio, ſine vlla cunctatione, Antipater interficiatur, et in Hyrcania ignobili funere ſepeliatur.

CAPVT X.

Herodis deceſſus et teſtamentum.

ITerumque teſtamentum ſuum mutauit, et Antipam (cui regnum reliquerat) Galilææ Peræęque tetrarcham conſtituit, regnum Archelao dedit: Gaulonitidem autem, et Trachonitidem, et Batanæam, et Panniadem, Philippo filio ſuo, Archelai fratri, tetrarchiam attribuit: et Salomæ ſorori ſuæ Iamniam, Azotum, et Phaſaelidem legauit. Taceo argentum et alia, quæ tum ipſi Salomæ, tum ſuis conſanguineis, et Cæſari, et Cæſaris vxori Iuliæ, et aliis reliquit. His factis, quinto poſt occiſum Antipatrum die vitam finiuit. Regnauit poſt interfectum Antigonum, annos triginta quinque: poſtquam autem a Romanis rex creatus fuit, triginta ſeptem. Ante diuulgatam eius mortem, Salome et Alexas concluſos in circo domum dimiſerunt, dicentes regem iubere vt diſcederent, et domi ſe tenerent. Deinde cognita iam regis morte, milites in Hierichuntis theatro coegerunt, et primum ſcriptas ad milites litteras legerunt, in quibus rex eis, ob fidem et gratum erga ſe animum, gratias agebat, et vt idem Archelao filio ſuo, quem regem inſtituiſſet, præſtarent, orabat. Deinde Ptolemæus, cui creditum erat regis ſigillum, teſtamentum recitauit, quod ratum eſſe non poterat, niſi prius inſpectum a Cæſare. Ac ſubito clamor exſtitit in honorem Archelai, eique milites gregatim, nec non duces, eamdem quam patri præſtitiſſent, amicitiam beneuolentiamque promiſerunt, Deumque ei ſecundum exoptarunt. Deinde Archelaus regem ſplendidiſſime curauit efferendum. Eo facto, in templum adſcendit, omnibus eum quaqua tranſibat, fauſtis ominibus certatim proſequentibus. Ipſe conſcenſo ſuggeſtu ſublimis in aurea ſella reſidens, populum mutua comitate proſequitur, eisque gratias agit, quod paternarum in ipſos iniuriarum memoriam depoſuiſſent, ſeque memorem fore pollicetur. In præſentia quidem regio nomine ſe abſtinere, quoniam teſtamentum Cæſar nondum confirmaſſet: quam ob cauſſam ipſe ſibi Hierichunte diadema a militibus imponi non permiſiſſet. Verum ſi fuerit adeptus imperium, daturum operam, vt eis ſatisfaciat, et in omnibus elaboraturum, vt ſit erga eos patre melior. Illi eum (vt eſt plebs credula) ex animo loqui exiſtimantes, quo ſuauius et humanius ipſe eos adloquebatur, eo magis collaudabant, et ſua poſtulata ſcribebant. Alii vt ſibi vectigalia diminuerentur clamabant: alii vt vincti ſoluerentur, quos et multos et longo tempore Herodes habebat: erant qui de mancipum et publicanorum acerbitate expoſtularent: ad quæ Archelaus minime contradicebat, quippe qui multitudinis beneuolentiam captaret ad confirmationem regni ſui. Et hinc facta re diuina, ad conuiuium cum amicis ſe contulit.

CAPVT XI.

Populus ſeditionem mouet in Archelaum.

INterea exſtitere Iudæi quidam, qui Matthiæ, et eius ſociorum ab Herode ob deiectam aquilam auream occiſorum, mortem deplorarent: grauiterque de Herode conquererentur, id quod eo viuente facere non auſi fuerant. Ii congregati ab Archelao contendebant, vt id facinus in eos vindicaret, quos habuerat Herodes in pretio: vtque in primis pontificem abdicaret ab Herode conſtitutum, aliumque deligeret magis legitimum, et ad munus obeundum puriorem. Archelaus vero ad eos placandos ducem miſit. Sed

illi

illi neque ducem, neque alium quemquam, qui eos ad æquitatem perducere conaretur, neque alios item multos ab Archelao miſſos, audire volebant, ſed omnia arbitratu ſuo fieri iubebant: ſuaque iracundia facile oſtendebant, futurum aliquem magnum tumultum, quippe confluente populo, et maxime ad feſta Paſchæ, quæ in id tempus inciderunt, in quo ſeditioſi illi Iudam et Matthiam lamentantes coierunt in fano. Itaque metuens Archelaus ſeditionem, miſit eo centurionem cum cohorte militum, ad coercendos illos, et ſibi ſeditioſiſſimos quoſque adducendos. Sed illi impetu in eos facto, maximam eorum partem lapidarunt: ipſe centurio et alii pauci ſaucii effugerunt. Eo facto, illi manum iterum ſacrificio admouent. At Archelaus eo milites omnes miſit, et equites, qui eos qui foris eſſent, iis qui in templo forent, ſuccurrere prohiberent, et eos qui a peditibus euaſiſſent, exciperent. Ita occiſa ſunt ab equitibus circiter tria hominum millia: reliqui ſe in montes proximos receperunt. Et Archelaus proclamari iuſſit, vt omnes domum diſcederent: id quod illi fecerunt, et feſtum, quamuis audaces, deteriora veriti, reliquerunt. Deinde Archelaus ad mare deſcendit vna cum matre, ſecum ducens Nicolaum et Ptolemæum, multoſque amicorum, relicta totius domus et principatus cura Philippo fratri ſuo. Eum comitata eſt Herodis ſoror Salome, vna cum ſuis natis, multiſque conſanguineis, per ſpeciem adiuuandi eum ad regnum obtinendum: ſed reipſa, ad ei aduerſandum, et maxime ad conquerendum de eo, quod in templo factum fuerat. Occurrit autem Archelaus Cæſareæ Sabino, Cæſaris in Syria rerum procuratori, ad cuſtodiendam Herodis pecuniam venienti. Sed ſuperuenit arceſſitus ab Archelao Varus, qui eius iter auertit: inque Vari gratiam Sabinus Iudææ caſtella non occupauit, neque pecuniam conſignauit, ſed Archelao, donec de ea Cæſar ſtatuiſſet, reliquit: eoque promiſſo, Cæſareæ remanſit. Sed poſtquam Archelaus Romam iturus ſoluit, et Varus Antiochiam diſceſſit, Sabinus Hieroſolymam profectus, palatium occupat. Deinde arceſſitis præſidiorum præfectis, omnibuſque rerum adminiſtratoribus, demonſtrat ſe rationes exigere, et de caſtellis ſtatuit arbitratu ſuo. Tamen cuſtodes eodem in ſtatu omnia ex Archelai mandato tuebantur, per ſpeciem reſeruandi omnia Cæſari. Eo tempore Antipas quoque Herodis filius Romam ad obtinendum principatum profectus eſt, Salomæ promiſſis impulſus, ceu longe quam Archelaus dignior imperio: vtpote in priore teſtamento rex inſtitutus, quod magis ratum eſſe deberet quam poſterius. Ducebat vna ſecum matrem, et Nicolai fratrem Ptolemæum, quondam Herodi cariſſimum, et tum Antipæ ſtudioſum. Potiſſimum vero eum ad appetendum regnum impellebat Irenæus, qui orator erat, et ob eloquentiæ exiſtimationem, regni procurationem habuerat. Itaque noluit Antipas auſcultare conſulentibus vt cederet Archelao, qui et natu grandior, et vltimo patris teſtamento rex conſtitutus eſſet. Vbi Romam venit, cognati omnes eius partibus accedebant, non illi quidem eius amore, ſed Archelai odio, cupientes ante omnia liberi eſſe ſub Romani præſidis adminiſtratione: aut certe ſi quis ſe interponeret, Antipam præferentes Archelao. Hac de cauſſa Antipam regem creare conabantur, Sabino quoque Archelaum litteris apud Cæſarem accuſante. Archelaus vero litteras ad Cæſarem, quibus ius ſuum tueretur, miſit, necnon patris teſtamentum, et Ptolemæum herodianæ pecuniæ rationes ſigillumque ferentem: atque ita euentum exſpectabat. Cæſar vero poſtquam has Varique et Sabini litteras legit, et quantum pecuniarum annuique reditus eſſet, vtque Antipas regnum appetens litteras miſiſſet, cognouit, amicos conuocat, vt eorum ſententias audiat: imperatque vt qui velit, de præſen-

tibus negotiis dicat. Primus verba fecit Antipater Salomæ filius, homo in primis diſertus, et Archelai aduerſarius. Is Archelaum accuſauit, quod diadema a Cæſare peteret, quum iam regis officio functus eſſet in iis, quæ ſuperius dicta ſunt, faciendis: et maxime cædem illam quam in foro perpetrandam curaſſet accuſauit, dixitque prius Herodis teſtamentum, quod ſana mente ſcripſiſſet, debere eſſe ratum. Surrexit deinde Nicolaus, qui Archelai cauſſam egit: eiusque finita oratione, Archelaus ſeſe Cæſaris ad pedes abiecit: ſed eum Cæſar comiter adleuauit, regno digniſſimum eſſe dicens: ſeque ſatis oſtendit ſic eſſe adſectum, vt non aliter facturus eſſet, quam teſtamentum poſtularet. Verum vbi Archelaum, quia comiter acceptus eſſet, ſecurum eſſe animaduertit, nihil ſanxit. Poſtea dimiſſo concilio, diſpexit ipſe ſecum, vtrum regnum Archelao confirmare deberet, an vero id omnibus Herodis filiis communiter diuidere, quoniam omnes egerent auxilio.

CAPVT XII.

Iudæorum in Sabinum ſeditio, et vt Varus de eius auctoribus ſupplicium ſumſerit.

Antequam horum quidquam ſancitum eſſet, obiit morbo Marthace mater Archelai: veneruntque a Varo Syriæ præſide litteræ, quæ Iudæorum rebellionem declararent. Nam poſt Archelai diſceſſum, ſeditionem fecit vniuerſa natio: et Varus, qui illic aderat, in eius auctores animaduertit: ac ſeditione (quæ grauis ſane fuit) maxima ex parte compoſita, Antiochiam profectus eſt, relicta Hieroſolymis vna legione ad Iudæos reprimendos, ſi quid mouerent: ſed id fruſtra. Nam digreſſo Varo, Sabinus ibi, ceu Cæſaris procurator, manens, multum Iudæis negotii faceſſebat, ſperans eos iis copiis, quæ magnæ reſtabant, cohiberi poſſe. Circumducebat enim frequentes armatos ſatellites, per quos Iudæos premens atque turbans, rebellare cogebat. Etenim caſtellis occupandis incumbebat, et præ auaritia regias pecunias vi ſumma veſtigabat. Inſtantibus autem Quinquageſimæ feſtis, conuentum eſt Hieroſolymam non ſolum religionis gratia, ſed etiam indignatione contumeliarum Sabini: coiueruntque plurima Galilæorum et Idumæorum et Hierichuntiorum millia, et omnes transiordanini, in primisque Iudæi, qui erant omnium Sabino infenſiſſimi. Igitur in trina caſtra diviſi, Romanos, qui erant in arce, obſederunt. Itaque Sabinus Varo confeſtim per litteras ſignificauit, vt ſibi celeriter auxilium ferret: ipſe arcis excelſiſſimam turrim (ea Phaſaelus appellatur) occupat, et inde Romanis ſignum dat, vt Iudæos adoriantur: ipſe adeo timidus, vt ne ad ſuos quidem deſcendere auderet. Quumque Romani eruptionem feciſſent, commiſſum eſt acre prœlium, in quo licet ſuperiores eſſent Romani, tamen non deſpondebant Iudæi, quamuis ſuorum multos cadere viderent: quin per circuitum conſcenſis porticibus, quæ circum exterius templi ſeptum erant, ibi lapidibus qua manu qua fundis pugnare cœperunt. Item ſagittarii vniuerſi Romanis de ſuperiore loco multum nocebant: quum eſſent hi ita demiſſo loco, vt ad illos tela adigere nequirent. Poſtquam diu hunc in modum pugnatum eſt, incenſi iracundia Romani, ignem porticibus (inſciis ipſis, qui eo adſcenderant Iudæis) ſubiecerunt, quo confeſtim ad tectum euecto, exſtincti ſunt, qui illic erant. Nam alios ſecum ruina tecti trahebat, alii ab hoſtibus vndique cædebantur, multi ſe in ignem coniiciebant, alii ſeipſos gladiis ſuis occidebant. Quicumque qua adſcenderant euadere conabantur, a Romanis cæſi ſunt: itaque ne vnus quidem elapſus eſt. Romani vero per flammam,

qua

qua dabatur, irruentes, pecuniæ ſacræ theſauro potiuntur: eiusque magna parte a militibus direpta, ipſe Sabinus talenta quadringenta palam recepit. Sed Iudæi nihilo ſecius, adhibitis ſuorum fortiſſimis quibusque regiam obſidere, flammasque et extrema omnia minitari, niſi Romani celeriter exirent: ſin exirent, et ipſis et Sabino nihil nocitum iri. Regiorum vero maxima pars cum Iudæis ſeſe ad auxiliandum coniunxit. Sed Ruffus et Gratus, qui tria millia præſtantiſſimorum Herodis militum habebant, ad Romanos tranſierunt: idemque fecerunt equites quidam, quibus præerat Ruffus. Verum Iudæi nihilominus obſidionem vrgere, et cuniculos agere, atque obſeſſis clamare vt exirent, et eos qui deficiebant hortari ne ſe libertatem ſuam recuperare prohiberent. Et Sabinus quidem cum militibus exire paratus erat: ſed Iudæis fidere non poterat: adde quod a Varo exſpectabat auxilium, eamque ob rem obſidionem ſuſtinebat. Interea exſiſtebant in Iudæa mille aliæ turbæ: inter quas fuerunt duo hominum millia, qui aliquando ſub Herode meruerant: ii inter ſe conſpirarunt, et regios oppugnare cœperunt. Achiabus vero Herodis ſobrinus, eis reſiſtebat: et ex agris in edita loca compulſus (quippe ab hominibus bellicoſis) difficiles aditus inſidendo, ſeruabat, quæ poterat. Exſtitit et Iudas Ezechiæ latronum præfecti filius, eius quem magno labore Herodes oppreſſerat. Hic Iudas apud Sefforim Galilææ oppidum, coacta profligatorum hominum caterua, palatium adortus, arma omnia ibi repoſita occupauit, iisque ſuorum ſingulos armauit, et omnium ibi repertam pecuniam abſtulit, ſuique terrorem omnibus iniecit, dum regnandi cupiditate in obuios quosque ſæuit. Fuit et Simon quidam regis Herodis ſeruus, homo alioquin formoſus, et corporis magnitudine ac pulchritudine excellens. Hic Simon diadema ſibi imponere auſus, ab hominum multitudine qui conuenerant, rex ſalutatus eſt, et Hierichuntiam regiam a ſe direptam cremauit, aliasque multas regis domos in multis regionis locis incendit, conceſſa ſuis gregalibus præda. Sed ei Gratus cum ſua manu obuiam occurrit: et poſt longum prœlium, profligatis Simonianis, quippe transiordaninis, et nullo ordine, audacia magis quam arte pugnantibus, ipſe fugientem in valle Simonem nactus obtruncauit. Exſtitit etiam hominum caterua Simonis ſimilium, qui Amathæ (ea vrbs eſt ad Iordanem poſita) regiam cremarunt. Exſtitit et Athronges quidam opilio, homo procerus et robuſtus, qui regnum adfectare auſus eſt. Is quatuor fratres ſui ſimiles habebat, qui regnum ſinguli ſingulis cohortibus tuerentur. Conuenit enim ad eos ingens hominum multitudo, quibus ipſi præfecti prœlia pro Athronge faciebant. Ipſe diadema ſibi impoſuit, et de rebus gerendis concilium habuit, omniaque gerebat arbitratu ſuo: et diu in poteſtate permanſit, regio nomine, faciens quæ vellet: magnasque tum ipſe tum fratres, cædes edebant tam Romanorum, quam regiorum, vtpote vtriusque ex æquo infenſi, et ſanguine omnia complebant, partim ob quæſtum, partim ob interficiendi conſuetudinem. Hi aliquando Romanorum cohortem (qui frumentum et arma militibus ferebant) prope Emmauntem adgreſſi, ita circumdederunt, vt Arium ducem, et quadraginta eius peditum fortiſſimos, miſſilibus confixerint. Reliqui auxilio Grati, qui eis cum regiis ſuccurrit, euaſerunt. Hæc et alia multa tum Iudæis tum Romanis detrimenta longo tempore intulerunt: ac tandem tres eorum capti ſunt, videlicet natu maximus ab Archelao, reliqui duo a Grato et Ptolemæo: quartus Archelao ſe dedidit, ſed hæc poſtea facta ſunt: tum quidem Iudeam totam latrociniis repleuerunt. Varus ſimul ac Sabini litteras accepit, adſumtis reliquis duabus legionibus, quatuorque turmis equitum, omnibusque regum et tetrar-

charum et aliorum auxiliis, celeriter obſeſſis in Iudæa ſubſidio proficiſcitur: et coactis ad Ptolemaidem ſuis copiis earum partem filio, et cuidam amico tradit, eosque ad bellum Galilæis ſupra Ptolemaidem incolentibus inferendum mittit. Atque ille hoſtes prœlio adgreſſus, in fugam vertit, captoque et incenſo oppido Seffori, oppidanos vendidit. Ipſe Varus cum vniuerſo exercitu ad Samariam profectus, vrbi (quod ſeditionis culpa careret,) nihil nocuit: ſed caſtra in vico, cui nomen eſt Arus, poſuit, quem Ptolemæus ædificauerat: eumque vicum Arabes, Varo ab Areta ſubſidio miſſi, Herodis odio incenderunt, vt Ptolemæo Herodis amico dolorem facerent. Illinc digreſſi, vicum alium nomine Sampho, munitiſſimum et inſtructiſſimum diripuerunt, atque concremarunt, et in itinere omnia ferro flammaque fœdarunt. Emmaus quoque, ſed ab incolis deſerta, iuſſu Vari cremata eſt, vt iis, qui ibi fuerant occiſi, parentaret. Inde ad ipſam Hieroſolymam ducit, vbi obſeſſores Iudæi ſimulac hoſtes viderunt, fugæ ſe mandarunt, obſidione ſemiperfecta. Hieroſolymitani vero Iudæi Varo ſeſe purgarunt, demonſtrantes ob feſta coiiſſe populum, neque ſuo conſilio bellum, ſed externorum audacia ſuſceptum: ſe quidem cum Romanis magis obſeſſos fuiſſe, quam eos obſidere in animo habuiſſe. Et Ioſephus Herodis ſobrinus, et Gratus, et Ruffus cum ſuis militibus, et obſeſſi Romani, Varo ſeſe obtulerunt. At Sabinus in eius conſpectum venire non auſus, clam ab vrbe ad mare profectus eſt. Varus per regionem ſuarum copiarum partem ad conquirendos ſeditionis auctores dimiſit, et in quosdam, vt ceteris nocentiores, animaduertit, ceteros dimiſit, duobus millibus eam ob cauſſam in crucem ſublatis. Deinde milites, quod multa peccaſſent, et ſuis præceptis lucri ſtudio non obediuiſſent, exauctorauit. Quumque decem Iudæorum millia coiiiſſe intellexiſſet, eo celeriter ad eos opprimendos profectus eſt: ſed illi ad Achiabi arbitrium ſine fine prœlio ſe dediderunt. Et Varus data plebeiis venia, eorum duces omnes miſit ad Cæſarem. Cæſar reliquis ignouit: de quibusdam Herodis conſanguineis, quoniam in regem arma ſumſiſſent, ſupplicium ſumſit. His perfectis, Varus relicta Hieroſolymæ ad præſidium priore legione, Antiochiam profectus eſt. Archelaus vero Romæ nouum negotium habuit, propter huiusmodi cauſſas. Iuerant Romam conſenſu Vari Iudæorum quinquaginta legati, ad poſtulandam libertatem: quibus ſeſe Romæ adiunxerunt ſupra octo Iudæorum millia. Alterius partis erant Archelaus et eius amici. Regis vero conſanguinei, Archelai partes propterea non tuebantur, quod eum oderant: rurſumque legatis aduerſus eum fauere non audebant, ne id ſibi vitio verteretur. Philippus quoque eo venit ex Syria, impulſu Vari, maxime vt fratris partes adiuuaret: nam eum amabat Varus: aut ſi regnum diuideretur, vt partem ſuam obtineret. Igitur vbi legatis apud Cæſarem, et eius amicos, Romanosque proceres dicendi locus datus eſt, cœperunt Herodem accuſare, multisque exemplis et rationibus oſtendere, merum fuiſſe, et eum crudelem tyrannum, a quo pluribus malis adfecti fuiſſent, quam vmquam poſt Babylone reditionem pertuliſſent: idque in cauſſa fuiſſe, vt Archelaum libenter regem admiſerint, rati fieri non poſſe, vt quemquam haberent, qui non eſſet Herode tolerabilior. Sed nunc animaduertentes quale crudelitatis in ipſo ſtatim primordio ſpecimen ediderit, qui tria ſuorum popularium millia in ipſo templo die feſto necauerit, poſtulare vt regno et huiusmodi principatu liberati, Syriæ contribuantur, prætorumque Romanorum adminiſtrationi ſubiiciantur: ita perſpicuum fore, vtrum ſeditioſi-

tioſi ſint, an non ſint. Poſtquam illi hæc poſtulata propoſuerunt, ſurrexit Nicolaus, regumque cauſſam egit, et gentem vt peruicacem, et in reges contumacem accuſauit, eosque etiam de Archelai conſanguineis culpauit, qui fauerent accuſatoribus.

CAPVT XIII.

Cæſar Herodis teſtamentum ſancit, cuſtodita eius filiis ſucceſſione.

CAeſar aliquot poſt diebus, quam hæc audiuit, Archelaum inſtituit, non regem, ſed dimidiæ regionis Herodianæ rectorem: pollicitus regii nominis honorem, ſi dignam rege virtutem præſtitiſſet. Alteram partem in duas partitus, reliquis duobus Herodis filiis diuiſit, Philippo et Antipæ. Huic paruit transiordanenſis ager, et Galilæa, quæ ei ducentena talenta penſitabant. Batanæa vero cum Trachonitide, et Auranitide, et nonnulla parte domus Zenodori, Philippo centena. Archelao tributa eſt Idumæa, et Iudæa, et Samaria, condonata Samariæ a Cæſare quarta parte vectigalium, quod ea cum ceteris non rebellaſſet: fueruntque Archelao ſubiectæ vrbes, Stratonis turris, Auguſta, Ioppe, et Hieroſolyma. Nam Gazam quidem, et Gadara, et Hippum, quoniam græcæ ſunt vrbes, ſeiunxit Cæſar, et Syriæ adiunxit. Archelai reditus erat ſexcenta talenta. Salomæ vero præter ea quæ frater ei legauerat, videlicet Iamniam, Azotum, et Phaſaelidem, et argenti ſignati quingenta millia, Cæſar regiam dedit Aſcaloniam, vt eius annui redditus ſumma eſſet talenta ſexaginta, domo ei in Archelai ditione poſita.

CAPVT XIIII.

De falſo Alexandro.

POſt eas res exſtitit iuuenis quidam Iudæus, facie ſimillimus Alexandri Herodis filii, eius qui fuerat occiſus. Huic perſuaſit improbus quidam, et rerum turbator, idemque rerum aulicarum peritus, vt ſe Alexandrum Herodis filium diceret, qui abditus fuiſſet ab eorum quodam, quibus fuerat eius interficiendi commiſſum negotium: qui quidem vt hominibus imponeret, alios interfeciſſet, ſe vero et fratrem Ariſtobulum conſeruaſſet. Hoc pacto iuuenis ille eos fallebat, in quos inciderat: ita vt quoscumque in Creta nactus eſt, ei fidem habuerint, et pecuniam ſubminiſtrarint tum ipſi, tum Melenſes inſulares, et alii: maxime vero Herodis hoſpites et amici, ei ſeſe tamquam regi adiunxerunt: quippe qui Alexandri adeo ſimilis eſſet, vt eum ipſum eſſe iurare poſſent, vel illi ipſi, quibus magna cum Alexandro familiaritas interceſſerat. Itaque Romam aduentanti obuiam prodiere Iudæi, et id pro miraculo habentes, eum per vias in curru ſublimem, regio plane apparatu incedentem (quæ res fiebat ſumtibus eius hoſpitum) frequentes ſtipabant, et omnibus officiis tamquam Alexandrum proſequebantur. His Cæſar auditis, ſuſpectam fraudem habens, eum ad ſe arceſſit: et quamuis perſimilis eſſet, tamen animaduertit falſum hunc Alexandrum, manuariæ artis hominem, corpus habere ſcabrius atque aſperius: quum liberaliter educati molle et delicatum habere ſoleant. Igitur quærit ex eo, quid factum ſit Ariſtobulo, curue non veniſſet ad obtinendum ius ſuum? Ille reſpondet, in Cypro remanſiſſe, metu marinorum periculorum, ne ſi quid Alexandro humanitus accidiſſet, Ma-

riæ genus funditus aboleretur. Hæc adfirmantem, cum eo conſentiente magiſtro, Cæſar ſeducit, et ita dicit: Si mihi verum dicere voles, vitam tibi cuſtodiam. Dic mihi quis tu ſis, et quis tibi tantum audere perſuaſerit: eſt enim malitia iſta maior quam pro ætate. Tum ille rem omnem confeſſus eſt; et Cæſar eum ad remiges relegauit, et eius fraudis auctorem interfecit.

CAPVT XV.

Archelaus iterum accuſatus, Viennam relegatur.

POſtquam Archelaus gentis rector factus, in Iudæam peruenit, Ioazarum Boethi filium pontificatu priuauit, eum cum ſeditioſis coniuraſſe criminatus, idque munus Eleazaro eiusdem filio tradidit. Refecit etiam Hierichuntium palatium magnifice, et dimidiam aquam vici Nearæ deriuauit ad irrigandum palmetum, quod conſueuerat. Vicumque conſtruxit, quem Archelaidem nuncupauit: et Glaphyram Alexandri ſui fratris quondam vxorem, ex quo ipſa liberos habebat, in matrimonium duxit. Ne Eleazarus quidem in pontificatu permanſit, ſuffecto in ipſius viuentis locum Ioſua Siæ filio. Anno autem decimo principatus Archelai, Iudæorum et Samaritanorum primi eius crudelitatem et tyrannidem non ferentes, eum apud Cæſarem accuſarunt, maxime quum intellexiſſent contra Cæſaris feciſſe mandatum, quo iubebatur eos tractare leniter. Hanc ob rem Cæſar eum, nulla illata mora, curauit euocandum: ac poſtquam cauſſam ſuam contra certos accuſatores agentem audiuit, relegauit in vrbem Galliæ Viennam, pecuniaque ſpoliauit. Antequam autem Romam euocaretur Archelaus, ſomnium huiusmodi ſuis amicis narrauit. Viſus eſt ſibi videre decem ſpicas, tritici plenas, iam perfectas, quas boues depaſcerent. Experrectus, coniectores arceſſit. Ibi dum alii alia dicunt, Simon quidam Eſſæus, poſtulata dicendi venia, dixit ei, viſione illa ſignificari mutationem in deterius. Boues enim ærumnam declarare, quippe laborioſum animal: itemque rerum mutationem, quoniam humus, quæ ab eis coleretur, eodem in ſtatu permanere non poſſet. Decem autem ſpicas, totidem annorum indices eſſe, quoniam vno anno proueniat ſpica: atque Archelao finem adeſſe imperii. Sic ille ſomnium enucleauit; ac quinto poſt die venit nuntius, qui Archelaum arceſſebat, eumque cum amicis conuiuantem offendit. Simile quiddam accidit et Glaphyræ, quæ poſt deceſſum Alexandri nupſerat Iubæ Libyæ regi: quo mortuo viduam domi patris in Cappadocia degentem duxit Archelaus, repudiata vxore ſua Maria; tantus erat amor in Glaphyram. Igitur quum Archelai coniux eſſet, vidit huiusmodi ſomnium. Viſa eſt cernere adſtantem ſibi Alexandrum: qua re gauiſa, eum cupidiſſime complexa eſt. At ille de ea queſtus eſt. Glaphyra, inquit, ergo tu vulgare verbum comprobas, quo feminis fidendum non eſſe dicitur: quæ mihi deſponſa et nupta virgo, genitis ex me liberis, amores oblita meos alii nupſeris: neque hac contumelia contenta, cum tertio marito cubare auſa ſis, ad meæ domus dedecus atque probrum; Archelaoque viro tuo, fratri noſtro nupſeris. Ego vero meæ in te beneuolentiæ idcirco non obliuiſcar, quin te omni infamia liberabo, meam faciens, vt prius fuiſti. Hæc quum apud ſocias ſuas narraſſet, aliquot poſt diebus moritur.

FLAVII

FLAVII IOSEPHI ANTIQVITATVM IVDAICARVM LIBER DVODEVICESIMVS.

CAPVT I.

Quirinius ad cenſendam Syriam et Iudæam mittitur a Cæſare, et Coponius ad procurandam Iudæam: item de Iuda Galilæo.

QVirinius vero a Cæſare miſſus eſt in Syriam, vt genti iura daret, et facultates cenſeret: et Coponius vna cum eo, vt equitatui præeſſet, et Iudæorum res ſumma poteſtate adminiſtraret. Igitur venit Quirinius in Iudæam Syriæ additam, vt eorum bona cenſeret, et Archelai pecuniam addiceret: quam ad rem Iudæi, quamuis principio ægre, tamen conſenſerunt, ſuaſu pontificis Ioazari Boethi filii. Iudas autem Gaulanita, ex oppido Gamalis, vna cum Phariſæo Sadduco, populum ſollicitabat ad rebellionem, dicens eum cenſum nihil aliud eſſe quam ſeruitutem: ac debere libertatem defendi, alioquin non adfuturum eis Deum. Et quia populus eis aurem præbebat, ea res tandem in cauſſa fuit infinitorum malorum. Et quoniam ad hunc locum veni, placet de Iudæorum ſectis nonnulla diſſerere.

CAPVT II.

De Iudæorum ſectis.

HAbebant Iudæi tres philoſophiæ ſectas antiquas, videlicet Eſſæorum, Sadducæorum, et Phariſæorum. Phariſæi tenuiter viuunt, et a voluptatibus prorſus abhorrent: quodque bonum ratio iudicat, id ſequuntur. Senioribus honorem præbent, neque iis, a quibus hæc prodita ſunt, contradicere audent. Omnia fato fieri cenſent, ſic tamen vt hominis voluntatem inde non excludant, dicentes viſum eſſe Deo ita rem temperare, vt et fato ſit locus, et tamen homo poſſit, ſi velit, virtutem ſequi, aut vitium. Credunt animas immortales, ac ſub terra vel pœnis vel præmiis eos adfici, qui in hac vita virtuti ſe aut vitiis addixerint: animaſque improborum ſempiterno carcere clauſas teneri: bonorum autem reuiuiſcere, et in alia corpora migrare. His de cauſſis tantæ ſunt auctoritatis, vt quidquid ad religionem pertineat, cuiuſmodi ſunt ſupplicationes et ſacrificia, id eis interpretibus fiat: tanti ſit eorum tum vita, tum oratio. Sadducæi animas cum corporibus interire putant, neque quidquam aliud quam legem ſeruant: nam contra magiſtros quidem eius quam ſequuntur ſapientiæ diſputare, virtuti tribuunt. Eorum opinioni ſuffragantur pauci, ſed dignitate primi, et iidem pæne otioſi. Nam ſi quando magiſtratus gerunt, opinioni Phariſæorum, licet inuiti, tamen adſentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus. Eſſæi omnia Deo in manu eſſe cenſent: animas immortales ducunt, ſuntque iuſtitiæ ſtudioſiſſimi. In fanum donaria dum mittunt, ibi ſacra non faciunt, propterea quod luſtrationes habent ſanctiores: hac de cauſſa communi delubro arcentur, et ſacra ſua ſeorſum faciunt. Ceterum homines ſunt optime morati, et agriculturæ prorſus addicti. Habent bona inter ſe communia, ita vt diues ſuis bonis non magis fruatur, quam qui nihil habet: ſuntque ſupra quatuor hominum millia, qui hæc faciunt. Nec vxores, nec ſeruos habent: quod hoc iniquum, illud iniurioſum arbitrantur: ſed ſeparati

viuunt, et alii aliis miniſtrant, quæſtoresque ſuorum prouentuum et terræ frugum creant viros bonos, ſacerdotes, vt victum habeant. Nullam habent ſeorſum vrbem, ſed frequentes in ſingulis vrbibus agunt: ac quandocumque ad eos venit aliquis eiusdem ſectæ, omnia ei tamquam propria patent: intrantque in eorum domos, quos numquam viderunt, perinde ac ſi cum eis per omnem vitam verſati fuiſſent. Itaque in itinere nullum viaticum ferunt: tantum tela contra latrones geſtant. Præter has tres ſectas introduxit Iudas ille, de quo locutus ſum, Galilæus, vnam, hominum qui ceteroquin cum Phariſæis ſentiunt, ſed libertatem ſic amant, vt eam mordicus tueantur, Deum vnum pro rectore et domino habentes. Itaque cruciatus omnes et mala et mortes (vt perſpectum eſt) potius perferunt, quam vt hominem dominum appellent.

CAPVT III.

Herodes et Philippus tetrarchæ, vrbes in honorem Cæſaris ædificant.

QVirinius poſtquam Archelai pecuniam addixit, et recenſioni finem impoſuit, Ioazarum (cui cum plebe contentio fuiſſet) pontificatu abdicauit, eique muneri Ananem Sethi filium præfecit. Herodes vero et Philippus in ſuæ vterque tetrarchiæ poſſeſſionem inuaſerunt, et Herodes Sefforim muniuit, et eam totius Galilææ caput fecit. Item vrbem quamdam nomine Betharamphtha mœnibus cinxit, et Iuliadem in honorem Iuliæ vxoris imperatoris nominauit. Philippus quoque Paneadem conſtruxit, apud Iordanis fontes poſitam, eique Cæſareæ nomen fecit: vicumque Bethſaidam ad lacum Genneſareth poſitum, adeo tum incolis tum aliis opibus auxit, vt facile oppidum æquiparet, eumque Iuliam a Iuliæ Cæſaris nomine nuncupauit. Coponio Romam reuerſo, Marcus Ambibuchus Iudææ prætor fuit: huic ſucceſſit Annius Ruffus, quo prætore mortuus eſt Octauius Cæſar, cui ſucceſſit Tiberius Nero. Poſt Annium Ruffum, quintus fuit Iudææ prætor Valerius Gratus, qui Ananem pontificatu priuauit, et eum Iſmaeli Fabis filio tribuit: eumdemque non multo poſt abdicauit, et id munus Eleazaro eiusdem Ananis filio commiſit: et vno poſt anno, Simoni Cannithi filio, qui id non plus vno anno tenuerat, quum ei ſucceſſit Ioſephus Caiaphas. Hoc facto, Gratus Romam ſe contulit, eique ſucceſſit in adminiſtratione Iudææ Pontius Pilatus. Herodes vero tetrarcha, Tiberii ſummus amicus, vrbem ædificauit, cui a Tiberio Tiberiadis nomen indidit, in media Galilæa, ad lacum Genneſareth, eamque conuenis et Galilæis frequentauit, et nonnullos illic inuitos collocauit, quosdam etiam optimates. Admiſit et ibi pauperes vndique collectos, et nonnullos, qui an liberi eſſent non conſtabat: iis magnas facultates et immunitates dedit, vt in oppido degere vellent: eorum domos ſuis impenſis exſtruxit, eisque agros tribuit, quod ſciret habitationem eſſe iudaicis legibus moribusque repugnantem: propterea quod ad id oppidum collocandum, ſublata fuerant multa, quæ illic erant, ſepulcra, quum lex noſtra huiusmodi incolas pollutos pronuntiet in ſeptem dies.

CAPVT IIII.

Iudæorum aduerſus Pilatum ſeditio: item de Ieſu Chriſto.

PIlatus autem Iudææ prætor, exercitum Samaria tranſtulit Hieroſolymam in hiberna: atque vt iudaicas leges aboleret, Cæſaris effigiem in militaribus ſignis depictam, curauit intra vrbem inferendam, quum lex ima-

imagines habere nos vetet: quam ob causſam eius deceſſores prætores ſoliti erant in vrbem intrare cum ſignis, quæ huiusmodi carerent imaginibus. Sed Pilatus primus, ignorante populo, quippe noctu, intrauit cum imaginibus. Quam rem vbi Iudæorum populus reſciuit, Cæſaream profecti ſunt, Pilatumque per multos dies orarunt, vt eas imagines alio transferre vellet. Ille vero non concedebat, quoniam in ea re Cæſaris honos ageretur: et quoniam illi eum vrgere non deſinebant, armauit die ſeptimo milites occulte: deinde factum in circo ſuggeſtum conſcendit, quæ res collocatum in inſidiis exercitum tegebat. Quumque Iudæi eadem rurſus ab eo flagitarent, ſignum militibus dedit, vt eos circumſiſterent. Iudæisque præſentem mortem minatus eſt, niſi quieti domum diſcederent. Illi vero humi procumbere, detectisque ceruicibus dicere ſe longe mori malle, quam contra legum ſapientiam committere. Quam rem miratus ille, imagines eueſtigio Hieroſolymis Cæſaream referri iuſſit. Tentauit et aquam deriuare Hieroſolymam, idque ſacrarum pecuniarum impenſis, petito fontis capite ducenteſimo ab vrbe ſtadio. Sed id Iudæis non placebat: coiueruntque hominum multa millia, qui vociferarentur, vt ab inſtituto deſiſteret: nonnullis etiam conuicia et contumelias ei dicentibus. Itaque ille magnum militum numerum habitu iudaico, qui occultas ſub veſte ſicas ferrent, miſit in locum vnde poſſent circumdare Iudæos: deinde Iudæis vt ſe inde reciperent, imperauit. Quumque Iudæi conuiciis eum petere inciperent, ſignum quod conuenerat, militibus dat: illi vero longe atrocius, quam iuſſerat Pilatus, quietos æque ac ſeditioſos cædere: ita compluribus interfectis, alii ſaucii diſceſſere. Fuit etiam eo tempore Ieſus, vir ſapiens, ſi virum dicere licet. Fuit enim incredibilium operum effector, magiſter hominum, qui verum cum voluptate accipiunt: multosque Iudæos, multos item Græcos ad ſe pellexit. Chriſtus is fuit: quem quum Pilatus ab hominum noſtrorum primis accuſatum, in crucem ſuſtuliſſet: tamen amare non deſierunt, qui prius amauerant. Apparuit enim eis tertio die rediuiuus, diuinis vatibus et hæc, et mille alia de eo miranda effatis: atque ab eo denominata Chriſtianorum natio, durat ad hunc diem.

MOSIS INSTITVTIO REIP.

EX IOSEPHO DESVMTA.

Quum ipſi Caſtellioni inconueniens viſum haud fuerit, continuationem Hiſtoriæ S. ex Ioſepho, reliquis monumentis illius hiſtoriæ, diuinam auctoritatem non habentibus, ſubtexere: diuidiæ forſan haud fuerit delineationem Reipublicæ Iudaicæ, ex eodem Ioſepho ab eo concinnatam hic quoque repræſentare. Præſertim quum hac ratione et opuſculi illius conſeruationi, ob molis exiguitatem facile alias interituri, optime conſultum putemus: et plane dubitandum haud eſſe exiſtimemus, quin ipſe Caſtellio, ſi ſerius ab eo delineatio illa non fuiſſet concinnata, locum ei hic conceſſurus quoque fuerit.

Pem-

PEractis quadraginta annis, exceptis triginta diebus, Moyſes coacta concione apud Iordanem, vbi nunc eſt oppidum Abila (eſt autem locus palmifer) omni populo congregato, dicit talia: Viri commilitones, et ſocii longæ ærumnæ, poſtquam oportet me emigrare e vita, quandoquidem ita videtur Deo, et ſenectus progreſſa eſt iam ad tempus viginti et centum annorum, neque futurus ſum vobis adiutor, et auxiliator rerum gerendarum trans Iordanem, quin prohibeor a Deo, æquum exiſtimaui ne nunc quidem omittere meum ſtudium pro veſtra felicitate, ſed et comparare vobis æternam fruitionem bonorum, et memoriam mihi ipſi, vobis adeptis copiam bonorum. Agedum poſtquam propoſuero, quomodo et vos poſſitis eſſe felices, et relinquere veſtris natis ſempiternam poſſeſſionem bonorum, ita diſcedam ex vita. Sum autem dignus cui credatur, tum propter præteritas contentiones pro vobis, tum quia animæ perductæ ad exitum, commercium habent cum omni virtute. O nati Iſraelis, Deus propitius eſt vna cauſſa poſſeſſionis bonorum omnibus hominibus. Nam hic ſolus poteſt, et dare dignis, et auferre ſontibus, cui ſi præſtiteritis vos ipſos quales et ipſe vult, et ego admoneo, aperte intelligens mentem eius, numquam aberit vobis, neque vnquam deſinetis eſſe beati, et conſpicui omnibus: quin et poſſeſſio bonorum, quæ nunc ſunt, vobis manebit firma, et habebitis celerem præſentiam futurorum: modo obediatis iis, quibus Deus vult vos obſequi, et neque præponatis aliam inſtitutionem præſentibus iuribus: neque contenta pietate, quam nunc habetis erga Deum, deficiatis ad alios mores. His autem faciendis, eritis fortiſſimi omnium ad dimicandum prœliis, et nulli hoſtium expugnabiles. Deo enim ferente auxilium vobis, conſentaneum eſt, vt deſpiciatis omnes. Virtutis autem præmia propoſita ſunt vobis magna, ſi poſſideritis eam in omnem vitam. Ipſa quidem primum eſt antiquiſſimum bonorum: deinde conciliat abundantiam aliorum: ſiquidem et facit vobis vitam beatiſſimam, vtentibus ea inter vos: et vos magis laudari, quam externos: et vt ſitis in gloria apud poſteros. Poteritis autem adſequi hæc, ſi fueritis obedientes, et cuſtodes legum quas condidi, Deo dictante mihi: et meditantes intelligentiam earum. Diſcedo autem ipſe lætus veſtris bonis, commendatis vobis et legi modeſtiæ, et honeſtati inſtitutionis reipublicæ, et virtutibus imperatorum, qui gerent curam vtilitatis veſtræ. Deus quoque qui rexit hos hactenus, cuius voluntate ego quoque fui vobis vtilis, non intermittet vobis hucusque prouidentiam ſuam: ſed quamdiu ipſi voletis habere eum præſidem, manentes in ſtudiis virtutis, tamdiu vtemini prouidentia eius: et pontifex Eleaſarus, et Ioſua, ſenatusque et magiſtratus tribuum exponent vobis ſententias optimas, quas ſequentes habebitis felicitatem, quibus obtemperare non grauate: intelligentes, omnes qui pulchre ſciunt parere, etiam ſcituros imperare, ſi peruenerint ad poteſtatem eius rei; et exiſtimate libertatem, non ægre ferre, quæ duces volent vos facere. Nunc enim ponitis libertatem in eo, ſi adficiatis contumelia beneficos: quod ſane ſi cauebitis deinceps, res melius habebunt vobis; neque vmquam ſumite tantam iram contra hos, quanta ſæpe auſi eſtis vti aduerſum me: ſcitis enim, vt ſæpius periclitatus ſim de vita a vobis, quam ab hoſtibus. Hæc autem non ſtatui exprobrare vobis; nolim enim relinquere offenſos in exitu vitæ, reuocans hæc in memoriam, quum ne eo quidem tempore, quo his adficiebar, fuerim iratus: ſed vt doceam vos tuto agere in hoc ipſo in poſterum, et nulla iniuria adficere ſuperiores propter diuitias, quæ vobis aderunt multæ, traiecto Iordane, et adeptis Chananæam. Nam ſi ab eis adducti fueritis ad faſti-

dium, et contemtum virtutis, perdetis etiam beneuolentiam Dei: Si feceritis autem hunc hoſtem, et priuabimini rurſum cum maximis probris terra, quam poſſidebitis, victi armis ab hoſtibus: et diſſipati per orbem replebitis totam terram, et mare ſeruitute veſtra. Pœnitentia autem, et recordatio legum non ſeruatarum, erit inutilis vobis, facientibus periculum horum. Quare ſi vultis has manere vobis, nullos hoſtium relinquite, quum ſuperaueritis eos. Sed exiſtimate, expedire, perdere omnes, ne eis viuentibus, guſtatis moribus illorum, corrumpatis inſtitutionem patriam. Præterea moneo, vt deiiciatis et aras, et lucos, et templa, quæcumque habebunt, et igni aboleatis genus et memoriam eorum. Nam ita demum ſecuritas propriorum bonorum erit vobis firma. Vt autem natura veſtra non feratur in deterius, propter ignorationem melioris, compoſui vobis et leges, dictante mihi Deo, et inſtitutionem reipublicæ: cuius ſi ſeruaueritis honeſtatem, iudicabimini feliciſſimi omnium. Hæc locutus, tradit eis leges et ordinationem Reipublicæ deſcriptam in libro. At illi plorabant, et capiebant multum deſiderium Imperatoris, et memores, quæ pericula et ſtudia ſuſcepiſſet pro ſalute eorum, et male ſperantes de futuris, vt non futuro, alio imperio tali et Deo minus prouiſuro: quoniam Moyſes erat qui precaretur; et dolebant, pœnitentes eorum, quæ fecerant ei in deſerto per iracundiam: ita vt vniuerſus populus lapſus in lacrimas, adfectus ſit ex his rebus maiore dolore, quam vt verba poſſent conſolari. Moyſes autem conſolabatur eos, et abducens eos a putando ſe dignum lacrimis, admonebat vt vterentur reipublicæ inſtitutione. Et tunc quidem ita digreſſi ſunt. Volo autem, ſi prius dixero inſtitutionem reipublicæ conſentaneam dignitati et virtuti Moyſis, et tradidero diſcendum ex ea lecturis, qualis fuerit ſtatus rerum noſtrarum olim, ita tranſire ad enarrationem aliorum. Omnia autem ſcripta ſunt, vt ille reliquit, nulla re addita a nobis ornatus gratia, neque quam Moyſes non reliquerit. Hoc autem nouum factum eſt a nobis, quod compoſuimus ſingula generatim. Nam relicta erant ab eo ſcripta ſparſim, et vt quidque ſciſcitatus erat a Deo. Huius gratia exiſtimaui operæ pretium eſſe ante diſtinguere, ne incurramus in aliquam reprehenſionem agnatorum, qui inciderint in hoc ſcriptum, quaſi aberrauerimus. Habet quidem ita nobis ordinatio legum, pertinentium ad rationem ciuitatis. Quas autem reliquit nobis communes inter nos, has diſtuli in editionem de moribus et cauſſis, quam propoſitum eſt nobis componere poſt hoc opus, adiuuante Deo. Quum igitur adepti terram Chananæorum, et habentes otium, ad vſum bonorum, ſtatuetis deinceps iam ædificare vrbes, ſi facietis hæc, facietis gratum Deo, et habebitis felicitatem firmam. Eſto vna ſacra vrbs in pulcherrimo terræ Chananæorum, et inſignis propter virtutem, quam Deus delegerit ſibi per vaticinium: et eſto vnum templum in ea, et vna ara: ex lapidibus non laboratis, ſed compoſitis collectim: qui illiti tectorio, ſint decentes, et nitidi adſpectu. Adſcenſus autem ad eos eſto non per gradus, ſed aggere facto ei in decliuitatem. In alia autem vrbe neque ara neque templum eſto: nam Deus eſt vnus, et genus Hebræorum vnum. Qui autem maledixerit Deo, pendeat per diem lapidatus, et ſepeliatur ſine honore, et obſcure. Conueniant autem in vrbem, in qua conſtituerint templum, ter in anno, qui erunt ab extremis regionis, quam Hebræi tenebunt, vt agant gratias Deo de eis quæ aderunt, et precentur de futuris, et conſuetudinem habendo inter ſe, et ſimul epulando ſint amici. Honeſtum enim eſſe, non ignotos eſſe alios aliis, qui ſint eiuſdem generis, et participes eorumdem inſtitutorum (hoc autem

autem futurum eſſe eis ex conſociatione) et efficientes recordationem ſui adſpectu et conſortio: nam manendo ſine mutua conſociatione, eos putatum iri alieniſſimos. Eſto etiam decuma frugum excepta vobis, præter eam quam inſtituiſtis dandam eſſe ſacerdotibus, et Leuitis, quæ vendatur quidem in patriis, ſed adhibeatur ad epulas, et ſacrificia eorum facienda in ſacra vrbe. Aequum enim eſſe, frui prouenientibus ex terra, quam Deus tradiderit eis poſſidendam, ad honorem datoris. Ne fiant ſacrificia ex mercede mulieris proſtitutæ. Numen enim nullo profectorum a ſcelere delectari. Nihil autem poteſt eſſe peius turpitudine corporum. Similiter ne quis accipiat præmium ex admiſſura canis ſeu venatici, ſeu cuſtodis ouilium, vt ex eo ſacrificet Deo. Nemo autem contumeliam dicat diis, quos ceteræ ciuitates exiſtimant. Ne liceat depeculari ſacra extranea, neque capere donarium dicatum cuipiam Deo. Nemo ex vobis decenter ferat indumentum, compoſitum ex lana et lino: nam hoc conſtitutum eſt ſacerdotibus ſolis. Congregata autem multitudine in ſacram vrbem ob ſacrificia ſeptennalia, vmbraculorum feſto inſtante, Pontifex ſtans in edito ſuggeſtu, in quo poſſit audiri, recitet leges omnibus: neque mulier, neque pueri arceantur ab audiendo: ſed neque ſerui. Decet enim eas inſcriptas animis, et memoriæ, ſeruari, ita vt numquam poſſint deleri. Sic enim neque peccabunt, quum non poterunt cauſſari ignoratione decretorum in legibus: et leges habebunt multam libertatem in peccantes, vtpote quæ prædixerint eis, quæ ſint paſſuri, et inſcripſerint animis per auditum quæ iubent, vt ſit ſemper intus apud eos inſtitutum earum, quo ſpreto deliquerint, et fuerint ſibi auctores damni. Diſcant autem etiam pueri primas leges, diſciplinam pulcherrimam, et cauſſam felicitatis: bis quoque die, et incipiente eo, et cum hora eſt petendi ſomnum, teſtimonium dent Deo munerum quæ præſtitit eis, libertatis e terra Aegyptiorum: quum actio gratiarum natura ſit iuſta, fiatque et ad rependenda præterita, et ad inuitanda futura. Inſcribant etiam oſtiis ſuis maxima quæque beneficiorum, quibus Deus adficit eos: et oſtendat quisque in brachiis, et quæcumque poſſunt ſignificare virtutem Dei, et beneuolentiam erga ipſos, ferant inſcripta in capite, et brachio, vt perſpicuum ſit vndique ſtudium Dei erga eos. Præſint autem in quaque vrbe ſeptem viri exercitati et in virtute, et in ſtudio æquitatis. Vnicuique autem magiſtratui dentur duo viri miniſtri, ex tribu Leuitarum. Etiam ii, quibus contigerit reddere ius ciuitatibus, ſint in omni honore, vt neque liceat vlli obtrectare illis præſentibus, neque audacius agere: pudore eorum erga homines dignitate præditos, reddente timidiores, vt non contemnant Deum. Iudices autem habeant poteſtatem pronuntiandi ſuam ſententiam, niſi ſi quis oſtendat eos accepiſſe pecuniam ob corrumpendum ius: aut adducat aliquam aliam cauſſam, qua coarguat, eos non recte pronuntiaſſe. Neque enim conuenit, facere publica iudicia, indulgentes lucro, aut dignitati: ſed præponentes æquitatem omnibus. Nam ita Deus videretur contemni, et iudicari infirmior illis, quibus quis adderet ſuffragium ob metum potentiæ. Nam æquitas eſt potentia Dei. Igitur qui indulget aliquid præditis dignitate, facit illos potentiores Deo. Quod ſi iudices neſciant pronuntiare de relatis ad eos, (accidunt autem multa talia hominibus) remittant cauſſam integram ad ſacram vrbem, et congregati pontifex et vates, et ſenatus pronuntient ſententiam. Ne credatur autem vni teſti, ſed tribus, aut vt minimum duobus, quorum teſtimonium anteacta vita faciet verum. At mulierum ne ſit teſtimonium,

propter leuitatem, et audaciam ſexus earum. *Hoc apud Moſen non exſtat.* Neque ſerui quidem teſtimonium dicant, propter ignobilitatem animi: quos conſentaneum eſt non teſtari vera, aut propter lucrum, aut propter metum. Quod ſi quis iudicetur teſtatus falſa, patiatur eadem conuictus, quæ is, contra quem teſtimonium dictum eſt, paſſurus erat. Si autem facta cæde in aliquo loco, non inueniatur auctor, neque vllus ſuſpectus ſit interfeciſſe per odium, quærant quidem eum cum magna diligentia, propoſitis præmiis indicii. Nullo autem eiusmodi indicante, magiſtratus oppidorum vicinorum, loco, in quo cædes eſt facta, et ſenatus congregati, metiantur ſpatium, a loco vbi iacet mortuus. Ac quod oppidum fuerit proximum, eius magiſtratus ducant vaccam emtam in vallem, et locum non commodum aratro et ſtirpibus, et abſcindant neruos bouis: et ſacerdotes, et Leuitæ, et ſenatus illius oppidi ſumta aqua ſuper capite bouis, clament ſe habere manus puras a cæde, neque feciſſe, neque adfuiſſe quum fieret: precari autem Deum propitium, et nullum amplius tam atrox facinus, accidere terræ. Dominatio quidem optimatium, et vita ſub ea eſt optima: neue capiat vos deſiderium alterius inſtitutionis reipublicæ, ſed eſtote contenti hac, habente leges pro dominis, et facientes omnia ex eis. Deus enim eſt ſatis idoneus, qui ſit rector. Verum ſi fueritis capti cupiditate regis, ſit is conſanguineus, et ſit ei ſemper cura iuſtitiæ, et reliquæ virtutis. Is autem concedat legibus et Deo ſummam prudentiæ, faciatque nihil ſine pontifice, et ſententia ſenatorum, neque vtens multis coniugiis, neque ſectans multitudinem pecuniarum, neque equorum: quæ conſecutus, poſſit faſtidire leges. Prohibeatur autem fieri potentior, quam expediat vobis, ſi quid tale adfectet. Ne liceat mouere terminos terræ, neque propriæ, neque alienæ eorum cum quibus pax eſt vobis: ſed caueatur ne auferantur, tamquam firmus calculus Dei, poſitus in ſempiternum: quippe quum bella et ſeditio naſcantur inde, ex eo quod auari volunt progredi vltra terminos; neque enim ii qui transmouent terminum, multum abſunt a tranſiliendis etiam legibus. Qui conſeuerit terram, ſi ſtirpes ediderint fructum ante quatuor annos, neque libet primitias inde, neque ipſe vtatur: non enim hæc prouenerunt ex eis ſuo tempore, ſed natura conata immature: neque conuenit Deo, neque ipſi domino vti. Quarta autem vindemia (tunc enim eſt tempeſtiuum) et ferat in ſacram vrbem omnia quæ prouenerint collecta, et inſumat cum decuma aliarum frugum, epulans cum amicis, et cum pupillis, et mulieribus viduis. Quinto autem anno, habeat poteſtatem percipiendi fruges ſtirpium. Ne ſeminetur terra conſita vitibus. Satis eſt enim ei alere hanc ſtirpem, et liberam eſſe a laboribus aratri. Aretur terra bubus, et nullum aliorum animalium cogatur ſub iugum cum eis, ſed aratrum fiat etiam illis conuenienter generibus ſuis. Semina autem ſint puriſſima, et incommiſta, neue ſerantur bina et trina; natura enim non gaudet ſocietate diſſimilium. Neque quæ non ſunt cognata, admittantur ad pecudes. Nam metuendum eſt ex eo, ne ignominia aduerſum cognata tranſeat, etiam vsque ad homines, ſumto principio ante ab iis quæ ſunt in paruis et leuibus. Oportet autem nihil eiusmodi eſſe conceſſum, ex quo conſequatur aliqua immutatio rerum reipublicæ ad imitationem: ſed ſcientibus, legibus curam eſſe non vulgarium, prouidendum eſt, vt nihil poſſit reprehendi in eis. Metentes autem, et colligentes meſſes, ne faciant ſpicilegium: ſed relinquant etiam nonnullos manipulos, qui proſint, et inueniantur ab egentibus victu, ad alimoniam;

am;

am; ſimiliter etiam relinquantur relicti racemi, vindemiæ pauperibus. Et olinetorum prætermittatur aliquid fructus ad collectionem, non habentibus percipere ex ſuis; non enim tantum commodum paritur dominis ex collectione eorum exacta, quanta gratia veniet ex egentibus: et numen efficiet terram alacriorem ad alendos fructus, ſi non proſpicient ſuæ vtilitati, ſed etiam habebunt rationem alimenti aliorum. Neque obligentur ora boum in area, quum terunt ſpicas: non enim æquum eſt arcere a fructu eos, qui adiuuerunt; et laborarunt in procreationem eius. Neque viatores prohibeantur guſtare fructus maturos: ſed permittatur eis, expleri tamquam ſuis, ſiue indigenæ ſint, ſiue peregrini, gaudendo in permittendo eis frui maturis; nihil autem liceat eis aſportare. Neque vindemiantes prohibeant obuios veſci iis quæ ferunt in torcularia. Iniquum eſt enim inuidere bona, quæ prouenerunt ad victum ex voluntate Dei, cupientibus frui tempeſtiuitate eorum et vigente, et properante abire, vt viſum fuerit Deo: quinetiam exhortentur aliquos vt capiant, dubitantes attingere præ verecundia, ſiquidem ſint Iſraelitæ, tamquam ſocios, et dominos propter conſanguinitatem: ſi ſint autem homines qui aduenerint alicunde, volentes vt potiantur hoſpitalibus, quæ Deus præbuerit ipſis tempeſtiue. Non enim putandum eſt ſumtus eſſe, quæ quis permittit homini capere per humanitatem, Deo ſuppeditante copiam bonorum non ſolum ad fruendum, ſed etiam ad dandum liberaliter: et volente declarare etiam aliis hoc modo ſuam beneuolentiam, et ſuppeditationem felicitatis erga populum Iſraelitarum communicantium etiam illis ex eis quæ ſuperſunt ipſis. Qui autem fecerit contra hæc acceptis plagis vndequadraginta publico fuſtuario, perpetiatur hanc fœdiſſimam pœnam liber, quod ſeruiendo lucro læſerit dignitatem. Nam pulchrum eſt vobis, expertis calamitates in Aegypto, et per deſertum, gerere curam verſantium in ſimilibus, et adeptos facultatem ex miſericordia prouidentiæ Dei, impertiri hanc eamdem egentibus, ex ſimili ſenſu. Præter duas decumas, quas præcepi ſoluere quotannis, alteram Leuitis, alteram ad epulationes, conferatur tertia anno tertio, ad diſtribuendum quæ deſunt mulieribus viduis, et omnibus pupillis. Maturorum autem quidquid primum cuique contigerit prouenisſe, ferant in ſacrum: et laudato Deo pro terra, quæ tulerit illa, quam tradidit eis poſſidendam, perfectis ſacrificiis, quæ lex iubet eis ferre, dent primordia eorum ſacerdotibus. Quum quis autem, functus his, et decumis omnium, vna cum eis, quæ pertinent ad Leuitas, et exſecutus epulationes primitiis, abiturus eſt ad ſe domum, ſtans contra delubrum gratias agat Deo, quod liberatis ab iniuria Aegyptiorum, dederit eis terram bonam et multam fruendam, teſtatusque ſeſe peregiſſe decumas ex legibus Moyſis, oret Deum, vt ſit ſemper ſibi propitius, et ſecundus, et pergat communiter omnibus Hebræis ſeruare bona, quæ dedit eis, adiiciatque quæcumque poteſt largiri. Ducant autem vxores progreſſi ad ætatem connubii, virgines, liberas, bonorum parentum; non ducturus autem virginem, ne ſibi copulet degentem cum alio, neque quæ reliquerit ſuum priorem virum; liberi autem ne ducant ſeruas, etiam ſi qui impellantur ad hoc præ amore: nam decet cohibere cupiditatem, et conducit ad dignitates. Præterea ne fiat connubium proſtitutæ, cuius ſacrificia nuptiarum Deus non ſit admiſſurus, propter probrum corporis. Ita enim ingenia natorum euadent liberalia, et erecta ad virtutem, ſi non fuerint geniti ex coniugiis turpibus, neque ex libidine congreſſorum cum non libera. Si quis deſponſa aliqua tamquam virgine, poſtea inueniat non talem, ipſe quidem ſortitus iudicium accuſet, vtens argumentis quæ habebit

ad

ad demonſtrationem. Defendat autem pater puellæ, aut frater, aut qui videbitur propius accedere ad genus, poſt hos, et puella, ſi iudicatum fuerit eam non deliquiſſe, habitet cum accuſatore, nullam poteſtatem habentem dimittendi eam, niſi ſi præbeat ei magnas cauſſas, et quibus neque contradici poſſit. Quod ſi impoſuerit crimen et calumniam audacter, et temere, det pœnas acceptis vndequadraginta plagis, et ſoluat patri quinquaginta ſiclos. Sin autem coarguerit puellam corruptam, lapidetur, ſi quidem ſit popularis, quod non defenderit prudenter virginitatem vsque ad legitimas nuptias: ſin nata ſit ex ſacerdotibus, cremetur viua. Si cui ſint duæ vxores, et altera ſit in magno honore et beneuolentia, aut propter amorem, aut pulchritudinem, aut ob aliam cauſſam: altera autem ſit in deteriore conditione: Si puer natus ex dilecta, iunior procreato ex altera, velut adipiſci prærogatiuam ætatis, propter beneuolentiam patris erga matrem, vt teneat duplicem partem rei paternæ (hoc enim ſtatui in legibus) ne permittatur. Iniquum eſt enim, grandiorem natu priuari eis, quæ ei debentur ex teſtatione patris, quoniam ſuperetur in genere materno. Qui corruperit puellam deſponſam alteri, ſiquidem perſuaſam et conſentientem ad corruptelam, moriatur cum ea: nam vterque iuxta nequam eſt: ille qui perſuaſerit puellæ, vltro ſubire rem turpiſſimam, et anteponere eam libero coniugio: hæc, quæ fuerit perſuaſa, vt præberet ſe ad flagitium propter voluptatem, aut lucrum. Sin autem nactus ſolam alicubi, violauerit, nullo præſente defenſore, ſolus moriatur. Qui corruperit virginem, nondum deſponſam, ipſe ducat eam in matrimonium. Quodſi non videatur patri puellæ eam collocare illi, pendat quinquaginta ſiclos, multam iniuriæ. Qui volet facere diuortium cum vxore habitante ſecum, ob quaſcumque cauſſas (multæ autem tales accidunt hominibus) confirmet litteris, ſe numquam rem habuiſſe cum ea. Sic enim accipiet poteſtatem habendi cum alio. Prius enim nefas. Quod ſi male habeat etiam apud illum, aut eo vita defuncto, prior velit eam ducere, ne liceat ei reuenire. Carentem liberis, defuncto viro eius, frater illius ducat, et nutriat in ſucceſſionem hereditatis puerum natum vocatum nomine mortui. Hoc enim ſi fiat, erit etiam ex republica, familiis non deficientibus, et facultatibus manentibus cognatis: et adferet adleuationem calamitatis feminis habitantibus cum proximis priorum virorum. Quod ſi frater nolit eam ducere, mulier conuento ſenatu teſtificetur hoc, illum non admittere ſe, volentem manere in familia, et liberos gignere ex eo, lædentem memoriam fratris mortui. Interrogante autem ſenatu, ob quam cauſſam abhorreat a matrimonio, ſiue dixerit paruam, ſiue maiorem, inclinet eo: vxor autem fratris, detractis ei calceis, et conſpuens faciem eius, dicat dignum eſſe, qui habeat hæc a ſe, qui quidem læſerit memoriam defuncti: atque ille quidem abeat ex ſenatu, habens hoc probrum in omnem vitam. Illa autem nubat cuicumque voluerit poſcenti. Si quis ceperit virginem captiuam, ſiue etiam nuptam, volenti cum ea conſuetudinem habere, ne prius liceat attingere lectum, et congreſſionem, quam ipſa tonſa, ſumto habitu lugubri, luxerit cognatos et amicos, qui perierint in prœlio; vt quum ſatiauerit dolorem, quem capiet ex illis, ita demum conuertat ſe ad epulas et nuptias: eſt enim pulchrum et æquum, adſciſcentem matronam, mederi voluntati eius, non negligere gratiam eius, perſequendo tantum ſuam voluptatem. Præteritis autem triginta diebus in luctu (hæ enim ſatis ſunt ſobriis ad deplorationem cariſſimorum) tunc habeat matrimonium. Quod ſi expletus libidine, faſtidiuerit habere eam coniugem, ne habeat poteſtatem faciendi eam ſeruam: ſed abeat quo volet, hoc habens liberum. Qui vero adoleſcen-

ſcentium contemnent parentes, et non tribuent eis honorem aut verecundiam, aut de induſtria contumelioſi in eos: primum patres caſtigent eos verbis (hi enim ſolent eſſe idonei iudices) dicentes ſeſe congreſſos eſſe inter ſe, non cauſſa voluptatis, neque amplificationis facultatum, rebus vtriusque factis communibus: ſed vt adipiſcerentur liberos, qui nutrirent ipſos in ſenectute, et a quibus haberent ea, quibus indigerent, Natum quidem ſublatum diligenter educauimus cum lætitia: et habentes maximam gratiam Deo, nulli rei parcentes, quæ modo videretur vtilis eſſe ad ſalutem tuam, et diſciplinam rerum optimarum. Nunc (oportet enim dare veniam peccatis iuuenum) ſatis habe hactenus contemſiſſe honorem erga nos: et redi ad ſanitatem, conſiderans etiam Deum moleſte ferre ea, quæ committuntur aduerſum patres: quoniam et ipſe eſt pater totius generis hominum, et videtur lædi in eis, qui habent eamdem appellationem cum ipſo, non obtinentibus a liberis, quæ debebantur eis: et lex eſt inexorabilis vindex talium, quam tu ne expertus fueris. Ac ſi quidem improbitas adoleſcentum ſanata fuerit his, liberentur probris ob errata. Ita enim et legislator erit bonus, et patres fortunati, qui non viderint neque filium puniri, neque filiam. Sin autem verba eorum et diſciplina reſipiſcendi nihil proficere videantur, ſed faciat leges hoſtes implacabiles, continuis facinoribus, contra parentes, lapidetur productus ab iis ipſis extra vrbem, multitudine ſequente; et quum manſerit per totum diem ad ſpectaculum omnium, ſepeliatur noctu. Sic etiam, qui fuerint condemnati rei capitalis legibus quoquo modo. Sepeliantur etiam hoſtes, nec vllus mortuus iaceat expers terræ, dans pœnas præter æquum. Ne liceat autem dare ad vſuram vlli Hebræorum, neque cibum, neque potionem. Non enim æquum eſt, homines eiusdem generis conuertere in vtilitatem fortunas: ſed opitulatum neceſſitati eius, exiſtimare lucrum eſſe et gratiarum actionem illius, et remunerationem conſecuturam a Deo ob humanitatem. Qui autem mutuati ſint aut argentum, aut aliquid fructuum humidorum, ſiccorumue, arbitratu eorum, qui ſuppeditauerunt eis a Deo, referentes, cum voluptate reddant creditoribus, quaſi deponentes apud ſe ipſos: et rurſum habituri, ſi egeat. Quod ſi impudentes ſint in redditione, ne pignorentur adgreſſi domum, prinsquam iudicium fiat de eo. Pignus autem petant foris, et debitor ipſe ferat, nihil contradicens adgredienti ſe cum auxilio legis. Ac ſi qui pigneraurit, ſit locuples, creditor retineat id vsque ad redditionem. Sin pauper, referat ante occaſum ſolis, præſertim ſi pignus ſit veſtimentum, vt id habebat ad ſomnum, Deo natura tribuente miſericordiam pauperibus. Molam autem, et inſtrumentum eius, ne liceat capere pignori, ne priuentur etiam inſtrumentis pertinentibus ad victum, neue quid patiantur grauius, præ egeſtate. In furto hominis pœna eſto mors. Qui autem ſurripuerit aurum, aut argentum, reddat duplum. Si quis interfecerit in rebus ſurripiendis domi, eſto inultus, etiam ſi in ſuffodiendo pariete, furatus autem pecudem, rependat damnum quadruplo, præter bouem: nam pro hoc reddat quintuplum. Qui vero non erit ſoluendæ multæ, erit ſeruus eis, ſecundum quos iudicatum erit. Venditus quis conſanguineo, ſeruiat ſex annos, ſeptimo manumittatur. Quod ſi filio nato ei ex ſerua, apud emtorem velit ſeruire propter beneuolentiam et caritatem erga ſua, liberetur anno Iubilis (eſt autem annus quinquageſimus) abducens et liberos, et vxorem liberam. Si quis repererit in via, aut aurum, aut argentum, reddat, quæſito eo qui perdidit, et prædicato loco, in quo reperit, non bonam ducens vtilitatem ex damno alterius. Similiter etiam de pecudibus, in quas aliquis inciderit, errantes in deſerto, domino non ſtatim inuento,

uento,ſeruet apud ſe, teſtatus Deum, ſe non auertiſſe aliena. Ne liceat cuiquam præterire iumenta adflicta, collapſa in luto propter tempeſtatem, ſed ſuccurrat, et ſubueniat, exiſtimans laborem proprium. Oſtendant etiam vias ignorantibus, neue aucupantes ſibi riſum, errore impediant commodum alterius. Similiter neque maledicat quiſquam abſenti, neque ſurdo. Aliquis vulneratus in contentione, vbi nullum fuerit ferrum, continuo vindicetur,eo qui vulnerauerit paſſo idem. Quod ſi delatus ad ſe, et æger fuerit complures dies, deinde mortuus fuerit, percuſſor eſto impunitus. Si autem reualuerit, et inſumſerit multa in ægrotationem, ſoluat omnia quæcumque impendit tempore cubitus, et quæcumque dedit medicis. Qui calce pulſauerit mulierem prægnantem, ſi quidem mulier fecerit abortum, multetur pecunia a iudicibus, vt qui minuerit populum in corrupto fetu in ventre: det etiam viro mulieris pecuniam ab ſe. Mortua autem ex ictu, ipſe quoque moriatur, lege cenſente ponendam eſſe animam pro anima. Nemo Iſraelitarum habeat medicamentum, neque mortiferum, neque factum ad alias læſiones. Quod ſi deprehenſus fuerit habuiſſe, moriatur idem patiens,quo adfeciſſet illos, contra quos medicamentum erat paratum. Qui mutilauerit, patiatur ſimilia, priuatus quo priuauit alium: niſi ſi forte mutilatus velit accipere pecuniam, lege dante poteſtatem, et permittente ei qui paſſus eſt, æſtimare caſum qui ei accidit, niſi velit eſſe acerbior. Bouem petentem cornibus, dominus iugulet. Quod ſi interfecerit aliquem percuſſum in area, ipſe lapidatus, moriatur, iudicatus ne ad cibum quidem eſſe vtilis. Quod ſi dominus coarguitur ante ſciuiſſe naturam eius, neque cuſtodiuiſſe, ipſe quoque moriatur, vtpote qui fuerit cauſſa necati a boue. Sin autem bos occiderit ſeruum, aut ancillam, ipſe quidem lapidetur: dominus autem bouis pendat triginta ſiclos, domino interemti. Quod ſi bos ita ictus, mortuus fuerit, et mortuus et percurſor vendantur, et domini eorum diuidant pretium amborum. Qui foderint puteum, aut foueam, adhibeant diligentiam, vt habeant ea clauſa, impoſitis tabulis, non vt vlli arceantur aquatione: ſed vt nullum periculum ſit, ſi qui incidant. Quod ſi pecus alicuius delapſum in talem ſcrobem, non clauſam, fuerit corruptum, ſoluat pretium eius domino. Circumdentur autem etiam tectis, quæ implentia vicem parietis, non ſinant vllos deuolutos perdi. Qui accepit depoſitum, habeat in cuſtodia tamquam rem quamquam ſacram et diuinam: neque quiſquam conſentiat fraudare eum, qui depoſuit, neque vir, neque mulier, non ſi lucraturus ſit aurum immenſum, ſecurus quoniam nullus ſit qui redarguat. Nam omnino conuenit, quemque benefacere ſibi conſcium, et quiſque ſibi locuples teſtis faciat omnia, quæ pariant ei laudem ab aliis: maxime metuens Deum, quem nemo malus latet. Quod ſi fiduciarius nihil dolo malo faciendo perdiderit, adeat ſeptem iudices et iuret Deum, nihil perditum eſſe ſua voluntate, et vitio, neque ſe vſum eſſe vlla parte eius: atque ita abeat innocens. Quod ſi vſus vel minima parte creditorum, forte perdiderit, damnetur ad reddendum reliqua omnia, quæ accepit. Similiter vt eſt in depoſitis, ſi quis retinuerit mercedem eorum, qui operantur ſuis corporibus, meminerit mercedem hominis pauperis non eſſe retinendam: ſcientes, Deum præbuiſſe ei eam pro terra, et aliis poſſeſſionibus. Sed nihil differat ſolutionem, quin eodem die ſoluat: quippe quum Deus nolit fraudare operarium vtilitate laboris inſumti. Nati ne puniantur propter culpam patrum, ſed propter ſuam ipſorum virtutem magis digni habeantur miſericordia, quod nati ſint improbis parentibus,quam odio quod nati vitioſis. Ne patribus quidem imputandum eſt peccatum filiorum, quum adoleſcentes permit-

tant ſibi multa præter noſtram doctrinam, faſtidio diſcendi. Spadones abhorreantur, et congreſſio eorum fugiatur, quibus erepta ſit virilitas, et fructus generationis, quem Deus tribuit hominibus ad incrementum generis noſtri: et abigantur tamquam qui peremerint liberos, et ante eos ſuſtulerint id quod fuiſſet cauſſa eorum. Perſpicuum eſt enim, eos, quum animus ſit effeminatus eis, mutatos eſſe in idem etiam corpore. Itidem etiam quidquid putatur monſtrum adſpicientibus. Ne liceat caſtrare neque homines, neque alia animalia. Et hæc quidem ſit vobis pacifica compoſitio legum reipublicæ, et Deus propitius præſtabit ornamentum eius ſeditionis vacuum. Nullum autem tempus ſit, quod innouet aliquid horum, et mutet in contrarium. Sed quoniam neceſſe eſt hominum genus incidere etiam in turbas, et pericula, vel inuito, vel ſua ſponte, age ordinemus præterea pauca etiam de his, vt præuidentes, quæ facienda ſint, quum opus erit habeatis ſalutaria: neque tunc requirentes, quæ oporteat facere, incidatis in tempora imparati. Sed fruamini ſine bello terra, quam Deus dedit vobis, contemnentibus labores, et habentibus exercitatos animos ad virtutem, adepti eam ſine pernitioſis incurſionibus externorum, et ſine ſeditione ciuili exagitante vos: per quam ſi facietis contraria patribus veſtris, perdetis inſtituta illorum, et pergatis vti legibus, quas Deus tradit, comprobatas bonas: vtque res bellica quæcunque acciderit aut nunc veſtro æuo, aut poſtea apud natos veſtros, fiat extorris a Deo. Geſturi autem bellum vi, mittite etiam præcones ad hoſtes voluntarios. Nam ante arma, decet, vti verbis ad eos, declarando, quum habeatis et exercitum magnum, et equos, et arma, et ante hæc Deum propitium, et auxiliarem; tamen nolle cogi bellum gerere cum eis, neque auferentes facultates illorum, comparare lucrum inuiſum vobis. Ac ſi quidem obtemperauerint, decet vos ſeruare pacem, cogitantes apud vos, illos pollere viribus. Sin autem voluerint lædere, ducite exercitum in eos, vtentes ſummo quidem imperatore Deo: duce autem ſecundarum partium, creato vno præſtanti. Nam multorum potentatus, præterquam quod eſt impedimento, neceſſe habentibus facere aliquid celeriter, etiam ſolet obeſſe vtentibus. Exercitus autem ducatur purus ex omnibus excellentibus robore corporum, et audentia animi, timidis reiectis, ne proſint hoſtibus, verſi in fugam in opere. Quique ædificauerint recens domos, quibus nondum eſt annuum tempus fruitionis earum: et qui conſeuerint, necdum perceperint fructus, ſinantur domi. Nec non ſponſa, et qui nuper duxerint vxores, ne deſiderio horum parcentes vitæ, et ſeruantes ſeipſos ad fruitionem eorum, vltro ignaui ſint propter vxores. Quum autem poſueritis caſtra, prouidete ne quid faciatis improbius, atque obſidentes, et carentes lignis ad confectionem machinarum, ne attondere terram, ſecantes arbores vrbanas: ſed parcite, cogitantes has natas eſſe ad vtilitatem hominum: et ſi vocem habeant, dicturas eſſe cauſſam contra vos, ſeſe malo adfici immerito, vt quæ non fuerint cauſſa belli, etiamque fuerint migraturæ, et tranſituræ in aliam terram, ſi poteſtas eſſet eis. Quum ſuperaueritis autem prœlio, interficite eos, qui ſteterint contra vos in acie: ceteros conſeruate ad tributa pendenda vobis, præter gentem cananæam. Hos enim oportet delere ad internecionem. Cauete autem maxime in prœliis, ne vel femina vtatur ornatu virili, vel vir ſtola muliebri. Moyſes igitur reliquit huiuſmodi inſtitutionem Reipublicæ. Propterea tradidit leges ſcriptas quadrageſimo anno ante, de quibus dicemus in alio libro. Sequentibus autem diebus (adſidue enim concionabatur) tradit eis fauſtas precationes et imprecationes in non victuros ex legibus, ſed facturos contra inſtituta in eis. Deinde recitauit eis

carmen

men hexametrum, quod reliquit in libro ſacro, continens prædictionem futurorum, ſecundum quod omnia facta ſunt, et fiunt, neque ille quidquam aberrauit a veritate. Igitur tradit hos libros ſacerdotibus, et arcam, in qua etiam repoſuit decem dicta, ſcripta in duabus tabulis, et tabernaculum: admonuitque populum, vt quum deuiciſſent terram, et conſediſſent, non mandarent obliuioni iniuriam Amalecitarum: ſed expeditione facta in eos caperent pœnas maleficiorum, quibus illi eos adfecerant, quum eſſent in deſerto. Quumque obtinuiſſent terram cananæam, et corrupiſſent omnem multitudinem eius, vt decet, exſtruerent aram verſam ad ſolem orientem, non procul ab vrbe Sicimorum, inter duos montes. Gariſco poſito ad dextram, ad læuam autem Gibalo nuncupato: ſtatuerentque in duobus montibus exercitum diuiſum in ſenas tribus, et omneis Leuitas et ſacerdotes. Ac primum qui eſſent in Gariſin, precarentur fauſtiſſima eis, qui ſtudioſi eſſent religionis Dei, et cuſtodiæ legum, neque reieciſſent ea, quæ Moyſes dixiſſet. Alteræ autem bene ominarentur, et his rurſum precantibus laudarent priores. Deinde itidem imprecantur diras contrafacturis, ſuccinentes alteræ alteris ad ſanctionem dicendorum. Deſcripſit autem fauſtas precationes, et imprecationes earum, vt diſciplina earum nullo vmquam tempore intermitteretur, quas ſane moriens inſcripſit etiam aræ in vtroque latere, vbi etiam denuntiat populo vt ſtans ſacrificet, et faciat ſolidum ſacrificium, et poſt illam diem non libet alia ſacra: non enim eſſe licitum. Igitur et Moyſes inſtituit hæc, et gens Hebræorum pergit facere conſentanea his. Poſtridie autem conuocato populo vna cum mulieribus et paruulis ad concionem, vt etiam mancipia adeſſent, adiurauit eos, vt haberent curam legum, neque transgrederentur eas, diligentes æſtimatores mentis Dei, nihil indulgentes contra eas neque conſanguinitati, neque cedentes timori: breuiter, neque exiſtimantes aliam cauſſam potentiorem eſſe conſeruatione legum. Quin, ſeu quis ex conſanguinitate, ſeu ciuitas conaretur confundere et diſſoluere inſtitutionem Reipublicæ eorum, vlciſcerentur eas publice et priuatim. Ac ſi quidem ſuperaſſent eos, exſcinderent funditus, neque relinquerent vel veſtigium deſperatorum, ſi fieri poſſet. Quod ſi nequirent ſumere pœnas, hoc oſtenderent, hæc non facta eſſe de voluntate ſua. Et multitudo quidem iurauit. Docuit autem eos, quomodo ſacrificia fierent acceptiora Deo, et quomodo militantes egrederentur, vtentes iudicio lapidibus, vt etiam prius declaraui. Ioſua quoque vaticinatus eſt adhuc præſente Moyſe. Et Moyſes expendens omnia, quæcumque feciſſet pro ſalute populi, tum in bellis, tum in pace, dum compoſuit leges, et ſuppeditauit rectam inſtitutionem reipublicæ, prædixit numen declaraſſe ſibi, eos omiſſa ſua religione experturos eſſe mala, ita vt et terra eis repleretur hoſtibus, et oppida complanarentur, et templum incenderetur. Et ipſi venditi ſeruirent hominibus nullam miſericordiam capturis ex calamitatibus eorum: eoſque patientes hæc, fruſtra eſſe pœnitentiam acturos. Deus tamen, qui creauit vos, reddet ciuibus veſtris et vrbes, et templum. Fore autem amiſſionem eorum non ſemel, ſed ſæpe. Tum cohortatus Ioſuam ad educendum exercitum in Cananæos, vtpote Deo adiuuante omnes coeptus eius. Et bene ominatus vniuerſæ multitudini, inquit: Poſtquam diſcedo ad maiores noſtros, et Deus definiuit mihi hunc diem diſceſſus ad illos, confiteor me habere ei gratiam adhuc viuens, et præſens apud vos, tum pro cura veſtri, quam geſſit non ſolum pro depulſione veſtrorum malorum, ſed etiam donatione bonorum: tum quod opitulatus eſt mihi laboranti, et ſuſcipienti in mente vbique curam mutationis

V 3

ticnis veſtrum in melius: et præſtitit ſe propitium nobis in omnibus: vel potius ipſe erat , qui et dabat ingreſſum eorum, et largiebatur exitus, vtens me duce ſubſtituto, et miniſtro beneficiorum, quibus voluit adficere veſtrum populum. Pro quibus exiſtimaui conueniens eſſe, vt decedens prius collaudem potentiam Dei, qui curam geret veſtri etiam in futurum, et ipſe reddens et relinquens vobis in memoria hanc gratiam debitam, videlicet vobis conuenire, venerari et honorare eum, et in pretio habere leges, tum quas tradidit, tum quas adhuc tradet, manens propitius, munus pulcherrimum adſeruatu. Nam etiam homo legislator eſt grauis hoſtis, dum leges ei læduntur, et temere iacent. Nolite autem experiri Deum ſuccenſentem ob neglectas leges, quas ipſe conditor dedit vobis. Moyſe quidem locuto hæc ad exitum vitæ, et vaticinato etiam futura vnicuique tribuum cum fauſtis ominibus, multitudo prorumpit in lacrimas, ita vt etiam mulieres tundentes pectora, oſtenderent dolorem ob eum moriturum. Pueri quoque plorantes etiam magis, vt imbecilliores ad comprimendam ægritudinem, declarabant ſe intelligere virtutem et magnitudinem rerum geſtarum eius, præter ætatem. Erat autem certamen doloris et iuuenibus et grandibus ex animi ſenſu. Hi enim ſcientes quali præfecto priuarentur, plorabant de futuro. Illis autem luctus erat de eodem, et quod accidebat deſtitui ab eo, virtute eius nondum bene guſtata. Licet autem coniicere magnitudinem fletus, et querimoniarum multitudinis, ex eo quod accidit legislatori. Etenim quum confidiſſet per omnem vitam ſe nihil commotum iri ex futuro interitu, vt qui pateretur id ex voluntate Dei, et legum naturæ, coactus eſt flere ab eis, quæ fiebant a populo. Proficiſcentibus autem inde eo vbi erat deceſſurus, omnes ſequebantur lacrimabundi. Et Moyſes iubebat remotos manere quietos, innuens manu: propiores autem hortabatur verbis, ne facerent ſibi deceſſum lacrimabilem ſequentes. Et illi ſtatuentes hoc ei concedendum eſſe, vt eum finerent ſuo arbitratu diſcedere ſua via, cohibent ſe ipſos collacrimantes inter ſe. Solus autem ſenatus deduxit eum, et pontifex Eleazarus, et imperator Ioſua. Vt autem peruenit in montem vocatum Abari (is autem excelſus poſitus eſt e regione Hierichuntis,) præbens eis, qui ſunt in eo, deſpiciendam optimam terram Cananæorum, et ampliſſimam, dimiſit ſenatum. Salutando autem Eleazarum, et Ioſuam, et adhuc colloquendo cum eis, euanuit in quadam ſpecu, quum nubes repente ſtetiſſet ſuper eo. Scripſit tamen in ſacris libris ſe mortuum eſſe, veritus ne auderent dicere ſe diſceſſiſſe ad Deum propter magnitudinem virtutis eius. Vixit autem omnino tempus viginti et centum annorum: quorum tertiam partem, tenuit principatum, excepto vno menſe. Deceſſit autem vltimo menſe anni, qui vocatur a Macedonibus dyſtrus, a nobis autem Adar, noua luna: ſuperauit ingenio homines, qui vnquam fuerunt, et vſus eſt optime cogitatis, fuitque venuſtus in dicendo, et orationibus habendis ad multitudinem. Ceterum etiam imperans adfectionibus, ita vt ne quidem videretur vlla earum ineſſe animo eius, vtque cognoſceret ſolum nomen earum magis ex eo, quod videret eas in aliis, quam ex ſeipſo. Et imperator quidem inter primos: vates autem qualis haud alius, ita vt quidquid eloqueretur, putaretur audiri ipſe Deus loquens. Populus igitur luxit eum per dies triginta, nec alius dolor tantus magnitudine tenuit Hebræos, quantus tunc Moyſe mortuo. Deſiderabant autem eum non ſolum experti eum, ſed etiam qui legebant leges eius, capiebant magnum deſiderium, coniicientes ex eis excellentiam virtutis eius. Et exitus quidem Moyſis talis declaratus ſit nobis.

SVP-

SVPPLEMENTVM HISTORIAE IVDAICAE

A CHRISTI TEMPORE AD HIEROSOLYMORVM ET TEMPLI VLTIMVM EXCIDIVM

ex Hiſtoria Apoſtolica, illuſtrata a LVD. CAPPELLO, qui breue ex Ioſepho Hiſtoriæ Iudaicæ compendium addidit, excerptum.

PEr id tempus Romæ contigit, vt nobiliſſima quædam femina Ann.
Fuluia Saturnini, vnius ex Tiberii amicis, vxor iudaicæ reli- Ch.
gioni addicta, aurum et purpuram Hieroſolymam, templo con-
ſecranda, traderet deferenda Iudæo cuidam impoſtori, mo-
ſaicæ legis doctorem ſeſe iactandi, qui iſta interuertit, et diuen-
dita in proprium vſum conuertit. Quod quum reſciuiſſet Fuluia,
et viro ſuo Saturnino ea de re conqueſta eſſet, Saturninus autem Tiberio,
Tiberius ea fraude offenſus Iudæos omnes vrbe edicto expulit. Horum
quatuor millia in Sardiniam ſpecie militiæ ſunt miſſa, alii, qui patria religio-
ne ſacramentum detrectabant, grauiſſimis pœnis ſunt adfecti. In Galilæa 32
autem Samaritani a quodam impoſtore ſeducti, tumultuantes ad montem
Garizim (vbi impoſtor ille pollicebatur, ſe oſtenſurum ipſis ſacra vaſa a Mo-
ſe iſtic, vti mentiebatur, defoſſa atque recondita) a Pilato immiſſis copiis
repreſſi, ac præcipui et potentiores capti, et capite ſunt multati. Qua de re
primates Samaritanorum apud Vitellium Syriæ præſidem conqueſti, et Pi-
latum accuſantes, Vitellius miſſo amico ſuo Marcello ad Iudææ procuratio-
nem, Pilatum iuſſit proficiſci Romam ad Tiberium, ad obiecta per Iudæos
crimina reſponſurum. Ita ille decem annis in Iudææ procuratione exactis, 35
quum neceſſe haberet parere Vitellio, ad vrbem ſuſcipit profectionem, quo
priusquam perueniret, Tiberius vita exceſſit.

Paullo poſt ipſe Vitellius in Iudæam profectus venit Hieroſolymam ipſo 36
Paſchatis feſto, vbi exceptus a Iudæis honorificentiſſime, remiſit Hieroſo-
lymitanis totum fructuum venalium vectigal, ſtolam ſummi pontificis cum
reliquo eius ornatu permiſit in templo a ſacerdotibus adſeruari, quæ ab ex-
ſilio Archelai in Romanorum poteſtatem venerat, a quibus in Antonia turri
adſeruabatur, et tribus ſolemnibus feſtis inde depromebatur, atque poſt
peractum feſtum eodem reponebatur. Caiaphæ etiam pontificatum abro-
gat, ſubſtituto ei Ionatha Anani pontificis filio. Paullo ante Philippus He-
rodis Antipæ frater, ipſe tetrarcha, obierat anno Tiberii XX, quum ipſe
præfuiſſet tetrarchiæ ſuæ annos XXXVII, vir perpetuo modeſtus et quietus,
(quem impenſe laudat Ioſephus.) Et quia ſine liberis deceſſit, eius tetrar-
chia prouinciæ Syriæ eſt attributa.

Porro Herodi Antipæ tetrarchæ Galilææ natum eſt eo tempore bellum
aduerſus Aretam Arabum regem ex huiusmodi occaſione. Duxerat Hero-
des in vxorem Aretæ illius filiam, verum quum Herodes Romam officii cauſſa
(vt Tiberium inuiſeret) petiturus ad fratrem Philippum diuertiſſet, iſtic a-

An. more captus Herodiadis Philippi fratris vxoris, clam cum ea ita egit, vt
Ch. illa pollicita ſit, ſe virum derelicturam, et in Herodis domum conceſſuram,
ſtatim atque ipſe Roma rediiſſet, ipſe viciſſim illi pollicitus eſt, ſe dimiſſurum
priorem ſuam coniugem Aretæ filiam. Hoc eorum conſilium non latuit Herodis
vxorem. Itaque quum Roma rediiſſet Herodes, neſciens vxorem
quidquam de conſilio ſuo reſciuiſſe, occupat eum vxor, et ad patrem Aretam
ſe recipit, cui Herodis conſilium aperit. Hinc inter vtrumque ſimultas,
inde rixæ et lites de confiniis, poſtremo bellum exarſit, in quo Herodis exercitus
funditus deletus fuit, idque (inquit Ioſephus) ex iuſta Dei in eum (vti
vulgus Iudæorum exiſtimabat) vindicta, quod Ioannem Baptiſtam interfeciſſet,
virum bonum, et Iudæos virtutis ſtudioſos, mutuamque inter ſe colentes
iuſtitiam, et pietatem erga Deum, inuitantem ad baptiſmum, ſic
nempe Deo gratum fore et acceptum dicens eorum baptiſmum, ſi eo vterentur
non ad vitanda ſeu eluenda quædam peccata, vtpote qui iam purgatam
haberent iuſtitia animam, ſed ad corporis dumtaxat *ἁγνείας ſanctimoniam*.
Et quia magnus erat ad eum populi concurſus, multique iam ſermonibus et
concionibus eius erigebantur, Herodes, veritus ne tanti hominis perſuaſione
populus ad rebellionem excitaretur, nihil enim non facturæ ex eius conſilio
turbæ videbantur, ſatius exiſtimauit eum occupare, et de medio tollere,
priuſquam aliquid noui moliretur et tentaret, quam rerum mutatione et
conuerſione iam facta, ſeram agere indulgentiæ ſuæ pœnitentiam. Itaque
hac ductus ſuſpicione Herodes vinctum in machærunticam arcem miſit, iuſſitque
iſtic interfici. Vnde nata eſt Iudæis opinio, Herodis exercitum dele-
36 tum eſſe in facinoris illius vindictam, Deo propterea Herodi infenſo. Hanc
ſuam cladem Herodes ad Tiberium quum ſcripſiſſet, Tiberius iratus mandat
Vitellio, vt bellum aduerſus Aretam in Herodis gratiam moueret, Are-
37 tamque viuum, aut mortui caput ad ſe mitteret. Quum ſe ad bellum illud
accingeret Vitellius, venit cum Herode Hieroſolymam, Deo in feſto quod
inſtabat ſacrificaturus, vbi a Ionatha in Theophilum eius fratrem tranſtulit
pontificatum. Iſtic quarto poſtquam venerat die, litteras accepit de Tiberii
morte, quibus acceptis Iudæos ſacramento adegit in Gaii Caligulæ fidem.
Porro Tiberius imperauit annos XXII menſes V dies XIII. Vitellius reuocatis
ex itinere copiis, iiſque in hiberna dimiſſis, omiſſo bello propter delatum
in alium imperium, Hieroſolyma Antiochiam repetiit.

Interim Agrippa, Herodis magni ex filio Ariſtobulo nepos, varia poſt aui
obitum vſus fortuna dum priuatus vixit, tandem Tiberio imperatori, et
Gaio Caligulæ eius ex fratre germanico nepoti, carus factus, mox paullo
ante Tiberii obitum, ex accuſatione liberti ſui Eutychi nomine, a Tiberio
in vincula coniicitur, neque iis prius ſoluitur quam poſt Tiberii mortem, a
7 Gaio ſcilicet Caligula (cui perfamiliaris et cariſſimus erat Agrippa) qui ſtatim
eum duplici donauit tetrarchia, Philippi nimirum patrui, et Lyſaniæ, cum
regiis inſignibus, annoque imperii ſui ſecundo in Iudæam ad res regni ſui
componendas ire permiſit, ſimulque cum eo Marullus in Iudæam Cæſaris
procurator, a Gaio miſſus eſt. Hunc Agrippam regia dignitate præfulgentem
videns Herodias ſoror ipſius, Herodis tetrarchæ vxor, inuidia percita,
non prius deſtitit quam viro perſuaſit, vt Romam contenderent, eamdem
regiam dignitatem a Cæſare petituri. Sed quum eo perueniſſent, ab
Agrippa Herodes per litteras apud Gaium accuſatur, quaſi cum Parthorum
rege defectionem ab imperatore moliretur, vnde a Gago in exſilium Lugdunum

num Galliarum relegatur vna cum vxore Herodiade, ſimul et tetrarchia et An.
omni pecunia multatus eſt, quæ omnia a Gaio Agrippæ ſunt donata. Ch.

Per id tempus quum Alexandriæ grauis orta eſſet inter Græcos et Iudæos
ſeditio, atque ſuper ea re ad Caligulam miſſa eſſet legatio, cuius a parte Iu-
dæorum princeps erat Philo Alexandri Alabarchæ (qui ſummus eſt apud A-
lexandriam Iudæorum magiſtratus) frater, vir eximius et in omni litteratu-
ra excultiſſimus, a parte autem Græcorum Appion grammaticus, hic Iudæis
magnam apud Gaium conflauit inuidiam, eo nomine, quod nollent templum
et ſtatuas illi ponere; vnde Gaius vehementer iratus Philonem audire no-
luit, immo cum conuicio atque contumelia repulit. Quin et Petronium in
Syriam in Vitellii locum mittit, iubetque ei ſtatuam ſuam in templo hiero-
ſolymitano dedicare atque collocare. Hoc mandatum precibus Agrippæ re-
gis motus poſtea reuocauit, ſed mox huius reuocationis quum eum pœni-
tuiſſet, mortem Petronio minitatus eſt, quod mandatum ſuum non eſſet
exſecutus, ſed paullo poſt a Chærea, ceteriſque coniuratis interfectus eſt
Gaius.

Eo etiam tempore magna clade adfecti ſunt babylonienſes Iudæi, qui Ne-
erdæ in medio Euphrate ſitæ, et per totam Babyloniam habitabant. Quum
enim duo fratres Neerdenſes Iudæi, adoleſcentes audaces et animoſi, Aſi-
næus et Anilæus, textrinæ arti a matre vidua addicti, opificium illud negle-
xiſſent, et latrones facti et exiguis initiis in ſummam potentiam euaſiſſent, et
conſedente Artabano Parthorum rege totius fermeBabyloniæ adminiſtratio-
nem adepti eſſent, atque in ea potentia et felicitate per XV annos vixiſſent,
mox cum potentia ſua ad Parthorum iniuriam abuterentur, altero eorum
veneno ab vxore fratris ſublato, altero mox ab inſurgentibus Babyloniis op-
preſſo, rebus Iudæorum ſic adflictis, plerique eorum qui Babyloniam et
Neerdam habitabant, metuentes ſibi a Babyloniis, quos Aſinæi et Anilæi po-
tentia nimia offenderat, Neerda et Babylonia relicta Seleuciam ſe recepe-
runt, vbi quum quinquennium pacate vixiſſent, mox Græcorum et Syro-
rum, qui iſtic erant, coniuratione facta, ſupra quinquaginta millia homi-
num vna ferme die occiſa ſunt.

Gaio Caligulæ a Chærea aliiſque coniuratis interfecto Claudius, prætoria- 40
norum militum ope et fauore, et Agrippa rege (qui tum Romæ erat) pluri-
mum apud ſenatum (qui rem romanam in antiquam libertatem adſerere vo-
lebat) adnitente, tandem ſufficitur, et Imperator creatur. Is vt Agrippæ,
ob egregiam ſibi nauatam in adipiſcendo imperio operam, gratiam pro me-
rito referret, ſtatim imperii ſui initio ad ea, quæ iam Agrippa a Caligula ac-
ceperat, addidit Iudæam, Samariam et Abylenam, quæ antea Lyſaniæ fue-
rat. Fratri ſuo Herodi impetrauit a Claudio Calchidis regnum. Geminum
etiam a Claudio factum fuit tum temporis, in Iudæorum gratiam, edictum,
alterum in Alexandrinorum (qui a Gaio male habiti fuerant) alterum in reli-
quorum Iudæorum, per totum romanum orbem ſparſorum gratiam. A-
grippa quum hæc a Claudio obtinuiſſet, venit in Iudæam ad regni ſui res
conſtituendas, et ſtatum componendum, vbi Canthare pontificatum abro-
gauit, quem quum vellet Ionathæ Anani filio tradere, renuente iſto per mo-
deſtiam, quod iam antea eo honore eſſet ſemel defunctus, contulit eum in
fratrem eius Matthiam, cui poſtea ſucceſſorem dedit Elionæum Cithæi fili-
um. Litteras etiam a Petronio Syriæ præſide impetrat in Iudæorum Doren-
ſium gratiam, aduerſus nonnullorum Doritarum in eos petulantiam. Mox
Petronio Marſus in adminiſtranda Syria ſuccedit.

Digitized by Google

An. Poſthæc quum Agrippa (quem impenſe laudat Ioſephus, eiusque mores,
Ch. ingenium, liberalitatem et munificentiam fuſe deſcribit atque perſequitur)
Cæſareæ ludos ſolennes magna eum pompa celebraret, indutus veſte tota
44 ex argento mirabili opere contexta, quæ ad ſolis ortum radiis percuſſa ſolaribus mirabilem emittebat fulgorem, et adulatoribus exclamantibus, et ipſi quaſi Deo acclamantibus, quum adulationem non repuliſſet neque caſtigaſſet, ſublatis in altum oculis bubonem vidit funi extenſo inſidentem, calamitatis ſuæ tum nuntium, qui prius felicitatis fuerat, vti prædictum illi olim fuerat a Germano quodam captiuo, ea die qua a Tiberio in vincula coniectus eſt. Hoc viſum et oſtentum ſecuta ſunt ſtatim ventris tormina, quibus quinto poſt die fuit exſtinctus anno ætatis ſuæ 54. Regnauit, ex quo a Gaio Caligula vinculis fuit ſolutus, ſeptennium, nempe quadriennium ſub Gaio, præfectus tetrarchiæ Philippi; et Lyſaniæ per triennium, deinde Herodis fratris tetrarchiæ annum vnum, ſub Claudio autem triennium toti Iudææ fuit præpoſitus. Ex annuis reditibus percipiebat 1200 myriadas (drachmarum ſcilicet, h. e. vti numeramus, tres milliones librarum turonicarum.) Reliquit liberos, filium vnum Agrippam, natum annos XVII, qui Romæ apud Claudium educabatur, filias tres, Berenicen annos XVI natam, Herodi Calchidis regi nuptam, Mariamnen decennem deſponſatam Iulio Archelao Chalciæ filio, Druſillam autem ſexennem deſponſatam Epiphani Antiochi Comagenorum regis filio, ſed is poſtea renuens circumcidi fierique Iudæus, noluit eam ducere in vxorem.

Agrippæ iuniori Claudius quum vellet tradere paternum regnum, diſſuaſerunt liberti, quod Agrippa nimium iuuenis videretur, neque par
45 iſti oneri ferendo. Itaque interim dum adoleſcit, miſſus eſt in Iudæam Cæſaris procurator Cuſpius Fadus, et Caſſius Longinus ſucceſſor datus eſt Marſo Syriæ præſidi. Poſtea Claudius ad Iudæorum poſtulationem, intercedente et pro eis deprecante Agrippa, Fado reſcribit (anno imperii ſui quinto, IIII Cal. Iulias Ruſo et Pompeio Syluano Coſſ. quumque ipſe Claudius eſſet Conſul deſignatus IIII) vt Iudæis permitteret ſtolæ pontificiæ cuſtodiam. Herodes item Calchidis rex eodem tempore impetrauit a Claudio poteſtatem in templum et ſacrum ærarium, iusque eligendorum ſummorum pontificum, quod ius illi, poſterisque ipſius manſit integrum ad finem vsque belli iudaici.

Per id tempus Helena Adiabenorum regina et Izates eius filius (quorum longam narrat Ioſephus hiſtoriam aut fabulam) iudaicam religionem
46 amplexi et profeſſi ſunt. Hæc quum Hieroſolymam ſacrificandi cauſſa veniſſet, inuenit vrbem grauiſſima fame laborantem, quam illa ſubleuauit curans aduehi in tenuiorum gratiam ex Alexandria magnam frumenti vim, et ex Cypro ficuum paſſarum ingentem copiam. Cuius exemplum ſecutus Izates eius filius magnam pecuniæ vim miſit Hieroſolymam, ſtructis etiam tribus tertio ab vrbe lapide pyramidibus, in quibus poſt obitum condi, vna cum matre Helena, voluit. Per idem tempus Theudas præſtigiator atque impoſtor, quum multis perſuaſiſſet, vt ſe cum facultatibus ad Iordanem ſequerentur, pollicitus fore, vt a ſe Iordanes diſſinderetur, vt olim ab Elia et Elizæo diffiſſus fuerat; a Fado Cæſaris in Iudæa procuratore, immiſſis militibus fuſus, captus et obtruncatus fuit, cum ſuis ſequacibus.

47 Fado in procuratione Iudææ ſucceſſit Tiberius Alexander Alexandri Alabarchæ filius, patriæ religionis, iudaicæ nempe, deſertor. Huius et

Fadi

Fadi tempore contigit memoranda fames, quæ Iudæam grauiter adflixit. *An.*
Ab eo ſublati ſunt et in crucem acti Iacobus et Simon Iudæ Galilæi filii. *Ch.*
Huic Alexandro ſucceſſit Cumanus, ſub quo (anno Claudii octauo) obiit
Herodes Calchidis rex Agrippæ magni frater, relictis tribus ſuperſtitibus 48
liberis. Eius principatum Claudius tradidit Agrippæ iuniori.

Per id tempus Hieroſolymis excitatus eſt feſtiuitatis tempore tumultus, 49
ob militis vnius romani impudens et petulans factum, in quo tumultu viginti millia hominum in anguſtiis viarum, quum ſe inuicem comprimerent, nullo perſequente, colliſa et compreſſa ſunt.

Alius inter Iudæos et Samaritas ortus eſt tumultus, in quo Cumanus 50
fauens Samaritis multos Iudæos interfecit. Ob eum tumultum Iudæorum et Samaritarum primores (inter quos fuit ſummus Iudæorum pontifex Ananias) a Numidio Quadrato Syriæ præſide, qui tum Tyri erat, vna cum Cumano et Celere tribuno, miſſi ſunt Romam, vt cauſſam coram Cæſare dicerent. Claudius, intercedente Agrippa iuniore, cauſſa cognita Samaritas ſupplicio adfecit, Cumanum exſilio multauit. Celerem capite
damnauit. Procuratorem in Iudæam miſit Felicem Pallantis (Claudii li- 51
berti) fratrem. Anno autem imperii ſui XII Agrippam iuniorem donauit 52
tetrarchia Philippi cum Batanæa, Trachonitide et Abylene, quæ fuerat Lyſaniæ, Calchidem vero ei abſtulit, quum iam quadriennium dynaſta illius fuiſſet, nempe ab Herodis patrui obitu, qui vita exceſſerat anno Claudii octauo. Claudius poſtea obit, quum regnaſſet annos XIII menſes VIII dies XX. Huic ſucceſſit Nero, qui Aqui Agrippæ partem Galilææ donauit, cum Tiberiade, Tarichæa et Iuliade trans Iordanem, cum pagis XIIII.

Felix Ionathan pontificem liberius monentem per ſicarios interficit. 53
Latrones et impoſtores, populum ad ſeditionem et rebellionem per totam Iudæam excitantes, compeſcit, inter quos Eleazarum Dinæi filium latronem inſignem, et Aegyptium quemdam magum et impoſtorem, qui ſequaces ſuos in montem oliuarum, quinto ab vrbe ſtadio diſſitum, duxit, quibus perſuaſerat iuſſu ſuo mœnia Hieroſolymorum vltro ruitura,
eosque per mœnium ruinas irruptionem in vrbem facturos. Porro Fe- 54
lix Druſillam Agrippæ iunioris ſororem, egregiæ formæ feminam, Azizo Emeſſorum regi nuptam quum vidiſſet, amore eius captus per Simonem quemdam genere Iudæum Cyprium, magiæ vehementer ſuſpectum, perſuadet Druſillæ, vt viro relicto nuptias ſuas præferat, quod et ille fecit, atque ex eo filium ſuſcepit nomine Agrippam, qui poſtea adultus incendio veſuuiano periit. Ceterum quum inter Iudæos et Græcos Cæſareæ orta eſſet ſeditio, et a Felice compreſſa, miſſi ſunt ab eo ad Neronem vtriusque partis primarii, qui cauſſam Romæ apud eum dicerent, a quo Iudæi cæſarienſes iure illius ciuitatis priuati ſunt. Agrippa autem Iſmaelem Fabæi filium conſtituit ſummum pontificem.

Felici a Nerone ſucceſſor miſſus eſt Feſtus. Felicem autem disceden- 55
tem accuſarunt Iudæi cæſarienſes apud Neronem, ſed is datus eſt Pallan-
tis fratris (qui gratia adhuc aliqua valebat apud Neronem) precibus. Feſtus 56
latrones et ſicarios, qui mirum in modum excreuerant, compeſcuit. Inter quos fuit Magus quidam impoſtor, qui homines poſt ſe trahebat in deſertum, pollicitus illis ſalutem, et ab omnibus malis liberationem, ſi ſe ſequi vellent in ſolitudinem, ſed is, eum ſuis ſequacibus, interfectus
eſt a militibus, quos in eum Feſtus ſubmiſit. Per id tempus quum A- 57
grippa

An. grippa rex exſtruxiſſet Hieroſolymis inſigni amplitudine domum, prope
Ch. xyſtum, in regia quæ Aſamonæorum fuerat, vnde amœniſſimus patebat per totam vrbem, et in ipſum templum proſpectus. Proceres hieroſolymitani indigne id ferentes, quod patriæ leges non permitterent, vt quis e priuata domo, quid in templo ageretur, proſpiceret, altum parietem excitauerunt, quo non arcebatur modo proſpectus ille domus regiæ, ſed et occidentalis porticus, in qua romani milites diebus feſtis ſtationes ſuas agere ſolebant. Vnde offenſus fuit non Agrippa modo, ſed et Feſtus ipſe, qui parietem illum dirui iuſſit. Sed miſſis ad Neronem ſuper ea re legatis, Nero in Poppeæ vxoris gratiam (quæ iudaicæ religioni fauebat) Iudæis permiſit, vt ſic maneret paries ille. Vnde factum eſt, vt Agrippa pontificatum Iſmaeli ademtum (cuius conſilio et auctoritate videbatur fuiſſe conſtructus paries) contulerit in Ioſephum cognomine *Cabi*, filium Simonis ſummi quondam pontificis.

59 Nero Feſto mortuo ſucceſſorem mittit Albinum. Pontificatus autem Ioſepho ademtus datur ab Agrippa Anano, Anani quondam ſummi pontificis filio, ſecta Sadducæo, audaci, et feroci ingenio viro. Is quum nondum Albinus veniſſet in Iudæam, indicto concilio Iacobum Ἰησοῦ (inquit Ioſephus) τοῦ λεγομένου χριστοῦ ἀδελφὸν, *Ieſu, qui Chriſtus dicebatur, fratrem*, cum aliis nonnullis capite damnauit, lapidibusque obrui iuſſit. Quod factum quum alii plerique improbarent, tertio poſt ſuſceptum pontificatum menſe ab Agrippa eo priuatus fuit, ſubſtituto Ieſu
60 Damnæi filio. Sicarii, Albino licet perſequente, inualeſcunt, et tota Iudæa per eos latrociniis impletur, atque infeſtatur. Pontifices, atque inter eos Ananias, opibus maxime potens (cuius exemplum reliqui ſunt ſecuti) ſacerdotes inferioris ordinis expilant, et debitis decimis fraudant, per vim eas ſeruorum ſuorum miniſterio abripientes, vnde non pauci, conſueto et legitimo commeatu priuati, inedia mortui ſunt: Leuitis autem, qui ſacris hymnis canendis vacabant, lineæ ſtolæ vſus, non minus quam ipſis ſacerdotibus, ab Agrippa conceſſus eſt, qui Ieſu Damnæi filio ſubſtituit in pontificatu Ieſum filium Gamalielis. Iſti deinde Matthiam Theophili filium, ſub quo initium habuit iudaicum bellum, quo tota Hieroſolyma, templumque ipſum tandem euerſa ſunt.

64 Florus a Nerone anno imperii ſui decimo ſucceſſor Albino miſſus eſt, quam prouinciam obtinuit per vxorem Cleopatram Poppeæ Auguſtæ Neronis coniugis amicam. Peſſimus homo, qui modis omnibus Iudæos quum vexaret et opprimeret, coegit vel inuitos (aut potius vltro ruen-
65 tes impulit) aduerſus Romanos rebellare. Initium belli fuit anno Neronis XII, Agrippæ autem regis XVII (ex quo ſcilicet Calchidis regnum obtinuerat a Claudio, anno imperii Claudii octauo) fruſtra rege Agrippa eos concione habita a bello dehortante, nam paullo poſt, quam Hieroſolymis diſceſſiſſet, ſeditioſorum nonnulli Maſſadam caſtellum munitiſſimum fraude occupant, Romanos, qui iſtic erant, omnes interficiunt. Hieroſolymis autem Eleazarus Ananiæ pontificis filius, templi, tum στρατηγὸς, iuuenis audax et factioſus, perſuaſit ſacerdotibus, vt nullius niſi Iudæorum hoſtias admitterent, ne illas quidem quæ pro Cæſare et Romanis offerri ſolebant, quod temerarium factum quum principes ciuitatis, quietis amantes, intolerabile iudicarent, et argumentum apertæ defectionis eſſe viderent, nec poſſent tamen ſeditioſos a ſententia dimouere,

uere, legatos ad Florum Cæſaream, et ad Agrippam regem mittunt, ro- *An. Ch.*
gantes vt propere, miſſis copiis, ſeditionem incipientem opprimerent. Florus, qui Iudæorum defectionem volebat, id neglexit, Agrippa autem miſit mille equites, qui ſuperiorem ciuitatem cum optimatibus et pontificibus, ceteraque multitudine, quæ optabat quietem, occuparunt et tenuerunt aduerſus ſeditioſos, qui templum et inferiorem ciuitatem tenebant, per ſeptem continuos dies inuicem confligentes. Sed die feſto ξυλοφορίας ſicarii multi in templum recepti cum ceteris, vim regiis militibus faciunt, et ciuitate ſuperiore pellentes compellunt eos in Herodis regiam ſuperiorem, incenſo archiuo, Aſamonæorum palatio, (quæ tum erat Agrippæ regia) et Ananiæ pontificis domo. Poſtridie, Auguſti XV die, Antoniam obſeſſam per biduum capiunt, militesque romanos omnes interficiunt, et arcem incendunt. Regiam paullo poſt impetunt atque inuadunt, duce Manahemo Iudæ Galilæi filio (qui capto Maſſada caſtello, et Herodis armamentario iſtic direpto, ſicarios ſuos armatos Hieroſolymam adduxerat) eaque expugnata et incenſa tyrannidem occupat Manahemus, ſed mox ab Eleazaro templi præfecto, in ipſo templo adorans interficitur, eiusque ſtipatores diſiiciuntur, et Maſſadam repetunt duce Eleazaro Iairi filio, qui genere Manahemo propinquus erat. Romanos, qui regia expugnata receperant ſe in turres Hippicon, Phaſaelum et Mariamnen, obſeſſos, tandemque ſe dedentes, ſeditioſi Hieroſolymitani, ipſo die ſabbati, contra fidem datam omnes inermes interficiunt. Eadem die Cæſareæ Iudæi omnes, illic habitantes, ab ethnicis cæſarienſibus inſtigante Floro interfecti ſunt, numero viginti millia. Hinc exacerbati per vniuerſam regionem Iudæi Syrorum vicos, et ciuitates finitimas, depopulati ſunt, Philadelphiam, Geraſam, Pellam, Scythopolim, Gadaram, Hipponem, Gaulanitidem, Ptolemaidem, Sebaſten, Aſcalona, Anthedona, et Gazam. Inde per vniuerſam Syriam Iudæorum in ciuitatibus commorantium a Syris cædes promiſcuæ, partim ex veteri in Iudæos, et eorum religionem, odio, partim rapinarum amore, partim vindictæ cupiditate. Soli Antiocheni, Apameni et Sidonii Iudæis incolis ſuis pepercerunt. Alexandriæ autem Aegypti metropoli excitata ſeditione quinquaginta millia Iudæorum vno die interfecta ſunt, immiſſis in eos duabus legionibus romanis.

Ceſtius Gallus Syriæ præſes, his motibus excitatus, Antiochia cum le- 66
gione duodecima et auxiliis regis Agrippæ, aliisque copiis, venit in Iudæam, et Ptolemaide inuadit Ioppen atque incendit, Cæſennium Gallum mittit in Galilæam, quam Sepphori receptus pacat, et Cæſaream venit. Ipſe Ceſtius feſto tabernaculorum incenſa Lydda, Hieroſolymam tendit, cui ad LX ſtadium occurrunt Hieroſolymitani, et dubia pugna decertatum eſt prope Bethoron, ſed mox maioribus copiis eos adgreſſus Ceſtius compulit in vrbem, in quam et ipſe irrupit IIII Octobr. inferioremque tenuit (vt et Bezetham et Cænopolim) per aliquot dies ciuitatem, indeque templum et ſuperiorem oppugnauit ciuitatem, facileque cepiſſet, ſi fortius in oppugnatione perſeueraſſet, populo Romanis tum fauente, ſolis ſeditioſis repugnantibus.

Verum Ceſtius mox quum prope eſſet, vt templum caperet, ſine vlla iuſta cauſa obſidionem ſoluit, atque Antipatrida ſe recepit, multis Romanorum et auxiliarium in itinere amiſſis, et cæſis a Iudæis, qui eos inſecuti ſunt, cum impedimentorum maiore parte, adeoque et machina-

rum,

An. rum, balliſtarum, et armorum (quæ fugientes Romani abiecerant) ma-
Ch. gna copia, quibus poſtea in Hieroſolymorum aduerſus Titi obſidionem propugnatione vſi ſunt Iudæi. Idque factum VIII Nouembr. anno Neronis XII.

Hac victoria elati Iudæi Hieroſolymam reuerſi, vrbis præfectos creant Ioſephum Gorionis filium, et Ananum pontificem, bellique duces varios et multos in ſingulas prouincias, ſiue toparchias, dimittunt, atque inter eos Ioſephum (belli huius iudaici ſcriptorem) in Galilæam amandant, in qua multis oppidis communitis et muro cinctis, rebusque omnibus ad ſuſtinendum bellum ordinatis, Romanorum impetum exſpectabat. Interim multi aduerſus eum motus, multæ et frequentes vrbium rebelliones excitantur arte et fraude Ioannis cuiusdam Leuiæ filii, et inuidia nonnullorum ex principibus hieroſolymitanis, qui Galilææ præfecturam ei ereptam volebant, ſed eorum omnes conatus, artes et conſilia fregit, atque eluſit prudentia et patientia ſua Ioſephus, qui Ioannem illum coegit Hieroſolymam cum ſuis ex Giſcala Galilææ oppido, quod munierat, confugere. Hieroſolymis autem Ananus vrbis præfectus omnia ad ſuſtinendum bellum neceſſaria parat, mœnia inſtaurat, bellica inſtrumenta, tela et arma curat fabricari per totam vrbem. Zelotas conatur ad ſanam mentem reuocare, ſed fruſtra. Simonem Gioræ filium latrocinia exercentem, et tyrannidem adfectantem, miſſo milite, conatur comprehendere, at is cum ſuis ad latrones, qui Maſſadam tenebant, effugit, vnde illi totam Iudæam et Idumæam latrociniis infeſtabant.

67 Porro Ceſtius miſſis ad Neronem (qui tum in Achaia erat) legatis ſtatum Iudææ turbatum renuntiat, Nero conturbatus Veſpaſianum eo mandat, Veſpaſianus autem, hoc accepto mandato, Titum filium Alexandriam mittit, vt inde quintam et decimam legiones in Iudæam adduceret, ipſe pedeſtri itinere ex Achaia in Aſiam transmittit, atque inde in Syriam et Antiochiam venit, vbi romanas copias et regum auxilia cogit, inde venit Ptolemaida, Sepphorimque Romanis fauentem recipit. Titus etiam Alexandria eodem venit cum duabus legionibus, copiæque omnes cum regum auxiliis eo conueniunt, numero ſexaginta millia tam peditum quam equitum, præter calones et impedimenta; Galilæam peruadit, Gadarenſium vrbem primo impetu capit, incendit, vaſtat, inde Iotapatam venit XXI die Maii, quam oppugnatam fortiterque a Ioſepho, qui iſtic erat cum imperio, defenſam, tandem poſt XL dierum obſidionem, vi capit, euertit et incendit, Calendis Iuliis anno Neronis XIII, Ioſephum in ſpecu latitantem capit, et vita donat, ſed captiuum tenet. Iotapata exciſa Veſpaſianus exercitum Cæſaream reducit, atque iſtic duas legiones collocat, vt ſe ab obſidionis labore reficerent, tertiam eodem conſilio et fine mittit Scythopolim, ipſe autem Cæſaream Philippi proficiſcitur, vbi ab Agrippa rege cum exercitu per viginti dies conuiuio exceptus eſt. Tum ad Tiberiadis et Tarichææ obſidionem ſe parat, et Tiberienſes quidem ſtatim ſe dederunt, ac precibus Agrippæ regis data eſt ciuitas, ne exſcinderetur. Tarichæa autem quum paſſa eſſet ſe obſideri, vi capta exciſa eſt.

His vrbibus receptis, vel exciſis, tota Galilæa ferme ad Romanos inclinabat, præter Gamalam in Gaulanitide, et Giſcalam atque Itaburium montem in Galilæa. Sed mox Gamala obſeſſa per menſem vnum, capta eſt XXIII die Octob. atque exciſa, et paullo ante mons Itaburius fuerat

etiam

etiam a Romanis captus. Mox Titus Giſcalam adgreditur, quæ a Ioanne cum ſuis ſeditioſis tenebatur, Titus oblatis pacis conditionibus Ioannes ſimulat ſe eas accipere, ſed nocte ſequente cum ſuis clam vrbe effugit, et Hieroſolymam ſe recipit, Titus vrbi parcit impoſito ei præſidio. Inde Cæſaream venit, Veſpaſianus autem Cæſarea Iamniam et Azotum profectus, vtramque ſubegit, Cæſareamque redit. *An. Ch.*

Interim per totam Iudæam diſſenſio oritur, aliis bellum cupientibus, aliis vero in Romanorum fide manere volentibus. Inde latronum globi et cunei per vniuerſam Iudæam excitantur, qui prædas ex iis agebant, qui pacis ſtudio tenebantur, deinde prædis onuſti Hieroſolymis recipiuntur, atque iſtic omnia cædibus, diſſenſionibus, diſcordiis et rapinis complent. Ac primo quidem Antipam, et non paucos alios nobiliſſimos et potentiſſimos ciuitatis viros, in vincula coniiciunt, moxque indicta cauſſa necant, calumniantes voluiſſe eos vrbem Romanis prodere. Quumque populus in eos eſſet inſurrecturus, illi templum occupant, eoque tamquam arce aduerſus populum vtuntur, atque iſtic ſorte ſummum creant pontificem Phanniam quemdam (alias *Phanazum*) hominem rudem plane et imperitum, neque ſacerdotalis ordinis. Aduerſus hos Zelotas (ſic enim ipſi ſe vocabant) Ananus et nobiliores pontifices populum excitant atque armant, et in templo ipſo oppugnant, adeoque et interiorem templi ambitum compellunt. Sed iſti litteris ad Idumæorum duces clam miſſis, quibus Ananum proditionis inſimulabant, ſe vero pro libertate patriæ pugnantes in templo obſideri conquerebantur, aduocant in ſuum auxilium Idumæos, hi ſtatim cum viginti millia hominum aduolant, quibus clam per noctem in vrbem et templum admiſſis a Zelotis, magna fit Hieroſolymitanorum ab vtrisque cædes, rapinæ, et incendia, nam octo millia ea nocte cæſa ſunt, et ſequentibus diebus Ananum aliisque ad duodecim millia ex nobilioribus interfecerunt, præter infinitam promiſcuam plebeculam. Sed paullo poſt Idumæos facti ſui pœnitentia ſubiit, quum Zelotarum ſcelera viderent, nec proditionis (cuius optimates accuſabantur) indicium vllum deprehendiſſent. Itaque ſolutis, ad duo millia iis qui vincti tenebantur in cuſtodia, domum Hieroſolyma relicta redeunt. His abeuntibus Zelotæ rurſus in ciues nobiliores ſæuire incipiunt crudelius quam antea, et nobiliſſimos quosque ac fortiſſimos necatos ne ſepeliri quidem patiebantur, maxime vero eos, quos ad Romanos transfugere velle ſuſpicabantur, nam obſeſſis viis transfugere volentes diligenter obſeruabant, necatosque inſepultos proiiciebant. Interim inter ipſos Zelotas oritur diſſenſio, Ioanne illo qui ex Giſcalis Hieroſolymam profugerat, tyrannidem inter eos adfectante, aliis vero, qui eum antea parem habuerant, ſuperiorem ferre recuſantibus. Verum illi ſic inter ſe diſſentientes, aduerſus plebem, ad eam diripendam, concordes erant. Quin et tota Iudæa metropoleos ſuæ, Hieroſolymorum nempe, exemplum veluti ſecuta, tota vbique latrociniis repletur, miſereque vexatur.

His diſcordiis, quibus ſe inuicem conficiebant Iudæi, et transfugarum vocibus excitatus Veſpaſianus, quibus eum ad ſeruandam et ſeditione illa leuandam patriam hortabantur, accingit ſe ad Hieroſolymorum obſidionem, et ne quid hoſtile poſt ſe (dum in obſidione occuparetur) relinqueret, ad reliquias belli et tumultus in transamnana regione exſtinguendas Gadaram cum exercitu venit, eo accitus a moderatioribus ciuibus, qui pacem bello præferebant, atque inde diffugientibus ſeditioſis

vrbem

An. Ch. vrbem capit, miſſoque Placido cum equitatu ad perſequendos fugientes, obtruncat omnes, totamque transiordananam regionem, ad lacum vsque Aſphaltitem (præter Machærunta caſtellum) occupat, conſtitutoque per vicos et præſidia in hibernis milite, Cæſaream venit, iſticque hiemem
68 agit. Vbi nuntio accepto de motibus in Gallia a Vindice excitatis, qui aduerſus Romanos Gallos armauerat, ad conficiendum propere bellum iudaicum accenditur. Itaque inſtante vere milite Cæſarea educto Iudæam peruadit totam atque Idumæam, eaque vaſtata, copias reducit, ac per Samariam Hierichunta ducit, vnde incolæ in oppoſitam Hieroſolymis montanam regionem diffugiunt, ſed eos perſecutos, iisque disiectis, Hierichunte atque alibi caſtris conſtitutis Iudæos vndique cingit, quumque Cæſaream reuerſus pararet cum toto exercitu ad Hieroſolymam obſidendam proficiſci, nuntiatur illi Neronis mors, quo nuntio accepto bellum in Iudæos diſtulit, Titumque filium ad Galbam, qui Neroni ſucceſſerat, mittit, vt ab eo mandata de bello iudaico acciperet. Titus in Achaiam naui delatus audit iſtic Galbam interfectum, itaque ſtatim ad patrem redit Cæſaream. Suſpenſi ergo, quaſi nutante imperio romano, iudaicum bellum differebant, patriæque metuentes alienigenas adgredi non exiſtimabant opportunum.

Interim Simon Gioræ filius (de quo iam aliquid ſupra dictum eſt) iuuenis audax viribusque præſtans, Maſſada, quo ad ſicarios confugerat, profectus in Iudææ loca montana, ſeruis ad libertatem vocatis, liberisque præmium pollicitus, breui comparata latronum manu, paullatimque auctis copiis, non vicos modo populabatur, ſed et vrbes adgrediebatur, eoque breui potentiæ prouectus eſt, vt totam Idumæam ſibi ſubiiceret, Iudæamque vaſtaret, moxque Hieroſolymam defenderet, atque iſtic prope vrbem caſtris poſitis, terrori eſſet tum Hieroſolymitanis, tum ipſis Zelotis; atque ſic vtrimque premebantur ciues hieroſolymitani, intus nempe a Zelotis, quibus Ioannes præerat, foris vero a Simone homine ſæuiſſimo. Interim Idumæi, qui a partibus Ioannis ſtabant, et inter copias eius erant, ab eo disſidentes et cum eo congreſſi multos Zelotarum perimunt, et Ioannis aula capta et incenſa eum cum ſuis in templum compellunt, veriti autem vna cum ciuibus, ne noctu in ciuitatem excurreret, eamque vaſtaret, vt ſe ab eo tuerentur, conſilio capto, Simonem arceſſunt, atque intra vrbem admittunt, quo recepto templum oppugnant, ſed fortiter pugnantibus Zelotis, fruſtra expugnare tentant.

69 Veſpaſianus autem Cæſareæ accepta Galbæ et Othonis nece, Vitelliumque ex Germania in Italiam venire occupaturum imperium, ab exercitu Imperator ſalutatur, miſſoque Alexandriam Aegypti præfectum cum duabus iſtic legionibus in partes ſuas adliceret (quod et ſtatim obtinuit) ipſe Berytum venit et Antiochiam, vnde Mutianum in Italiam cum copiis mittit, ipſe vero Alexandriam proficiſcitur. In Mœſia autem Antonius primus Veſpaſiani partes ſecutus legionem tertiam in Italiam aduerſus Vitellium duxit, commiſſoque ad Cremonam aduerſus Vitellianos prœlio eos fugat et cædit, tum Romam veniens et Mutiano iunctus in media vrbe Vitellii exercitum fundit, et Vitellium ipſum per medium forum tractum iugulat. Mutianus Domitianum Veſpaſiani filium, interim dum pater ex Syria aduenit, principem conſtituit. Veſpaſianus his Alexandriæ auditis, Titum filium in Iudæam cum copiis mittit, ad conficiendas belli iudaici reliquias, ipſe autem in Italiam nauigat.

Porro

Porro interim dum Titus Alexandriæ adhuc hæret, hieroſolymitana factio trifariam diuiditur, nam Simon, quem Hieroſolymitani aduerſus Ioannem arceſſiuerant et admiſerant, ſuperiorem tenebat ciuitatem, et inferioris partem aliquam, Ioannes autem cum Zelotis templum et inferioris ciuitatis partem aliam occupabat. Huius autem factio in duas rurſum ſcinditur, nam Eleazarus, qui primus fuerat Zelotarum in initio dux atque rector, ægre ferens Ioannem audacia et artibus ſuis imperium ad ſe traxiſſe, omniaque iam pro arbitrio agere atque adminiſtrare, ab eo, adſcitis ſecum nonnullis aliis, ſecedit, et cum ſuis interius templi ſeptum occupat, atque inde aduerſus Ioannem depugnat, numero quidem ſequacium longe illi inferior, ſed loci ſitu et qualitate ſuperior. Ita Ioanni, qui templi exteriorem ambitum porticusque tenebat, duplex incumbebat bellum, alterum aduerſus Eleazarum, alterum vero aduerſus Simonem: et ſic quidem alii aduerſus alios pugnantes pleraque, quæ circa templum erant, incenderunt, frumentum, aliaque ad victum neceſſaria corruperunt, quæ illis in multum tempus ſufficere potuiſſent, quibus corruptis et abſumtis, fame poſtea, quum a Romanis obſiderentur, oppreſſi ſunt.

An. Ch.

Titus autem Alexandria Cæſaream profectus, atque iſtic coactis copiis, quatuor nempe legionibus, cum auxiliaribus regum vicinorum, 70 Hieroſolymam contendit, contraque eam ſexto, ſeptimoque ſtadio caſtra ponit paullo ante azymorum diem feſtum, eoque infinitam hominum multitudinem, quæ ad feſtum de more adſcenderat, in ciuitate concludit, a qua alimenta, et victui neceſſaria breui conſumta ſunt omnia, vnde ſtatim fames ſæuiſſima ciuitatem oppreſſit, cuius exemplum horrendum et memorandum, matris filiolum deuorantis, per id tempus iſtic contigit. Ipſo autem die feſto azymorum, XIIII Aprilis, quum Eleazarus, qui templum interius occupauerat, populo ſacrificare volenti portas templi aperuiſſet, Ioannes temporis opportunitate vſus ſubmittit cum populo de ſuis non paucos, qui ſub veſte gladiis occulte armati, et cum promiſcua multitudine admiſſi Eleazarum cum ſuis inuadunt, interiusque templi ſeptum cum multa Zelotarum cæde occupant: atque ſic factio, quæ prius tripartita fuerat, ad duas rediit, Ioannis nimirum vnam, qui numero fuerunt 8400, Simonis vero alteram, quo cum erant decem millia hominum, et præterea Idumæorum quinque millia.

Titus autem propius ad mœnia accedens, iuxta turrem Pſephinam caſtra ponit, et aggere propere iacto, ariete murum quatit, vique deiicit, et in vrbem perrupto priore muro, cedentibus intro Iudæis, irrumpit V Non. Maias, atque totam ſeptemtrionalem vrbis regionem, vsque ad Antoniam arcem et vallem Cedron, occupat. Quinto poſt die turri quadam ſecundi muri a plaga ſeptemtrionali ariete concuſſa atque deiecta, vrbe noua inferiore potitur, a qua ſtatim repulſus a Iudæis, quarto tamen poſt die eam rurſus occupat, ſeque ad tertii muri oppugnationem accingit. Atque XII die Maii quatuor aggeres iaci iuſſit, duos ad Antoniam, qua templum, totidem ad Ioannis pontificis monumentum, qua ſuperiorem ciuitatem capere ſe poſſe ſperabat, et ad Antoniam quidem Ioannes, ad Ioannis autem monumentum Simon Romanis reſiſtebat. Aggeribus illis XXIX die Maii perfectis per XVII dies, et murum iam quatere incipientibus Romanis, Ioannes acto ex Antonia cuniculo, alterum deiicit et ſuccendit, Simon autem biduo poſt, irruptione ex vrbe

facta,

facta, duos aggeres ſibi oppoſitos incendit, cum arietibus et machinis multis, adeoque et in ipſis caſtris Romanos Iudæi adgrediuntur, ſed a Tito ab Antonia adueniente in vrbem compelluntur.

Aggeribus ſic corruptis et incenſis, viſum eſt Tito nouos erigere, quibus oppugnaret ciuitatem, et muro vrbem circumdare, ne quis ex ea effugere poſſet, neue quid in eam inferri. Itaque tridui ſpatio vrbem muro circumuallauit, ambitu XXXIX ſtadiorum, additis per circumitum XIII caſtellis ambitum X ſtadiorum complectentibus. Vnde fames in vrbe inualuit, ſæuiſſimeque graſſata eſt, ita vt ea non plebs dumtaxat et populus paſſim occumberent, ſed ipſi etiam ſeditioſi premerentur, tantusque fuit fame et lue pereuntium in vrbe numerus, vt a XIIII die Aprilis (quo cœpta eſt obſidio) ad Calendas Iulii, per vnam portam (referente quodam Mannæo transfuga, qui iſti rei præerat) elata ſint pauperum 115800 cadauera, quæ ſumtu publico mercede numerata humabantur, præter eos qui a propinquis et familiaribus efferebantur, paullo poſt ab aliis transfugis cognitum eſt 94000 funerum portis eſſe elata: denique quum efferendis pauperibus ſufficere amplius non poſſent, collatis et congeſtis in ingentes cumulos (in vacuis domibus) cadaueribus, ædes claudebant. Sepultura autem eorum, qui efferebantur, alia non erat, niſi quod de muris in ſubiectas valles ea proiiciebant, quibus valles ſic compleuerunt.

Interim Simon intus cædibus et rapinis non abſtinebat, nam Matthiam pontificem, cuius opera in vrbem admiſſus fuerat, proditionis inſimulatum, quaſi ad Romanos vellet transfugere, cum tribus filiis, aliisque ſedecim ex nobilioribus populi indemnatos necauit, tantaque ſæuitia graſſatus eſt, vt Iudas quidam vnus ex ipſius præfectis, crudelitatem eius pertæſus agitauerit de tradenda Romanis turri quadam, cuius cuſtodiæ præpoſitus erat, ſed a Simone occupatus, cum decem eiusdem conſilii ſociis interfectus eſt. Ioannes autem in templo neceſſitate adactus res ſacras, vaſa aurea, argentea, templique ſacram pecuniam, in proprium et prophanum vſum conuertit, quin et ſacrum oleum et vinum, ſacrificiorum libaminibus dicata, militibus ſuis coactus eſt diſtribuere.

Titus autem conquiſita vndique materia, et excisis ad XC vsque ſtadium lucis et arboribus omnibus, aggeres nouos magno labore intra dies XXI exſtrui curauit, et circa Antoniam quidem quatuor, ſingulos a ſingulis Antoniæ arcis lateribus erexit, quos quum Ioannes timide, perturbate et fruſtra adgreſſus eſſet, a Romanis repulſus, Calendis Iulii arietem admouere cœperunt muro Antoniæ Romani, eoque concuſſo mox V die Iulii in Antoniam, fruſtra repugnantibus Iudæis, irrumpunt, indeque in templum refugientes Iudæos inſequuntur; ſed aliquamdiu repulſi Romani tandem poſt multam pugnam, XVII die Iulii (qua die in templo iuge ſacrificium, ἐντελεχισμός, virorum qui illud curarent penuria, defecerat) fruſtra ſeditioſos per Ioſephum Titus adhortatus ad deditionem faciendam, ſeptimo poſt die admotis aggeribus, quorum materia a centeſimo ſtadio comportabatur, et euerſis Antoniæ fundamentis, ad templum vsque facilem efficiens adſcenſum, et per Antoniam irrumpens, porticus ſeptemtrionalem et occidentalem exterioris ſepti templi occupat, quarum pars, quæ Antoniæ iungebatur, a Iudæis immiſſo igne incenſa fuerat et diruta, pars altera biduo poſt a Romanis incenditur XXIIII die Iulii, Iudæis incendium non reſtinguentibus, ſed ſerpere ſinen-

ſinentibus, vt ſic porticus ab Antonia omnino dirimerentur. XXVII autem die Iudæi rurſus occidentem porticum ad pontem vſque, qui in xyſtum ducebat, exurunt, vnaque Romanos plurimos, qui in eam (refugientibus vltro Iudæis) adſcenderant; poſtera vero die Romani ſeptemtrionalem totam ad orientalem vſque incendunt.

Octauo autem die Auguſti, quum nec arietibus pulſando interioris ſepti murum quidquam promoueret Titus, neque portarum fundamenta ſuffodiendo, propter lapidum magnitudinem et validam iuncturam, neque ſcalis in porticus adſcendere potuiſſent Romani, Iudæis deſuper fortiter repugnantibus, quod diſtulerat loci reuerentia motus, tandem neceſſitate coactus interioris ſepti templi portis ignem admoueri iuſſit, quibus incenſis ſimul iunctæ illis porticus inflammantur, ſpectantibus et ſtupentibus Iudæis, nec incendium præ ſtupore prohibentibus, aut reſtinguere conantibus, totaque illa die, et ſequenti nocte, arſerunt porticus. Quumque cum ducibus decreuiſſet Titus templum ab incendio ſeruare, obtinere tamen id non potuit, die enim X Auguſti, quum Romani, qui in exteriore templi ſepto excubabant, a Iudæis laceſſiti impetum in eos feciſſent, qui ignem interioris ſepti exſtinguebant, eosque in ipſum templum compuliſſent, romanus miles, rapto ex incendio titione, a ſocio ſublatus in humerum per feneſtram auream ignem in domos ſeu cellas circa templum conſtructas a ſeptemtrionali parte reiicit, quas corripiens ſtatim ignis templum ipſum illis iunctum, (fruſtra Tito incendium reſtinguere militibus iubente) ſimul inflammat anno Veſpaſiani ſecundo, eodem menſe, eodemque menſis die, quo prius a Nabuchodonozore fuerat incenſum, annis MCXX menſibus VII diebus XV poſtquam primo fuerat a Solomone exſtructum, annis vero DCXXXIX diebus XLV poſtquam ſecundo fuerat iuſſu Cyri (anno ipſius ſecundo) hortante Aggæo Propheta, conſtructum. Magna in porticibus, et circa altare, hominum ſtrages facta eſt, dum ſeditioſi interim, impreſſione in milites romanos facta, primo in exteriorem porticum orientalem, atque inde in ciuitatem, ſe recipiunt.

Miſerabilis iſtius templi et ciuitatis excidii multa fuere Iudæis prodigia et oſtenta diuinitus miſſa, quibus tamen nequaquam ſe moueri paſſi ſunt. Nam primo, Ieſus quidam Anani filius, homo plebeius et ruſticus, quadriennio ante Iudæorum a Romanis defectionem cœptumque bellum, in ſumma vrbis pace atque opulentia, Albino præſide, die feſto tabernaculorum repente (quaſi ἐνθουσιαζόμενος) cœpit exclamare, *Vox ab oriente, vox ab occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hieroſolymam et templum, vox in totum populum*, atque hæc diu noctuque clamitans et inculcans omnes ciuitatis vicos circumibat, horrendum *Væ Hieroſolymis* perpetuo intonans: neque minis vllis aut verberibus plagiſue, quibus excruciatus fuit ab Albino, deterreri potuit a propoſito et incœpto, quin per annos ſeptem et menſes quinque continuos idem perpetuo inculcaret, donec obſidionis tempore, quum ſupra murum circumiens *Væ ciuitati ac populo, et templo* clamaret, ſubito lapis tormento emiſſus clamantem *Væ etiam mihi* oppreſſit. Deinde, ante bellum cometes, gladio ſimilis, viſus eſt annum totum vrbi imminere, tum et azymorum die feſto, VIII Aprilis, hora noctis nona ſubito altare et templum lux tanta circumfulſit per dimidiam horam, vt clarus dies videretur. Item bos ad altare adducta agnum in medio templo enixa eſt. Porta etiam orientalis ænea, eaque grauiſſima, quum vix a 20 hominibus ſub veſperam clauſa fuiſſet, peſſuliſque ferratis craſſiſſimis obſerata, ſponte hora noctis ſexta patefacta eſt. Paucis autem poſt feſtum diebus, nempe XXVII die

 Maii,

Maii, viſi ſunt paullo ante ſolis occaſum currus, et acies armatæ, per aera in nubibus concurrere, ciuitatemque circumdare. Quin et pentecoſtes die ſacro, nocte ſacerdotes interius templi ſeptum ad ſacra celebranda ingreſſi, primo quidem motum ſtrepitumque ſenſerunt, mox vero ſubitam vocem audiuere clamantem, *Migremus hinc*. Sed ad hæc omnia Iudæi amentes cæcutiebant, et obſurdeſcebant, in propriam perniciem vltro ruentes, oraculo quodam ad bellum iſtud excitati, quo imperium orbis terrarum promittebatur cuidam, qui ex Iudæa tum temporis exoriturus eſſet; hoc enim illi ad ſe pertinere arbitrabantur, quum potius (ex Ioſephi quidem ſententia) ad Veſpaſianum ſpectaret, qui in Iudæa Romanorum imperator ab exercitu renuntiatus eſt.

Porro Titus expilato et incenſo templo, ſignisque in orientali templi porta conſtitutis, peractoque iſtic ſacrificio, Imperator ab exercitu proclamatur, moxque ſeditioſos, qui in ſuperiorem ciuitatem confugerant, de ponte, quo templum ciuitati coniungitur ſuper xyſtum, per interpretem ad deditionem cohortatus, quum recuſarent ſe illius fidei committere, licet vitam illis indulgeret, poſtularentque vt ſibi cum liberis et vxoribus vrbe in deſertum exire liceret, indignatus Titus extremum illis denuntiat interitum, totamque inferiorem vrbem et Acram, quam occupauerat, iuſſit incendi. Superiorem autem ciuitatem in prærupto vndique loco ſitam oppugnare cœpit, aggeribus XX die Auguſti iaci cœptis, perfectisque VII die Septemb. machinas mœnibus admouet, perruptoque muro, et diffugientibus præ metu et conſternatione tyrannis cum ſuis ſatellitibus, Romani VIII die Septemb. irrumpunt, omniaque ferro et flamma vaſtant.

Capta ſunt in vrbis expugnatione toto belli tempore nonaginta ſeptem millia hominum, perierunt in obſidione octoginta nouem millia. Ex omnibus enim partibus Hieroſolymam ad feſtum azymorum confluxerant Iudæi, vbi a Tito vrbem obſidione cingente concluſi, primo quidem, ob loci anguſtiam, peſtifera lue, deinde etiam fame, conſumti ſunt. Tantam autem, duploque maiorem, ſolitam eſſe eo confluere hominum multitudinem, compertum eſt ſub Ceſtio, iuſſu eius numeratis feſto azymorum agnis paſchalibus, quorum ſingulis abſumendis deni, vt minimum, ex legis præſcripto conuenire debent, ſæpe etiam viceni conueniunt, numerata ſunt autem tum temporis hoſtiarum 256 millia, ex quibus conficitur adfuiſſe feſto 2700 millia hominum ab omni legali immunditia purorum.

Sic capta eſt a Tito Hieroſolyma anno Veſpaſiani patris ſecundo, Septemb. die VIII quæ ſexies in vniuerſum capta fuit, bis autem euerſa. Et capta quidem, at non euerſa, fuit primo, ab Aegypti rege Aſochæo; ſecundo, ab Antiocho Epiphane; tertio, a Pompeio; quarto, ab Herode et Soſio. Euerſa autem primo fuit a Nabuchodonozore; ſecundo, a Tito Veſpaſiano. Condita fuerat primo a Melchiſedeco rege Salem, dein aucta a Dauide rege. Euerſa autem a Babyloniis fuit annis 1468, menſibus ſex, ex quo primum condita fuerat, annis autem 477, menſibus ſex, poſtquam a Dauide Chananæis fuerat erepta. A Tito vero Veſpaſiano euerſa fuit annis 1179, poſtquam a Dauide occupata fuerat, a prima vero eius conſtructione ad vltimum eius excidium anni ſunt 2177.

Capti ſunt in cloacis latitantes tyranni duo, Ioannes et Simon, quorum ille perpetuis vinculis damnatus, iſte triumpho adſeruatus eſt, atque in eo necatus. In iisdem cloacis inuenta ſunt duo millia hominum, qui vel fame contabuerant, vel mutuis vulneribus occubuerant, ne ſe Romanis dederent. Vrbem totam, et templum funditus euerti et complanari iubet Titus

tus (eique de more induci aratrum) excepta occidentali dumtaxat muri parte, turribusque tribus, Hippico, Phaſaelo, et Mariamne, quas ob elegantiam, et fortitudinem inſignem, voluit poſteris relinqui documentum magnificentiæ vrbis illius.

Ipſe autem relicta Hieroſolymæ decima legione, vt eſſet toti regioni præſidio, duodecimam, quæ infeliciter ſub Ceſtio pugnauerat, tota Syria pellit, et ad Euphratem in Armeniæ confinio ablegat. Ipſe eum V et XV legione Cæſaream venit, quo omnem prædam et manubias, captiuosque coegit, vbi et Beryti et Antiochiæ, et per omnes Syriæ ciuitates magna cum pompa exceptus, patris Veſpaſiani natalem imperii diem magnifice celebrauit.

Indeque per Iudæam et Hieroſolymam V et XV legione comitatus in Aegyptum Alexandriam contendit, atque inde Romam nauigat, vbi omnium votis exceptus, ſumma cum pompa triumphum egit de Iudæa ſubacta: Templum Paci magnificentiſſimum a Veſpaſiano exſtructum eſt, in quod pretioſisſima quæque, et in toto orbe maxime viſenda contulit et congeſſit, adeoque et templi Iudæorum vaſa omnia et inſtrumenta aurea. Vela autem illa pretioſisſima, quæ de templi portis pendebant, vna cum legis libro ſacro, in palatio ſeruari iuſſit.

In Iudæam autem legatus miſſus eſt Lucilius Baſſus, qui accepto a cereali exercitu, caſtellum Herodion cum præſidio deditione accepit, mox Machærunta, fortisſimum caſtellum vltra Iordanem, oppugnat, tandemque capit. Ei poſtea mortuo ſuccedit in adminiſtratione Iudææ Publius Sylua, qui inexpugnabilem prorſus arcem Maſſadam, ab Eleazaro Iudæ Galilæi nepote ſicaniorum duce occupata, tandem vi expugnat April. XV die, omnibus qui in ea erant arce ſicariis, numero 960 cum vxoribus et liberis, Eleazari hortatu ſeſe mutuis vulneribus ad vnum conficientibus, incenſa prius cum omni ſupellectile arce, ne in Romanorum poteſtatem venirent. Atque ita omnes belli iudaici reliquiæ ſublatæ ſunt, totaque Iudæa eſt pacata. Sicariorum autem multi e Iudæa dilapſi, et in Aegyptum profugi Alexandriam veniunt, vbi Iudæos ad defectionem ſollicitant, ſed plebs a primariis perſuaſa in ſicarios illos irruit, 600 eorum capit, quos Romanis tradit ſupplicio adficiendos, reliqui per Aegyptum et Thebas dilapſi capiuntur etiam, eaque de re monitus Cæſar iubet Lupo, Alexandriæ tum rectori, vt templum Iudæorum (quod in Aegypto olim ab Onia, ſummi pontificis fratre, exſtructum fuerat) dirueret. Sed Lupus ablatis tantum quibusdam donariis templum claudere contentus fuit. At Paulinus, eius in adminiſtratione ſucceſſor, ablatis omnibus donariis, foribus occluſis ita inacceſſum fecit, vt ne veſtigium quidem religionis iſtic remaneret, idque annis 343 poſtquam primo conditum fuerat.

Ne paginæ quædam vacuæ relinquantur, non abs re viſum eſt, addere GOTHOFREDI VOCKERODT Conſultationem IIII de puerili latini ſermonis exercitatione expeditiore: ſiue Diſſertationem de pretio et vſu ſingulari BIBLIORVM LATINORVM CASTELLIONIS; quæ editioni nouæ N. T. latini Caſtellionis in 8. cI) I)cXCIIII olim præmiſſa fuit.

CAPVT I.

DE SCRIPTIONVM CASTELLIONIS PRETIO.

SVMMA.

I. Eæ hodie vulgo neglectæ: bonorum librorum fata, maxime in pium ſcholarum vſum ſcriptorum. II. Auctoris patria, ſtudia, monumenta qualia? III. Oppugnata latina eius Bibliorum verſio, et defenſa Melanchthonis de ſcribendi illius ratione iudicio. IIII. Singulares auctoris dotes propter quas ſcripta eius iterum edi merentur. V. Huetii et Sammarthani teſtimonia de eodem.

I.

NOVI fœderis codex latinus, SEBASTIANO CASTELLIONE interprete, typis elegantiſſimis, et commoda forma, quam fieri potuit, emendatiſſime impreſſus, luci publicæ, et vſibus deſideratiſſimis hic redditur. Iacuit cum antiqui fœderis volumine, et aliis ingenii monumentis, quæ iſte auctor in vſus præclaros diligentiſſime confecit, diu, et fere ex quo illa nouitatis gratiam exuerunt, neglectus, ſituque obſitus, vt non ex vſu modo; ſed etiam e ciuium noſtrorum memoria pæne exciderit: perpetuo quidem inutilium, et inficetarum ſcriptionum fato; non raro tamen optimis, et vtiliſſimis, iis in primis, quæ non adeo publici ſaporis ſunt, communi. Contingit illud hac noſtra tempeſtate, inclinatis rebus chriſtianis, eius præſertim generis libris, qui veris et æternis hominum commodis deſtinati ſunt; et huius rei procurationem caſte, ſancte, et ſerio adminiſtrant, ſolo publicæ vtilitatis, et ſalutis auctoramento, ſine vanitate, partium ſtudio, inanium artium oſtentatione, et ſæcularium ornamentorum apparatu. Solemnis illa impuri veteratoris impoſtura eſt, vtiles piorum et eruditorum virorum labores, ſi intercipere non poteſt, maledictis inceſſere, accuſare, et omni ratione infamare: ac, ſi veritatis et innocentiæ viribus repellitur, ſubducere ex oculis hominum, quæ non poterat deſtruere. Prorſus omnem artis veteratoriæ conatum conuertit, effunditque in litteratorum hominum operas, quibus res ſcholaſtica iuuari, et ornari, puerique cum liberalibus artibus ſanctis moribus imbui poterant: quas ſi exſtinguere non valet, obſcurare; vel inutilium aliarum præceptionum mole opprimere laborat. Ita manet perpetuum ſcholarum malum, quod melioribus inſtitutis ſurrogentur deteriora. Hæc, ni fallor, cauſſa fuit, quod nunc a plerisque ludis litterariis CASTELLIONIS *dialogi ſacri* exſulent, olim ſummo plauſu excepti, et propter dictionis puritatem et caſtitatem, argumenti facilitatem, et ſanctitatem non ſine ſingulari, et prono linguæ romanæ, et pietatis profectu pueris prælecti; Biblia vero latine ab eo reddita, ſuperſtite auctore ſæpius typis exſcripta, tractu temporis neglecta ſint, et nunc ferme ignorentur.

II. Etenim auctor, homo Allobrox, optimis artibus et rectis ſtudiis, quamdiu vixit, deditus: vixit autem, floruitque vsque ad LXIII ſuperioris ſæculi annum, XV natus: Græcas litteras XIIX annos Baſileæ profeſſus, bonarum artium profeſſionem adeo non malis moribus, multorum ritu, corrupit, vt potius copioſiſſimam, quam improbo labore conſecutus eſt, eruditionem, cum ſanctis et chriſtianis moribus, et inculpato vitæ actu coniunxerit, et ſcriptos in eam rem libros ediderit, et vulgarit, quibus ratam raræ diuinæque dotis vtriusque mixturam mirifice expreſſit. Certe omnia, quæ vir iſte rei ſcholaſticæ ornandæ, et ſacrarum litterarum illuſtrandarum cauſſa compoſuit, ingenii monumenta hunc colorem præ ſe ferunt, vt quantopere ſacro hoc lenocinio lectores bonæ mentis inuitant, demulcentque, tantopere malignos, et profanos, ad mentionem ſanctioris litteraturæ nauſeantes a ſui lectione, abſterreant, et triſtes, contemtoresque dimittant. III.

III. Qui dictionem, qua in interpretandis ſacris litteris vſus eſt, infamant, et *καταχρήσεις, ἀκυρολογίας*, et latini ſermonis intemperiem ei exprobrant, nimis acute vident. Deſinent autem maligne ſentire, ſi inſtituti ratione, viri ingenio et artium, quibus innutritus eſt, indole rem totam metientur. Agnoſcent potius accuratam romani ſermonis cuſtodiam, vbi materia non prorſus repugnat; quam nonnunquam inflectit; ſed adeo non detorquet, vt græci, hebraicique ſermonis expreſſurus indolem, non raro ab inſtituti ſui legibus diſceſſiſſe videatur. Deprehendent, curioſam latinæ dictionis adfectationem non modo ſine animi vanitate ab auctore eſſe adhibitam, ſed etiam obſcuris interdum rebus lucem fenerari. Dudum ſummi et ſapientiſſimi viri legitimæ interpretationis laudem ei tribuerunt: orationem facilem, explicatam, dilucidam, ſuauem, concinnam, et diſertam; verba pura, et latina, et quæ propius naturam, notationemque græcæ, hebraicæque locutionis attingunt. *Philippus Melanchthon* ita ad eum ſcribit: *Conſpecta forma orationis tuæ, ſemper te magnifeci! Eſt enim, vt ſcis, ingenii, prudentiæ, iudicii, et veræ etiam virtutis index recta, et elegans oratio. Quare quum illa tua ornamenta conſiderarem, ne fieri quidem potuit, quin te diligerem: etiamſi familiaritas nulla fuit; ſuntque multi teſtes ſermonum meorum, quos de te honorificos ſæpe inter amicos habeo.*

IIII. At, inquis, communia ſunt multis iſta ornamenta, quorum ſcripta dudum in obſcuritate et ſilentio reponuntur. Ita eſt; ſed habet tamen CASTELLIO ſingularia laudis argumenta, et virtutes pæne diuinas, propter quas vindicare ab obliuione et ſitu ſcripta eius, par erat. Sic prorſus iis videbitur, qui cogitabunt, quibus præſidiis ſuccinctus interpretari ſacras ſcripturas adgreſſus ſit; et qua religione, modeſtia, et diligentia id fuerit exſecutus? Latine, græce, et hebraice doctiſſimus omnes ingenii et doctrinæ opes, quibus opus fuit, ad hoc negotium attulit; quod tamen ita tractauit, vt nihil ingenii viribus arrogaret: non confideret eruditionis apparatu; ſed a Deo obſcurorum locorum intelligentiam precibus efflagitaret. Neque præcipiti vſus eſt feſtinatione in proferendis operis ſuis in lucem et adſpectum hominum: diligentiſſime, et exquiſito labore confectas, perfectaſque multos annos domi preſſit, trutinauit, expendit, limauit. Poſtquam extruſit, quam modeſte de iis ſentit? quam ingenue in difficili, et longo opere errores non paucos agnoſcit? quam ſubmiſſe veniam ſibi dari, et admoneri rogat? quam libenter aliis, qui translationem meliorem in lucem prolaturi ſint, ſe ceſſurum, pollicetur? Quam plenum modeſtiæ verbum, et index animi candidi ſuæque humanitatis memoris eſt illud, quod alicubi adſcripſit: (Eſa. XXVII. 6. 7.) *hos verſus non intelligo*; ideoque de translatione mea dubito.

V. Obuia hæc inuſitati candoris nota voces criminoſas, quas ſummo viro, *Petro Danieli Huetio*, priuata forſan ſectæ cauſſa in noſtrum auctorem expreſſerat, inter manus frangit, eliditque. Quum enim interpretationem eius appellaſſet *intemperantiſſimam* (de claris Interpr. p. 190.) eique obieciſſet *faſtidioſam venuſtatem, nimiam curaturam*, addit: *homo ceteroquin ſimplex, et ab omni faſtu alienus: vt de eo vere ſcripſit Sammarthanus: et eximiam in operis ſui præfatione ingenuitatem et candorem præ ſe ferens, proptereaque a nobis ſine contumelia dimittendus.* Clariora et pleniora documenta, ex quibus, quo loco eſſe debeant CASTELLIONIS Biblia Latina, et viri virtus, cognoſci, et iudicari poteſt? ſuppeditabunt præfationes, quas auctor vtriusque fœderis codici præmiſit. Eædem hic in fronte operis præſentis ſubiiciuntur in experimentum publici ſaporis. Ex huius enim libelli fortuna ratio conſtabit integri operis e ſitu et tenebris eruendi, vel relinquendi. Quod ſi placuerit forma, et typus, eadem ratione reliquæ codicis ſacri partes, paruis voluminibus diuiſæ, ſubſequentur.

CAPVT II.

DE VSV N. T. LATINI CASTELLIONIS.

SVMMA.

I. Ad linguæ cuiusque exercendæ vſum accommodata lectio N. T ea lingua expreſſi. II. Ad latini ſermonis exercitationem primam adiuuandam; et expeditam reddendam aptior N. T. latini, quam aliarum latinarum ſcriptionum lectio. III. Puerilis progreſſus in latina lingua diſcenda impedimenta vnde? tolli poſſe adhibita, præter alia, et ſolemnia exercitationis ſubſidia, verſione N. T. latina. IIII. Huius tractandæ modus commodus: V. rite tractatæ fructus, et ſucceſſus. Ad hoc inſtitutum aptiſſima Caſtellionis interpretatio.

I.

QVIS interim huius libelli vſus ſingularis eſſe poſſit, paucis accipe! NOVVM TESTAMENTVM, præter diuiniores et ſacratiſſimos vſus, commodiſſimum etiam diſcendarum linguarum inſtrumentum eſſe, crebris noſtra tempeſtate, qua linguarum ſtudia maxime vigent, cognitum eſt (a) experimentis. Non græcæ modo litteraturæ pleris-

(a) Linguarum ſtudio, et peritia ſpectatiſſimus, IOBVS LVDOLFVS p. m. quum eius ſalutandi, et conſilii de linguis diſcendis exquirendi mihi, Ienæ adhuc verſanti, eſſet occaſio, ſerio adfirmabat, nullam cuiuscunque linguæ diſcendæ rationem eſſe commodiorem, et ad progreſſus celeres faciendos aptiorem, quam ſi expreſſum ea lingua, cuius ſtudio quis teneretur, N.T. diligenter legeret; ſeque hoc modo linguas, quas calleret, didiciſſe omnes:

plerisque in eo tirocinium eſt; ſed, qui variarum linguarum facultatem ſibi parare inſtituunt, prima rudimenta nullo negotio arripient, ſi NOVVM TESTAMENTVM, eo ſermonis genere expoſitum, quem diſcere geſtiunt, diligenter legant. Hac via non pauci antiquarum, Syriacæ, Arabicæ, Copricæ, et Aethiopicæ non minus, quam Hiſpanicæ, Gallicæ, Italicæ, Anglicæ, aliarumque linguarum, quæ adhuc hodie in Europa populari ſermone vſurpantur, notitiam ſunt conſecuti. Pronus enim hic et facilis eſt profectus propter argumenti familiaritatem. Verbis claritatem, et ſententiis facilem intelligentiam conciliat res præuiſa, et materia a pueris nota. Cuius enim aures, qui in chriſtiana republica verſatur, non perſonant Chriſti et Apoſtolorum dictis, factisque?

II. Quis vero neget, pari ratione diſci poſſe linguam latinam? Cognitis enim generatim nominum, verborumque flexionibus, et eorum ſtructura, rectius et felicius prima lectionis et interpretationis exercitatio in accurata NOVI TESTAMENTI verſione poni poſſe videtur, quam in veterum ſcriptorum monumentis: quorum intelligentia impeditior eſt, et a diffuſa doctrina, longaque exercitatione pendet: vel in nouitiis commentis, non minus ſæpe a genio linguæ romanæ, quam captu puerili abhorrentibus.

III. Certe occupanda ſunt teneræ ætatis ſpatia, veteris eloquentiæ nondum capacia; et poſt præcepta grammatica elementa, et qualemcumque vocabulorum apparatum mature proponenda eſt exercenda latinæ linguæ in ſermonis contextu materia: alias, quod vulgo fit, poſtquam plures annos puerorum ingenia torſerunt Grammaticorum regulæ, hoc tantum ſub ſeuera diſciplina proficiunt, vt quum ad legendos interpretandosque linguæ auctores acceſſerint, putent, ſe in alium terrarum orbem delatos. Quare grammatico curriculo dudum *orbis picti, ſcholæ latinitatis, et ſcholaſticæ eruditionis apparatus* ſuccenturiati ſunt a rei ſcholaſticæ conſultis, non improbando conſilio, vtinam pari ſucceſſu! Cui obſtare videtur, quod, dum ex illis operum quotidianorum penſa ediſcenda proponuntur, vel particulatim a magiſtro explanantur, diſcentium ſtudium nec ſatis excitatur, nec facile retinetur. Nam in iſtos libellos vniuerſæ linguæ opes ſummatim conducuntur, et concluduntur: vnde curſum lectionis impedit multiplex, et noua ſemper materia, nouæ, et cumulatæ rerum, ſæpe obſcurarum, notiones, quibus impatiens ætas obruitur et laſſatur; curriculumque præſcriptum cum faſtidio, ſub triſti diſciplinæ lege, emetitur, dum ab ignotis numquam ad notiora procedit: quod alias mirifice ſolet oblectare diſcentes. Hoc pacto fit, vt rerum ſuarum incurioſi tirones trahant latini ſermonis ſtudium, extrahantque in maturos adoleſcentiæ annos, ſine profectu inſigniore. Quid ſi igitur verſio aliqua N. T. latina, ad romanæ dictionis veteris normam expreſſa, cum libellis iſtis coniungeretur? certe liberior pueris campus exercendæ latinitatis aperiretur, in quo cum maiori voluptate discurrerent.

IIII. En commodam quum in publica, tum in priuata informatione tractandi huius negotii rationem, ſine iactura temporis, reliquis operis impendendi! In ludis publicis, et priuatis, ſi recte conſtituti ſunt, ſacra ſunt laborum auſpicia, inter quæ ex ſacris litteris caput vnum, vel plura prælegantur. Idem fieri ſolet, vel poſſet poſt finita lectionum penſa, et quando magiſtri, vbi plures vni claſſi præfecti ſunt, ſtationes mutant. Hic voce clara, diſtincta, et tarda pronuntiabuntur vernaculo ſermone expoſita, vel ab ipſo magiſtro: quod initio conſultum eſſet: vel a tirone, ad legem præſcriptam. Reliqua interim puerorum turba inſpiciet, et conferet latinam verſionem, et tarde legentem facile adſequetur. Interdum ſi plus temporis huic exercitio impendi poteſt: quod cordatus magiſter pro prudentia ſua videbit, ordinabitque: tirones ipſi, nunc hic, nunc ille, extra ordinem, vt omnes attenti reddantur, euocabuntur ad recitandum aliquid ex verſione latina, vel interpretandum ſuo marte, ex tempore, idque vernaculo ſermone. Vernacula autem verba ſolum enuntiabunt: non quidem adnumerando; ſed appendendo: latina reticebunt. Hoc pacto ſenſus facilius percipietur, et lectionis curſus expedietur: quæ palmaria totius huius conſilii ratio, et operæ fructus eſt. Expoſitio accuratior, quæ verba verbis adnumerat, ordine naturæ, et grammaticæ diſciplinæ lege, cum analyſi: quæ ad ſolidos linguæ profectus comparandos neceſſaria eſt: in aliis veterum ſcriptorum penſis exercebitur.

V. Quid ex tali exercitio ſperari poſſit, opere experiri, quam verbis iactare ſatius eſt? Certe ætate profecti, romanæ litteraturæ rudes, et tamen cupidi, ſi conſilium hoc fideliter ſequi ſuſtineant, in nominum, verborumque flexionibus mediocriter exercitati, nullo negotio eam latini ſermonis facultatem conſequentur, quæ ad vſus neceſſarios ſufficiet. Quum itaque de conſilii ſucceſſu tam grauis ratio, et illuſtria experimenta non ſinant dubitare: idonea verſio quærenda, vel facienda erat; et talis quidem, quæ ad romani ſermonis indolem quam proxime accederet. Sed dum CASTELLIONIS interpretatione nec inueniri nec facile fieri potuit melior, et ad hoc inſtitutum aptior: vel hanc ob cauſſam illa digna viſa eſt, quæ in ſpecimen, experimentumque operis e tenebris in lucem reponeretur; cuique typus elegans, et non perfunctoria exſcribendi diligentia adhiberetur. Faue interim, beneuole lector! conatibus eorum, qui litteras ſacras hac ratione ornare, publica commoda adiuuare, et bonorum voluntatem demereri voluerunt: et ita vtere libello, conſilioque propoſito, vt auctoris maieſtas, et rei ſanctitas poſtulat, interpretis, et conſultoris candor meretur. Habes hic firmiſſimum fatidicum ſermonem, cui recte facies ſi intentus fueris, tamquam lucenti in obſcuro loco lucernæ, donec dies illuceſcat, et lucifer in corde tuo oriatur. Vale!

F I N I S.